P. Fr. Nicolai Lirini ad simpliciter usum
1829

SACERDOS CHRISTIANVS,

SEV

AD VITAM SACERDOTALEM piè inſtituendam Manuductio.

In qua quicquid ad Chriſtiani Sacerdotis mores, & actus debitè componendos, iuxta Sacrorum Canonum normam, & Sanctorum Patrum doctrinam requiritur; breuiter, ac dilucidè, & quammaximè ad praxim accommodatè proponitur.

Authore M. LVDOVICO ABELLY, Sacerdote Pariſienſi, & in ſacra Theologiæ Facultate Doctore.

ROMÆ,

Sumptibus Guillelmi Hallé ſub ſigno Salamandræ regiæ.

Typis Franciſci Alberti Tani, M.DC.LVIII.

Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Sacerdotes tui, Domine, induantur iustitiam; & Sancti tui exultent. Pſalm. 131.

Hi ſunt ſerui tui, fratres mei; filii tui, Domini mei; quibus & voce, & corde, & litteris ſeruio. *Auguſt. lib.9. confeſſ.cap.*13.

Nec prærogatiuam mihimet ſcientiæ, ſi hæc meis conſacerdotibus charitatis intuitu prærogem, vendicabo; aut vitæ perfectæ me eſſe fatebor, cum de vita perfecta alios moneo: Sed potiùs vt cum hæc ad illos loqui audeo, ſimul cum illis quę loquor audiã. *Ambroſ.lib.de ſacerd.dignit.cap.*1.

SANCTISSIMO PATRI
ET DOMINO N. D.
ALEXANDRO VII.
PONTIFICI MAXIMO.

SACERDOTEM Chriſtianum *ad oſcula pedum.* Sanctitatis tuę *ſiſto*, BEATISSIME PATER, *idque eo confidentiùs, quo non ſine peculiari diuinæ prouidentiæ nutu, Illuſtriſſimum æternaque memoria digniſſimum* Franciſcum Saleſium *Gebennẽſem quondam Epiſcopum Ducem nactus eſt; eiuſq; auſpicijs, ac veluti* manuductione, *iter ſibi propoſitum emetiri ſtatuit. Et certè, niſi tanti viri merita intercederent, fateor illum te-*

nuitatis ſuæ ſibi conſcium nuſquam auſurum fuiſſe, non modo Sanctuarium Apoſtolicum ingredi, ſed nequidẽ eius intueri limina: deterruiſſet quippe fulgor Supremæ illius poteſtatis, quã vniuerſus Orbis reueretur, propiuſq; accedere prohibuiſſet. Sed conceptũ ex reuerentia tremorẽ aliqua ex parte repreſſit, animumq; addidit, Optimi illius & piiſſimi Præſulis vox; quãdo illum, quem Sacerdotum minimus tanquam Maximum *inter Pontifices, adeoq; Supremum totius Eccleſiæ Catholicæ verticẽ ſuſpiciebat, etiã veluti* omnium Eccleſiarum patrem amantiſſimũ pariter & amatiſſimũ *agnoſcendum, & fidenter, ipſo præeũte, adeundum eſſe monuit. Quare iã propriæ puſillitatis oblitus ad pedes* Sanctitatis tuę *prouoluitur, & veluti Optimo Patri, humillimus filius, omnẽ inſtitutionis ſuæ rationẽ exponit, tuæque Apoſtolicæ authoritati,*

Ep. ad Clem. VIII.

quanta

quanta maxima poteſt ſui demiſſione, ſubijcit: in qua quidē inſtitutione, præter id quod correctione indiget, nihil à me ipſi ſuggeſtum ex meo eſt: quin fateor omnia propè, quæ in hoc opuſculo recenſentur, collecta eſſe, vel potius ſelecta ex ijs, quæ in plurimis regni huius Chriſtianiſſimi locis, Illuſtriſſimorū Præſulum vigilantia & ſollicitudine fieri perſpexi, tum in ſacris Ordinationibus, tū in quotidianis Seminariorum exercitijs, tum etiam in varijs collationibus inter viros Eccleſiaſticos haberi ſolitis, quibus ipſe à pluribus annis non modo ſæpius adfui, ſed & interfui, ipſorumq; Præſulum nutibus obſequens, operā meā vtcūq; præbui: vnde cū copioſa ſatis rerū Eccleſiaſtic. materia ſuppeditaret, anxiuſque hærerem, qua ratione, quoue ordine digerenda foret, manū auxiliatricem obtulit ſupra laudatus, & ſemper laudandus

 Ge-

Gebennenſis Antiſtes, hancque iniecit mentem, vt, quod ille in Philothea ſua *ad verã cuiuslibet Chriſtiani pietatem excitãdam & promouendam perfecerat, hoc in* Chriſtiani Sacerdotis *inſtitutione præſtarẽ: quod quidem, quãtum in me fuit, exequi aggreſſus ſum; & iiſdẽ, quibus ille, veſtigijs inſiſtere, eadẽ via procedere, mihi propoſitum fuit.*

Accipe igitur, SANCTISSIME PATER, *vel potius ad infirmos throni tui Apoſtolici gradus deponi permitte, Sacerdotale hoc ſpicilegium, illius inclyti Præſulis veluti manu compoſitum, delectumq; ex agro Gallicano, qui non minima Eccleſiæ Chriſti portio eſt: in quo quidẽ, quãuis aſpirãte gratiæ cœleſtis aura, plurimi reperiantur Operarij Euangelici, Prælatorum ſuorũ virtute, doctrina, ſapientia inſignium, verbis edocti, exemplis ſtimulati, & ad omnia munera Eccleſiaſtica debitè peragenda*

ſem-

ſemper & vbiq; paratiſſimi: tãtæ tamen animarũ ſegetes vndequaq; exuberant, tot circumquaq; villæ, caſtella, vrbesq;, imò, & regiones albeſcunt ad meſsẽ, *vt licet numeroſiſſimi exiſtãt, pauci tamen adhuc æſtimentur. adeoque ſi vnquã, certe hoc maxime tempore* Dominus meſsis *obnixè rogandus ſit, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Quod dũ omnes diuinæ gloriæ propagãdæ ſtudioſi, feruidis aſſiduiſq; precibus obtinere nituntur, Tu interim,* SANCTISSIME PATER, *qui Dei præpotentis in hoc inferiori orbe vices gerens: omniũ circumfers Eccleſiarum ſollicitudinem: quiq; tot populi Chriſtiani votis expetitus, tanto vniuerſorũ & ſingulorum plauſu & gaudio exceptus, veluti benignũ quoddam ſydus, in ipſo tuo exortu pacem, ſerenitatẽq; Eccleſiæ Catholicæ tam diuturnis, ſæuiſque tempeſtatibus iactatæ portendere viſus es. Tu, inquã,*

inter alias hæreditatis Chriſti partes, quarum cuſtodiæ tanto zelo inuigilas, Chriſtianiſſimũ hoc regnum paterna charitate complecti, Apoſtoliciſq; benedictionibus cumulare nõ deſines: ſũmaq; tua authoritate, ac Paſtorali prouidentia operam dabis, vt (quod iam à te fœliciter inchoatum eſt) ex hac Chriſti vinea, errorum qui ſuccreuerũt, labruſcæ reliquæ radicitus conuellantur, veraq; & Apoſtolica fides, ac ſolida pietas magis, magiſque in animis fidelium ſtabiliantur, ac roborentur: quod vt cœleſti gratia ſuffultus perficere valeas, vniuerſãq; Chriſti Eccleſiã ad multos annos ſanctiſſimè regere, ſummis & imis votis à Deo quotidie in ſacro altari ſuppliciter expoſcit.

SANCTITATIS TVAE.

Humillimus, deuotiſſimus, & obſequentiſſimus ſeruus
Ludouicus Abelly indignus Sacerdos.

PRAE-

PRAEFATIO,

In qua Authoris conſilium, Operis ratio, & ordo, multiplexque fructus ex eo colligendus proponitur.

QVANTVM Eccleſiæ Catholicæ interſit, vt tales in eius miniſterio Sacerdotes reperiantur, quales ſacrarum Sanctionum norma præſcribit, hinc patet, non modò *quòd illis concreditæ ſint ſpirituales parturigines* (vt loquitur S. Chryſoſtomus) *ac etiam ipſius Baptiſmatis partus à Deo commiſſus: neq; ſolum quod* (vt ibidem ſubdit) *per eos Chriſtum induamus, vna cum Dei Filio ſepeliamur, & beati illius capitis membra efficiamur:* Aut quod ipſis peccatorum condonandorum authori- Lib. 1. de Sacerd. c. 4.

tas, ac (vt idem dicit) *omnium rerum cæleſtium poteſtas à Deo conceſſa ſit, omneque Iudicium à Dei filio illis traditum: proindeque ſine his, neque ſalutis, neq; promiſſorum bonorum compotes fieri poſſimus*. Sed præſertim quod (vt ait S. Proſper) *ipſi veluti columnæ ſint firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentiū:* ex quo fit, vt vel vno illorum corruente, aut in vera pietate vacillante, periclitetur plurimarum animarum ſalus, & ipſa interdum Religio, ac fides detrimenta grauiſſima inde accipiat.

Lib. 2. de vit. act. c. 2.

Quare præcipua hæc olim ſacrorum Præſulum cura fuit, & etiam nunc eſt, vt non niſi maximè idonei, ad hoc diuinū Sacerdotij miniſterium, eueherentur; & qui euecti forent, vitam illius ſanctitate dignam ducere, ſeque verbo, & exemplo cunctis fidelibus magiſtros ac duces, ad virtu-

tu-

tutẽ præbere ſedulò eniterẽtur.

Cum verò ad id plurima, & ſaluberrima media fuerint olim adhibita, & etiam nunc adhibeantur: tum maximè libri de ſacerdotij Chriſtiani dignitate, ſanctimonia, muneribus, obligationibuſque conſcripti, velut aſſidui commonitores, ipſis ſacerdotibus ad virtutis ſtudium amplectendum excitandis, & in eo prouehendis, maximè contulerunt.

Et quidem cũ inter antiquorum Patrum lucubrationes, plurima, eaque ſaluberrima documenta ſuper hac re ſparſim reperiantur: non defuerunt etiam inter illos plerique, qui opera integra ex profeſſo in hunc finẽ ediderũt, qualia ſunt SS. Dionyſij, *de Hierarchia Eccleſiaſtica*, Cypriani, *de ſingularitate clericorum*: Ambroſij, *de ſacerdotali dignitate*: Chryſoſtomi, *de Sacerdotio*: Proſperi, *de vita contemplatiua, & actiua*: Eiuſdem, *de*

dignitate Sacerdotij, *de fuga dignitatũ Eccleſiaſticarũ*, &c. Germani Cõſtãtinopolitani, *de theoria rerum Eccleſiaſticarum*: Gregorij, *Paſtorale*: Bernardi, *de conſideratione*; cum declamationibus eiuſdem: quibus meritò adiungi poteſt Hieronymi *Epiſtola ad Nepotianum*, cuiuis Sacerdoti & Clerico lectu digniſſima; vt omittamus hic plurimas Summorum Pontificũ Decretales, Conciliorumq; tum Generalium, tum Prouincialiũ Sanctiones ſuper diſciplina clericali editas, quæ ipſius Canonici Iuris maximam propè partem efficiunt.

Sanè his nouiſsimis temporibus, benigniori cœleſtis gratiæ aura aſpirante, plures magni nominis ſcriptores, veteres illos piè æmulati, variis, iiſq; perutilibus ſcriptis, ſpiritũ hũc ſacerdotalem pauliſper ſopitum veluti denuo excitare, cunctoſq; ſacro miniſterio mancipatos ad perfe-

fectionem ſtatus ſui conſectandã, quaſi nouis ſtimulis additis prouocare ſtuduerũt: inter quos R.P. Molina Carthuſienſis eximium opus *de dignitate ſacerdotum*, totius ferme Cleri Chriſtiani ſuffragijs & votis approbatum, in Eccleſiæ penũ intulit.

Reuerendus etiã Pater Metezellus congregationis Oratorij Ieſu Chriſti presbyter, pijſſimũ æquè ac erudítiſſimum librum *de ſanctitate ſacerdotij* publica luce donauit.

Illuſtriſsimus item Pręſul D. Franciſcus Hallier domus Sorbonicę Doctor, & ſacræ Theologię Regius Exprofeſsor, à laboribus ob Eccleſię fideiq; defenſionẽ ſuſceptis immortali memoria dignus, opere pręclariſsimo *de ſacris Electionibus, & Ordinationibus* edito, Eccleſiam exornauit, ſimul & cõmuniuit.

Notiſſimus eſt prӕterea liber *de ſanctimonia Clericorum*: cuius iam duo eximia opuſcula, *de*

ſin-

ſingularitate vnius beneficij Eccleſiaſtici: & *de reſidentia Paſtorum*, in lucem prodierunt, quæ authoris ſui tum eruditionem, tum præcipuum in tuenda diſciplina Eccleſiaſtica zelum vbique ſpirant.

Septem etiam *tubæ Sacerdotales* ad inſtaurandam Eccleſiaſticam pietatem, vitiaque oppoſita debellanda, denuò claſſicum hoc tempore inſonuerũt, ſedulitate, ac opera ſtrenuorũ quorundam ſacerdotum, & in iſto belli genere expertiſſimorum.

Sed inter omnes (quod ſine cuiuſquam inuidia dictum ſit) præeminet Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Dominus D. Andreas de Sauſſay Epiſcopus Tullenſis, qui inter plurima, eaque perinſignia pietatis ac eruditionis ſuę monumenta, quibus Eccleſiaſticæ Hierarchię ſplẽdorẽ illuſtrauit, Panopliam ſuam, tum Clericalem, tum Sacerdotalem, tũ Epiſcopalẽ, velut myſticam

al-

alteram turrim Dauidicam in medijs Chriſti Domini caſtris excitauit, ex qua nimirum *pendent mille clypei, omnis armatura fortium*. De quo quid em opere, vt reliqua omnia ſileamus, hoc ſolum hic attexere liceat, ipſo Apoſtolico ore laudatum fuiſſe, & ex eadem illa ſanctiſſima Sede, vnde veritatis oracula exeunt, Panopliæ huius præconia promanaſſe: ex quo quilibet Sacerdos intelligere poteſt, quanti facere debeat id, quod ipſe Sacerdotum Princeps & Pater tanti æſtimare voluit.

Prodijt etiã nuperrimè liber hoc inſcriptus titulo (*Meditationes ſuper præcipuis veritatibus tum Chriſtianis, tum Eccleſiaſticis, &c.*) authore M. Matthæo Beuuelet Sacerdote Seminarij ſancti Nicolai de Cardineto Pariſijs; cuius quidẽ quãta futura ſit vtilitas, teſtatur vel vnanimis ipſe piorum Eccleſia-
ſti-

ſingularitate vnius beneficij Eccleſiaſtici: & *de reſidentia Paſtorum*, in lucem prodierunt, quæ authoris ſui tum eruditionem, tum præcipuum in tuenda diſciplina Eccleſiaſtica zelum vbique ſpirant.

Septem etiam *tubæ Sacerdotales* ad inſtaurandam Eccleſiaſticam pietatem, vitiaque oppoſita debellanda, denuò claſſicum hoc tempore inſonuerũt, ſedulitate, ac opera ſtrenuorũ quorundam ſacerdotum, & in iſto belli genere expertiſſimorum.

Sed inter omnes (quod ſine cuiuſquam inuidia dictum ſit) præeminet Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Dominus D. Andreas de Sauſſay Epiſcopus Tullenſis, qui inter plurima, eaque perinſignia pietatis ac eruditionis ſuę monumenta, quibus Eccleſiaſticæ Hierarchię ſplẽdorẽ illuſtrauit, Panopliam ſuam, tum Clericalem, tum Sacerdotalem, tũ Epiſcopalẽ, velut myſticam

al-

alteram turrim Dauidicam in medijs Chriſti Domini caſtris excitauit, ex qua nimirum *pendent mille clypei, omnis armatura fortium*. De quo quid em opere, vt reliqua omnia ſileamus, hoc ſolum hic attexere liceat, ipſo Apoſtolico ore laudatum fuiſſe, & ex eadem illa ſanctiſſima Sede, vnde veritatis oracula exeunt, Panopliæ huius præconia promanaſſe: ex quo quilibet Sacerdos intelligere poteſt, quanti facere debeat id, quod ipſe Sacerdotum Princeps & Pater tanti æſtimare voluit.

Prodijt etiā nuperrimè liber hoc inſcriptus titulo (*Meditationes ſuper præcipuis veritatibus tum Chriſtianis, tum Eccleſiaſticis, &c.*) authore M. Matthæo Beuuelet Sacerdote Seminarij ſancti Nicolai de Cardineto Pariſijs; cuius quidē quāta futura ſit vtilitas, teſtatur vel vnanimis ipſe piorum Eccleſia-

ſti-

ſticorum conſenſus & affectus, quoad vſum omnium prope noſtræ Galliæ Seminariorum exceptus eſt.

Neque vero vlli dubium eſt, quin hi ſupra relati, & plerique alij eiuſmodi libri, ad promouẽdam Sacerdotũ Chriſti religionem, pietatemque maximè conducere poſſint; plurimique ac ſaluberrimi ex ijs fructus, in vniuerſũ Eccleſiæ Clerũ deriuẽtur.

Verũ ſalua tantis authoribus debita reuerentia, dicere liceat pauca adhuc iſta eſſe, pro ſubiecti adeo ſublimis, excelſi, diuini dignitate, cui nulla eloquij copia, nulla ingenij fœlicitas, nulla eruditionis vbertas vnquam ſatis eſse poſſit.

Quare tantum abeſt, vt tot tamq; eximiis lucubrationibus, ab hoc opuſculo in lucem edendo illius author deterritus ſit; quin potius vel ea ratione, ad hoc ipſum præſtãdum excitatus eſt; vt ij, quibus libuerit, ex eius

le-

lectione intelligãt, quot & quã-
ta adhuc ſuper hac re dicenda
ſuperſint, neq; enim propoſitum
illi fuit ea repetere, quę ab alijs
copioſiſſimè, eruditiſſimè, & cũ
maximo pietatis ſenſu expreſsa
ſunt; ſed alia quędam ex ſacris
Canonibus & ſanctis Patribus
excerpta, per modum compen-
dij adnotare, quæ ad vitam Sa-
cerdotalem piè inſtituendam,
in ijs maximè quæ ad praxim
ſpectant, apta & vtilia eſse di-
gnoſcuntur.

Quæ quidem cũ plurima, ea-
que maximè diuerſa eſse aduer-
teret; neq; ſatis perſpiceret, qua
ratione, quoue ordine, tanta re-
rum dicendarum copia in bre-
uiculũ aliquod ita redigeretur,
vt & perſpicuè, ac diſtinctè om-
nia explicarentur, nihilq; tamen
omitteretur eorum quę ad pro-
poſitum facerẽt: *incidit illi bo-
num conſilium*, ſcilicet, vt quod
non ita pridem Illuſtriſſimus ac
dilectus Deo & hominibus, cuius

me

memoria in benedictione eſt, Franciſcus Saleſius Epiſcopus Gebennenſis, communis Chriſtianorum deuotionis ac virtutis promouendę gratia fœliciter expreſserat, in aureo illo, ac gemmeo libello *manuductionis ad vitam piè inſtituendam*; hoc idem ad Sacerdotalem pietatē excitandam & iuuandam, licet longe diſpari, nec vllatenus cōferendo penicillo, delineandum ſibi proponeret.

Ideoq; tanti viri veſtigijs vtcūq; inhærendo, & rationem, ac ordinem præfati libelli conſectando, opus iſtud in quinque partes diſtributū eſt in quarum prima, de primo ad ſtatū Clericalē ingreſſu, & diſpoſitionibus ad illum prerequiſitis agitur.

In ſecunda, de pręcipuis ordinum Eccleſiaſticorū, ac præſertim Sacerdotij functionibus.

In tertia, de virtutibus illis, quæ Chriſtianum Sacerdotem maximè decent.

In

In quarta, de tentationibus quibuſdam & periculoſis occaſionibus, aduerſus quas Sacerdos Chriſtianus peculiari ſtudio ac ſollicitudine pręmunire ſe debet.

In quinta deniq; proponũtur media quædam & adiumenta Chriſtiano Sacerdoti, tum ad profectum, tum ad perſeuerantiam in virtute perutilia.

Quoniam vero ea, quę ſuper hiſce Sacerdotalis diſciplinæ capitibus dicenda erant, maximi momenti eſſe videbantur; ideo nihil ipſe author ex proprio ingenio (de cuius exilitate, ac tenuitate ſatis ſuperque ſibi conſcius eſt) afferre voluit; ſed omnia & ſingula, vel ex ſacris canonibus, vel ex ſanctis Patribus, vel ex Illuſtriſſimorũ & pijſſimorũ Præſulũ praxi ſeligere, & ſelecta quantũ potuit breuiter, diſtinctè ac dilucidè proponere conatus eſt, aut ſaltem in votis habuit.

Sic-

Sicq; non immeritò dici poteſt, huiuſce libelli materiam ex illis puriſſimis fontibus hauſtã eſſe; formam vero, diſtinctionẽque, ac lucem ex præfato Illuſtriſſimo Antiſtite Gebennenſi veluti mutuo fuiſſe acceptam: à quo nihilominus, quoties occaſio ſeſe obtulit, multa & præclara, ad quaſdam miniſterij Sacerdotalis partes rite obeũdas, documenta desũpta ſunt, & ſuo loco aptè repoſita.

Atq; ea ratione libellus hic ita diſpoſitus eſt, vt à quouis Sacerdote faciliùs comparari, cõmodiuſq; ad manũ haberi, & circũgeſtari poſſet; ex quo tamen velut ex ſacro quodam adyto ſanctos illos Eccleſiæ patres, de rebus ad miniſterium ſuum pertinentibus ſecũ colloquentes, pro libito auſcultaret.

Quis porrò & quantus ex eo fructus ſperari poſſit, experientia potiùs, & vſu ipſo, quam vlla alia ratione comproban-

dum relinquitur. Nullus ſanè inficiabitur quotidianam alicuius ex illius capitulis lectionẽ cuiuis Sacerdoti nõ niſi perutilem fore, vt ſic aliquam muneris ſui partem ſingulis diebus ſibi in mentem reuocet, memineritque ſe Chriſti Sacerdotem eſſe, actuſque ſuos ac mores, pro tanti miniſterij dignitate, ac sãctitate ſibi eſſe cõponẽdos.

Præterea quando ſeceſſum aliquem quotannis inſtituere voluerit, in eodem libello plurima reperire poterit exercitiorũ ſpiritualiũ adiumenta, præſertim circa meditationes, quarũ ſubiecta conditioni ſuæ magis apta & appoſita, cõmodiùſq; diſpoſita ibidem reperiet: & ſi libuerit pro lectione ſpirituali totum hũc libellum percurrere, (quod fortaſſe alijs temporibus per negotia occupationeſq; varias non licuit) id ipſi non niſi maximo ſolatio & profectui eſſe poterit.

Ex

Ex eodem etiam libello multa peti poſſunt, eaq; vtiliſſima pro ipſis collationibus Eccleſiaſticis, quæ varijs in locis Illuſtriſſimorũ Epiſcoporũ authoritate inſtitutæ ſunt; imo omniũ ſere, quę pietatem Sacerdotalẽ ſpectãt, pręcipua capita hic attingũtur, in illis tamẽ collationibus vberiùs, ac meliùs pertractanda.

Deniq; cum in Seminariis Eccleſiaſticis crebrę fieri ſoleant ſpirituales inſtructiones; plurima in hoc eodem libello ex sãctis Patribus excerpta reperiẽtur, quę fuſiùs in illis explicari, & accuratiùs expendi poterũt.

Faxit Deus Optimus Maximus, vt quod pro illius gloria ſuſceptum eſt, licet pertenue, ac nullius fere pretii opuſculum; illud tamen, gratia cœleſti aspirante, ad eiuſdem glorię incrementũ conferre queat; & ſi nihil aliud ex eo expectandũ ſit, ſaltem piis & eruditis è clero viris, hanc iniiciat mentem, vt

foo-

fœliciùs, ac meliori pollice operam impendere velint ad ea pertractanda &. exſcribenda, quæ Chriſtiani Sacerdotis religionē, pietatem, ſanctimoniam, virtutes, munera, obligationes, aliaque ad eius perfectionem conducentia quauis ratione ſpectare poſsunt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

APPRO-

NOS *ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Sorbonici fidem facimus lectum eſſe à nobis atque examinatum librum cui titulus eſt* (Sacerdos Chriſtianus, ſeu ad vitam Sacerdotalem piè inſtituendam manuductio) *Authore M. Ludouico Abelly Doctore Theologo, in quo nihil à nobis repertum eſt, niſi conforme doctrinæ ac fidei Catholicæ, ac bonis moribus. Datum in Sorbona die vigeſima ſeptima Ianuarij ann.* 1656.

M. GRANDIN.

LE BLOND.

Imprimatur, ſi videbitur Reu. P. Mag Sac. Pal. Apoſt.

M. A. Oddus Viceſg.

Imprimatur ſi videbitur. Fr. Vincentius Guiniſius Soc. Reuer. P. Fr. Raymundi Capiſucci Mag. Sac. Pal. Ap. Ord. Præd.

INDEX

INDEX
PARTIVM, ET CAPITVM huius libri.

PARS PRIMA.

De primo ad ſtatum Clericalem ingreſſu, & diſpoſitionibus ad illum prærequiſitis.

CAPVT I.

QVAE *ſit ſtatus Sacerdotalis excellentia, & dignitas?* pag. 1.
2. *De diſpoſitionibus ad ſtatum Sacerdotalem prærequiſitis, ac primò de vocatione.* 7
3. *Quid ſit vocatio ad ſtatum Sacerdotalem, & qua ratione dignoſci poſſit?* 10
4. *De illis qui à Deo minime vocati, ad Sacerdotium promoti ſunt.* 16
5. *De ſpiritu Eccleſiaſtico.* 19
6. *De ſcientia Chriſtiano Sacerdoti neceſſaria.* 25
7. *De innocentia vitæ, vel à Baptiſmo ſeruata, vel*

per pœnitentiam reparata, quæ ad Sacerdotium requiritur. 34
8. *De rectitudine intentionis ad ſacrum Sacerdotij miniſterium dignè ſuſcipiendum requiſita.* 40
9. *De alijs quibuſdam ad Ordinum Eccleſiaſticorũ Canonicam ſuſceptionem prærequiſitis.* 45
10 *Explicantur proxima & immediatæ diſpoſitiones ad Sacramentum Ordinis dignè recipiendum..* 50

MEDITATIO I.

De beneficio vocationis ad ſtatum Sacerdotalem, pag. 58
2 *De ſcopo & fine vocationis ad ſtatum Sacerdotalem.* 60
3 *De donis & gratijs eximijs ſtatui Sacerdotali annexis.* 62
4 *De grauitate peccatorum, quæ committuntur à Sacerdotibus, alijsque perſonis Eccleſiaſticis.* 65
5 *De morte eorum qui in ſacris miniſterijs vitam traduxerunt.* 68
6 *De vltimo examine & iudicio eorum, qui muneribus Eccleſiaſticis functi ſunt.* 70
7 *De luctuoſiſſimo ſtatu Sacerdotum damnatorum..* 73
8 *De cœleſtis gloria mercede pijs Sacerdotibus præparata.* 76
9 *De illecebris & vanitatibus mundi contemnendis, & cœleſtis patriæ bonis à Chriſtiano Sacerdote toto affectu exoptandis.* 79
10 *De firmo vitæ Sacerdotalis piè inſtituendæ propoſito concipiendo.* 81

PARS

PARS SECVNDA.

De præcipuis Ordinum Eccleſiaſticorum, ac preſertim Sacerdotij functionibus.

CAP. I.

De functionibus Eccleſiaſticis in genere. 84
2. *De functionibus & officijs Ordinis cuiuſque proprijs in particulari.* 88
3. *De ſtudio Orationis, cui Sacerdos præcipuo effectu incumbere tenetur.* 95
4. *De Meditationis, ſeu orationis mentalis exercitio cuiuis Sacerdoti pernece ſſario.* 100
5. *De officio diuino à Sacerdote, alijſq; perſonis Deo ſacris priuatim perſoluendo* 108
6. *De publica diuinorum Officiorum celebratione,* 114.
7. *De ſacroſancto Miſſæ Sacrificio.* 120
8. *De Sacramentorum adminiſtratione.* 129
9. *De quibuſdam obſeruandis ad debitam Baptiſmi adminiſtrationem.* 137
10. *De recta diſpenſatione & adminiſtratione ſãctiſſimæ Euchariſtiæ.* 142
11. *De ijs quæ à Sacerdote obſeruari debent in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento.* 153
12. *De adminiſtratione Extremæ vnctionis.* 162
13. *De Sacramento Matrimonij.* 166
14. *De verbi diuini prædicatione.* 170
15. *De Catechiſtica inſtructione.* 181

b. 2 PARS.

PARS TERTIA.

De virtutibus quę Chriſtianum Sacerdotem maximè decent.

CAP. I.

De ſtudio perfectionis, cui Sacerdos præcipua cura incumbere debet. 188

2 *De delectu virtutum quæ Chriſtianum Sacerdotem maximè decent.* 192

3 *De fide quæ pollere debet Chriſtianus Sacerdos.* 198

4 *De Spe, & confidentia in Deum cui Chriſti Sacerdos inniti debet.* 202

5 *De charitate & dilectione Dei qua flagrare debet* Chriſtianus *Sacerdos.* 209

6 *De intentione diuinæ gloriæ, quam in omnibus Chriſti Sacerdos ſpectare debet.* 217

7 *De charitate proximi, quæ propria eſt Chriſtiani Sacerdotis.* 222

8 *De Manſuetudine à Sacerdote Chriſtiano adhibenda in tolerandis aliorum defectibus.* 231

9 *De Eleemoſyna aliiſque operibus miſericordiæ, quibus Chriſti Sacerdos incumbere tenetur.* 238

10 *De fraterna peccantium correctione à Chriſtiano Sacerdote facienda.* 246

11 *De zelo, quo Chriſtianus Sacerdos feruere debet.* 253

12 *De prudentia Chriſtiano Sacerdoti neceſſaria.* 261.

13 *De modeſtia, quæ Chriſtianum Sacerdotem decet.* 267

14 *De caſtitatis Sacerdotalis cuſtodia.* 274

De

15 *De Mortificatione Chriſtiano Sacerdoti pernecessari:.* 280
16 *De patientia virtute à Chriſtiano Sacerdote peculiari ſtudio confectanda.* 286
17 *De paupertatis affectu, qui Chriſtiano Sacerdoti maxime competit.* 291
18 *De humilitate, quam peculiari cura Chriſtianus Sacerdos aſſectari debet.* 299
19 *De obedientia ſuperioribus præpoſitiſque Eccleſiaſticis à Chriſtiano Sacerdote deferenda.* 305
20 *De Imitatione Chriſti, cui peculiari ſtudio Sacerdos incumbere tenetur.* 311

PARS QVARTA.

De tentationibus quibuſdam, & occaſionibus periculoſis, aduerſus quas Sacerdos Chriſtianus peculiari ſtudio ac ſollicitudine præmunire ſe debet.

CAP. I.

De tentationibus in genere quibus Sacerdos impetitur, earumque remediis. 318
2 *De tentatione ambitionis, præſertim in appetitione beneficiorũ, munerũq; Eccleſiaſticorũ.* 324
3 *De luxu in veſtibus, ſupellectili, aliiſque rebus à Chriſtiano Sacerdote maxime cauendo.* 329
4 *De vana gloria illecebris à Chriſtiano Sacerdote fugiendis.* 334
5 *De reſpectibus humanis à Chriſtiano Sacerdote diuinæ voluntati poſthabendis.* 340

De

6 *De inordinato propinquorũ affectu, quem Chriſtianus Sacerdos compeſcere debet.* 345
7 *De quibuſdam periculoſis conuerſationibus contuberniįſq; à Chriſtiano Sacerdote vitãdis.* 348
8 *De frananda potus cibique in Chriſtiano Sacerdote intemperantia,* 355
9 *De oris, & linguæ cuſtodia Chriſtiano Sacerdoti maxime neceſſaria.* 359
10 *De otioſitate à Chriſtiano ſacerdote fugienda.* 367.
11 *De modo cuiuis Sacerdoti in ludis, & recreationibus tenendo.* 371
12 *De procurationibus rerum ſæcularium alijſque mundi negotiationibus, & curis à Chriſtiano Sacerdote fugiendis.* 375
13 *De auaritia & cupiditate ab animo Chriſtiani Sacerdotis radicitùs extirpanda.* 380
14 *De quouis ſcandalo ſollicitè præcauendo.* 384

PARS QVINTA.

De medijs quibuſdam, & adiumẽtis, quæ Chriſtiano Sacerdoti, tum ad profectum, tũ ad perſeuerãtiam in virtute, maximè cõducere poſſunt.

C A P. I.

Quantum interſit Sacerdotem Chriſtianum in vera virtute progredi & perſeuerare. 391
2 *Suggeruntur varia media, quibus Chriſtianus Sacerdos in progreſſu & perſeuerantia iuuari poterit: quorum primum eſt, ordo vitæ, quem ſibi ipſe præſcribere debet.* 396.

Se-

3 Secundum medium ad perſeuerandum, conſtans habitus tonſuraque Eccleſiaſtica geſtatio. 401
4 Tertium medium, conuerſatio, & contubernium cum ijs, qui vita Eccleſiaſtica ſanctimonia commendabiles ſe exhibent. 405
5 Quartum medium, crebra de rebus Eccleſiaſticis collationes. 409
6 Quintum medium frequens ac deuota ſanctiſſima Miſſa ſacrificij celebratio. 414
7 Sextum medium, ſpecialis erga ſanctiſſimam Virginem Deiparam deuotio. 419
8 Septimum medium, ſeceſſus annuus. 423

MEDITATIO I.

Chriſtus Dominus perfectiſſimum Sacerdotum exemplar. 431
2 Chriſti Dñi vita, regula vitæ ſacerdotalis. 433
3 Chriſti Domini virtutes ab eius Sacerdotibus præſertim conſectandæ. 436
4 Chriſti Domini humilitas. 438
5 Chriſti Domini patientia. 442
6 Chriſti Domini obedientia. 444
7 Chriſti Domini paupertas. 447
8 Chriſti Domini caſtitas. 451
9 Chriſti Domini mortificatio. 455
10 Chriſti Domini modeſtia. 458
11 Chriſti Domini prudentia. 461
12 Chriſti Domini charitas erga homines. 464
13 Chriſti Domini manſuetudo in tolerandis aliorum defectibus & peccatis. 468
14 Opera miſericordiæ quæ corpus ſpectāt à Chriſto Domino perfectiſſimè exercita. 471
15 Opera miſericordiæ ſpiritualis à Chriſto Domino in praxim redacta. 474

Chri-

16 *Chriſti Domini zelus ad procurandam & promouendum animarum ſalutem.* 477
17 *Chriſti Domini zelus ad propugnandam diuinam veritatem.* 480
18 *Chriſti Domini amor erga Deum Patrem.* 483
19 *Chriſtus Dominus ſeſe omniaque ſua ad gloriã Dei Patris ſui referens.* 486
20 *Chriſtus Dominus actibus religionis incumbens.* 489
21 *Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos modum orandi edocens.* 492
22 *Chriſtus Dominus orationis perfectæ conditiones proponens.* 495
23 *Chriſtus Dominus Sacramentorum conficiendorum & conferendorum poteſtatem diſcipulis ſuis tribuens.* 497
24 *Chriſtus Dominus corporis ſui Sacramentum diſcipulis ſuis ſumendum ac diſpenſandum tradens.* 499
25 *Chriſtus Dominus incruentum corporis ſui ſacrificium à diſcipulis suis offerendum inſtituens.* 502
26 *Chriſtus Dominus gratiæ cœleſtis myſteria diſcipulis ſuis aperiens.* 506
27 *Chriſtus Dominus ad commanendum in ſe diſcipulos ſuos inuitans.* 509
28 *Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos aduerſus tentationes præmuniens.* 512
29 *Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos ad perſeuerantiam adhortans.* 519
30 *Chriſti Domini obſeruantia & pietas erga ſanctiſſimam Virginem Matrem, cuiuis Sacerdoti imitanda.* 518

SACER-

SACERDOS CHRISTIANVS,

SEV

Ad vitam Sacerdotalem pie inſtituendam manuductio.

PARS PRIMA.

De primo ad ſtatum clericalem ingreſſu, & diſpoſitionibus ad illum prærequiſitis.

CAPVT PRIMVM.

Quæ ſit Status Sacerdotalis excellentia & dignitas?

DIGNVM *eſt* (inquit S. Ambroſius) *vt dignitas Sacerdotalis prius cognoſcatur à nobis, deinde ſeruetur à nobis: vt Pſalmographi ſententia* Lib de dignit. Sacerdot. c 2.

queat repelli à nobis: homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Quiſquis igitur ad montem Domini aſcendere, & ad illius vſque verticem, Sacerdotium ſcilicet, pertingere cupit, prius apud ſe perpendat, quæ de illius præcellentia & ſublimitate Sancti Patres, quæ ipſamet diuina oracula edixerunt: vt quanti ponderis & momenti ſit munus illud quod ſuſcipere intendit, perſpiciat, ſeque ad illud vt par eſt ſuſcipiendum, & poſtquam ſuſceperit, exequendum, diſponat.

Lib. 3. de Sacerdot. cap. 3. *Sacerdotium* (inquit S. Chryſoſtomus) *in terris quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem, ordinemque referendum eſt: atque id perquam merito, quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creatura, ſed ipſe diuinus Paracletus ordinem huiuſmodi diſpoſuit.* Deinde ſubdit, *etenim qui terram incolunt, qui in terra verſantur, his commiſſum eſt vt ea quæ in cœlis ſunt diſpenſent, ijs datum eſt vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolum; id autem quod dico* Sacerdotum *vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque perua-*

perſuadit. Et alibi, *Sacerdotium eſt ipſo etiam regno venerabilius ac maius: ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque veſtes aureas; vmbra ſunt iſta omnia, verniſque floſculis leuiora, &c. Medius ſtat Sacerdos inter Deum, & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, noſtras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians, &c.* *Homil. 5. in illud Iſa. (in ann. quo mortuus eſt Rex Ozias.)*

Quanto anima corpore præſtantior eſt (ait S. Clemens) *tanto eſt Sacerdotium regno excellentius.* *Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 34*

Iſidorus Peluſiota Sacerdotium aſſerit eſſe, *omnium quæ inter homines expetuntur velut extremam metam.* *Lib. 2 Ep. 71*

S. Ignatius Antiochenus vocat illud *omnium bonorum quæ in hominibus ſunt apicem.* *Epiſt. ad Smyrn.*

S. Gregorius Papa Sacerdotes nuncupat, *primam & nobiliſſimam membrorum Chriſti Domini partem.* *Lib. 14. moral. cap. 16.*

Et S. Hieronymus, *Abſit* (inquit) *vt quidquam ſiniſtrum loquar de iis qui Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos nos etiam Chriſtiani ſumus, qui claues regni cœlorum habentes, antè diem iudicij iudicant.* *Ep. ad Nepot.*

Ipſi ſunt Eccleſiæ decus, (inquit S. Proſper, & ex eo Concilium Pariſienſe) *in quibus amplius fulget Eccleſia: ipſi ianua ciuitatis æternæ, per quos omnes qui credunt in Chriſtum, ingrediuntur* *Lib. 2. de vit. act. c. 2.*

Con. Pariſ. ſub Ludou. & Lothar. Impp. in præfat. *tur ad Chriſtum: ipſi ianitores quibus data ſunt claues regni cœlorum; ipſi etiã diſpenſatores regiæ domus.*

Iam ſi diuina ſcripturarum oracula conſulamus, occurret nobis S. Apoſtolus, qui Sacerdotes *Chriſti Domini adiutores, pro ipſo legatione fungentes, diuinorum myſteriorum diſpenſatores, Dei homines, angelos* denique nuncupat; & Chriſtus Dominus eoſdem *amicos, imò & fratres ſuos* agnoſcit. Quid plura? Ipſe Spiritus Sanctus per os Pſalmographi (quod vix eloqui licitum eſt) Deos eſſe affirmat, *Deus* (inquit) *ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos* ipſe *dijudicat*: Deos vtique non natura, aut eſſentia, ſed imitatione virtutis, & poteſtatis participatione.

1. Cor. 3
2. Cor 5
1. Cor. 4
1. Timothei 6.
1. Cor. 11.
Ioan. 15.
Ioã. 10.
Pſal. 81

Sed quorſum iſta? ad quid tot & tam illuſtria Status Sacerdotalis encomia? nunquid ad pompam iſta prolata eſſe credendum eſt? aut vt inde Sacerdotes vanitatis auram aliquam captarent, ſibique de ſtatus ſui præcellentia & dignitate blandirentur? & non potius vt ſeſe in tantam celſitudinẽ eleuatos non ſine formidine intuentes, de cauendo præcipitio ſollicitè cogitarent; ſibique ac ſuis viribus diffidentes, Diuinæque ſolummodo gratiæ innixi, cum timore ac tremore ſuam & aliorum ſalutem operentur;

me-

memores illius effati, quia *exiguo facile conceditur miſericordia, duriſſimum verò iudicium his qui præſunt, fiet. Et cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Sap. 6. Luc. 12.

Beatus equidem Acepſimas inſignis in Oriente Monachus, (vt refert Theodoretus in Philotheo) tunc ſolum ſe ordinari preſbyterum paſſus eſt, cum ſe breui moriturum præuidiſſet; aſſerens ſe ſi diutius victurus fuiſſet, omninò deuitaturum fuiſſe graue & terribile onus Sacerdotij, cum pertimeſceret reddendam depoſiti rationem. cap. 44.

Præclarè omninò & appoſitè S. Auguſtinus adhuc preſbyter, ad Epiſcopum ſuum Valerium ſcribens dicebat, *nihil eſſe quidem in hac vita, & maximè hoc tempore* (de ſuo loquebatur, & potiori adhuc ratione de noſtro intelligere poſſumus) *facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, maximè hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſiuſque Epiſcopi, Preſbyteri, aut Diaconi officio: ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter imperator iubet.* Epiſt. 148.

Neque verò iſta dicta ſunt eo fine,

vt hi qui ſe Deo dicare, eiuſque ſacris altaribus mancipare exoptant, à propoſito deterreantur: ſed vt propoſitum ſuum attentè perpendentes, illud eo quo decet modo exequantur: id eſt, vt perſpiciat, num vota & deſideria ſua Diuinæ voluntati concordent? num à Chriſto Domino ſelecti & vocati ſint, vt inter eius domeſticos dinumerentur? Et ſi ita eſſe deprehendant, debitas ad diuinum illud munus capeſſendum diſpoſitiones afferre curent.

Etenim qui cœleſti vocatione præeunte, gratiæ Diuinæ fideliter cooperantes, Dei Sanctuarium ingrediuntur, ſicut ſemper de ſe humillimè ſentire, ſic diuinam erga ſe munificentiam agnoſcere debent; *neque id oneris aut laboris, ſed potius magni priuilegij, & inæſtimabilis erga ſe liberalitatis loco reputare*, vt aiebat Eminentiſſimus Cardinalis Palæota; ac proinde in infinita Dei miſericordia ſpem firmiſſimam collocare, quod *qui cœpit in eis opus bonum, ipſe perficiet*.

Serm. 1. ad Cler in Archiepiſcop. Bonon.

Philip. 1

CAPVT II.

De diſpoſitionibus ad ſtatum Sacerdotalem prærequiſitis, ac primò de vocatione.

CVm vt Sacrum Tridentinum Concilium edixit, *Diuina res ſit Sancti Sacerdotij miniſterium* rationi cõſentaneum eſt, vt nullus ad illud niſi conuenienter diſpoſitus accedat. Neque enim *Sanctum dare canibus* licet: nec *margarita ante porcos mittendæ ſunt*, & *Sancta* non niſi *Sanctis* conferri debent. Seſſ. 23. cap. 2. Mat. 7.

Inter alias autem diſpoſitiones ad Sacerdotium prærequiſitas (de quibus poſteà) vna ex præcipuis, & quã merito primam omnium dicere poſſumus, eſt vocatio Diuina: cui tanquam primario lapidi totius perfectionis Sacerdotalis ſtructura innititur; & ex qua veluti radice, gratiæ reliquæ prodeunt; *quos enim vocauit*, inquit Apoſtolus, *illos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Rom. 8.

Ex Euangelio quidẽ diſcimus quod Chriſtus Dominus, prima Hierarchiæ

Eccleſiaſticæ fundamenta diſponens, hunc ordinem perpetuò deinceps ſeruandum ſtabiliuit; vt ſcilicet nemo ſe in eam intruderet, ſed vt ipſe pro ſuæ voluntatis beneplacito quos vellet, Mar. 3. eligeret & vocaret; vnde teſtatur S. Marcus quod *vocauit ad ſe quos voluit*, & quoſdam quidem Apoſtolos ſibi delegit, alios verò deſignauit di- Ioan. 15 ſcipulos; quos poſtmodum alloquens, *non vos me elegiſtis*, inquit, *ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis*: Ideò ſcilicet fructum allaturi, quia electi & vocati: aliàs *ſine me* (ait idem Chriſtus Dominus,) *nihil poteſtis facere*: & S. Paulus aperte dicit Ibid. Heb. 5. quod *nullus ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*: Et certè ſi quis perpendere velit, ex vna quidem parte, naturæ noſtræ imbecillitatem & fragilitatem: ex altera verò Sacerdotalis dignitatis ſublimitatem, & præcellentiam, eique annexas obligationes, nec non difficultates implexas, periculoſaſque tentationes quas experiuntur ij qui muneri ſuo ſatisfacere pro virili ſtudent; facile dignoſcet, ſpecialiſſimis gratiæ Diuinæ auxilijs, ad illud implendum opus eſſe: quam porro gratiam expectare debet is, qui non vocatus, contra Diuini Conſilij diſpoſitionem, vltro ſe in Chriſti Domini Sanctuarium intruſit? Nonne

Nonne merito timendum ipſi eſt, ne Rex ille cæleſtis exprobret, *quomodo hue intraſti non habens veſtem nuptialẽ?* iubeatque illum, ligatis manibus & pedibus, mitti in tenebras exteriores. *Mat. 22*

Quis prętereà explicet quam grauia damna, quantas & quam funeſtas clades Eccleſia accipiat ab iis, qui non vocati in eius Sacrarium irrumpunt, & quodammodo Spiritus Sancti gratiæ vim inferunt? Vnde vt plurimum prodeunt Hæreſes, emergunt ſcandala, ſubſequuntur ſtrages animarum, detrimentaque Diuini cultus, & alia mala innumera oboriuntur.

Hoc ſaltem ſerio cogitent, quod ipſi quoque inſidiantur contra ſanguinem ſuum, & moliuntur fraudes contra animas ſuas: ſi enim (vt monet Apoſtolorum Princeps *vix iuſtus ſaluabitur*; ſi illi qui à Deo legitimè vocati ſunt, eiuſque gratijs affluenter inſtructi, vix muneri ſuo ſatisfacere, colluctationemque aduerſus principes & poteſtates tenebrarum ſuſtinere, queunt; quid expectare, ſed quid non timere debent ij, qui ſine vocatione, ſine gratia, ſine vllis auxilijs, ſe in ſacrum miniſterium ingerunt. *1. Pet. 4.*

D. Chryſoſtomus dicit *eos, tanquã nauem non ſaburratam, nec armamentis inſtructam, in immenſum pelagus præcipites agere, nihil expendentes fluctu-* *lib. 1. de Sacerd. cap. 4.*

Serm. 98. de Tem. *um ſæuitiam & aſperitatem*. Et S. Auguſtinus conſiderans terribilem illam Diuinæ iuſtitiæ vindictam erga Core, Dathan, & Abiron, quos hiatu terræ abſorptos, & viuentes in infernum detruſos ſacra reſtatur Hiſtoria, *hoc* (inquit) *ideo ipſis euenit, nequis præſumtione ſuperbi ſpiritus, non ſibi à Deo datum Sacerdotij munus inuaderet*.

l. de præſcript. cap. 43. Appoſitè Tertullianus, *vbi* (inquit) *metus in Deum, ibi grauitas honeſta & diligentia adtonita, & cura ſollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubiectio Religioſa*.

CAPVT. III.

Quid ſit vocatio ad ſtatum Sacerdotalem, & qua ratione dignoſci poſſit?

VOcationis illius nomine, intelligitur diſpoſitio Diuinæ prouidentiæ, qua, pro ſuo beneplacito. quoſdam homines ſeligit, & ſegregat ad opus miniſterij ſui, ipſiſque qualitates & gratias ad id neceſſarias elargitur.

Iere. 10. Dicitur 1. (Diuinæ prouidentiæ diſpoſitio,) quia (vt Propheta loquitur)

tur) *non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Et (vt ait Apoſtolus) *vnusquiſque proprium donum habet ex Deo, vnus quidem ſic, alius verò ſic.* 1.Cor.7

2. (Qua pro ſuo beneplacito quoſdam ſeligit, & ſegregat ad opus miniſterij ſui) ſic enim prophetis & doctoribus Antiochiæ Domino miniſtrãtibus & ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus, *Segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus ad quod aſſumpſi eos.* Et nullus ab eo quærere poteſt, cur ita facis: *neque figmentum dicit ei qui ſe finxit, cur me feciſti ſic?* cum, vt monet Apoſtolus, *poteſtatem habeat, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam.* Act.13. Rom.6.

3. (Ipſiſque qualitates & gratias ad id neceſſarias elargitur,) ſcit enim quia *non ſumus ſufficientes* ne quidem *cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: proindeque ad eius ſuauem prouidentiam pertinet, vt quos ſeligit & vocat, eos etiam *idoneos faciat miniſtros noui teſtamenti.* 2.Cor.3 Ibid.

Ea de cauſa, vas Electionis Paulus in Epiſtolis ſuis, ſæpiſſime illud ingerit, ſe *vocatum eſſe Apoſtolum, & ſegregatum in Euangelium Dei*: quo maiorem ſibi ſuiſque verbis conciliet authoritatem: qui enim ab ipſo Deo vocatus Rom.1. 1.Cor.1.

eſt Apoſtolus, haud dubiè præcellẽtem Apoſtolatus gratiam, & dona omnia ad illius perfectionem neceſſaria accepiſſe cenſendus eſt.

Iam verò quænam ſint Diuinæ illius vocationis argumenta, & quibus notis quis dignoſcere queat, vtrum ad ſtatum Sacerdotalem à Deo vocatus ſit nec ne? Operæ pretium eſt hic inquirere.

In decla mat ſuper Ecce nos reliquimus.

Atque in primis ſupponenda eſt tãquam certiſsima doctrina Sancti Bernardi aſſerentis, *vniuerſos in ordinibus Eccleſiaſticis honorem quærentes propriũ, aut diuitias, ſeu corporis voluptates, poſtremo quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, manifeſtè prorſus & indubitanter non eam charitatem quæ à Deo eſt, ſed alienam à Deo, & quæ omnium malorum radix eſt, cupiditatem introducere.* Proindeque qui de ordinibus Eccleſiaſticis cogitant, ſedulo perſpiciant, num tales ſint, quales hi de quibus ſanctus ille Pater conqueritur; ſciantque ſe primos hac in parte ſuiipſius iudices conſtitutos eſſe, inquiſitionemque in ſeipſos a ſemetipſis eſſe faciendam, an v. g. otij conſectandi, laboriſue fugiendi cauſa? an ſpe quæſtus? Vel beneficij alicuius captandi occaſione? An honoris vel gloriæ intuitu? An denique humano aliquo reſpectu Sacerdotium appetant? Facile eſt enim

ſuper his ordinatores ipſos & examinatores falſa relatione aut ſpecie virtutis decipere: *at verò*, vt ait S. Chryſoſtomus, *ipſe qui ordinatus eſt dicere non poteſt ſe ſibi vt alijs fuiſſe incognitum: ſicut ergo is grauiori ſupplicio puniendus eſt, quam illi à quibus aſcitus, productuſque eſt, ita debet ipſe accuratius quam illi, ſui met ipſius periculum facere.* *li. 4. de. Sacerd. cap. 2.*

Poſito igitur quod quis nullam in ſe prauam eiuſmodi deprehendat diſpoſitionem; inter alia Diuinæ vocationis argumenta, non vltimum locum obtinet inclinatio illa, & propenſio ad cultum & obſequium Deo in ſtatu clericali ſeu Sacerdotali deferendum, quam quis in ſeipſo à tenerioribus annis ad maturiorem vſque ætatem conſtanter expertus eſt: proprium enim eſt diuinæ ſapientiæ, ſicut *attingere à fine ad finem fortiter*, ſic & *diſponere omnia ſuauiter*, ac proinde voluntatem hominis, ad excelſum illum ſtatum præparare, ac veluti per quoſdam gradus paulatim eleuare. *Sap. 8.*

Videndum præterea, an ſuppetant qualitates, virtuteſque ſaltem inchoatæ, quæ neceſſariæ ſunt ad ordines tum digne ſuſcipiendos, tum debite exercendos; v. g. doctrina ſufficiens, vita irreprehenſibilis, continentiæ donum, & alia ſimilia de quibus poſtea: an etiam nulla ſubſit irregularitas, nul-
la

la cenſuræ innodatio, aut aliud quodnis canonicum impedimentum: *Quis*
Luc 14. *enim volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum; ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſũmare.*

Verum quoniam in proprijs plerumque ſeu virtutibus, ſeu defectibus dignoſcendis cæcutimus; &, vt loquitur S. Gregorius, *ſæpe ſibi de ſe mens*
Paſtor. p. 1. c. 9. *ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat, & de mundi gloria non amare quod amat*. Idcirco ad vocationem diuinam certius adhuc cognoſcendam, tutiſſimum medium eſt proprij Prælati voluntas, eiuſque
Epiſt. 213. iudicium: vt enim rectè monet Yuo Carnotenſis *Nulli ad ſacros ordines ſunt promouendi, niſi quos vita & doctrina &*
Seſſ. 23. cap. 16. de reformat. *Epiſcopalis authoritas ad hoc agendum idoneos probat*. Et Concilium Tridentinum verbis expreſſis edixit *nullum ordinari debere qui Epiſcopi ſui iudicio non ſit vtilis aut neceſſarius Eccleſiæ.*

Si igitur ipſe Epiſcopus ad Sacerdotium inuitet, imo compellat, (qui primis Eccleſiæ ſæculis mos erat, *quæri magis quam quærere* vt loquitur S. Bernardus) vox eius fideliter auſcultanda eſt, & fidenter obtemperandum,
in decla
tan-

tanquam Chriſto, qui dixit Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.*

ma[illegible]*ſuper* Ecce nos. &c.

Quod ſi (vt nunc fert Eccleſiæ indulgentia) liberum cuique relinquatur ſuas dirigere vias, ſeque ipſum ad Sacra miniſteria capeſſenda offerre; ſaltem hoc cum debita ſinceritate & ſubmiſſione fiat, id eſt, vt & conſilia, & opera, & alia quæcunque ad diſpoſitiones animi, corporiſque plenè dignoſcendas conducentia, ſincerè coram Epiſcopo, aut eius in ordinandorum probatione & examine delegato patefiant; & ea quæ ipſi ad Maiorem Dei gloriam, Eccleſiæ vtilitatem, & ordinandorum ſalutem, magis expedire videbuntur, cum omni humilitate ſuſcipiantur, & perfecta animi ſubmiſſione impleantur, eiuſq; iudicio & nutui fideliter obtéperetur.

Luc. 10.

Denique ſeceſſus à negotiis & turbis ſæculi per aliquot dies in ſanctis meditationibus, aliisque pietatis exercitijs impenſus, oratio crebra & perſeuerans, ſapientis ac pij viri conſilium, eleemoſynæ, ieiunia, aliaque ſimilia virtutis opera, plurimum haud dubiè conferre poſſunt, tum ad lucem cælitus hauriendam; tum ad vberiores gratias accipiendas, quarum ſubſidio Diuina volun-

tas

taſ & melius agnoſci, & perfectius impleri poſſit.

CAPVT. IV.

De illis qui à Deo minime vocati ad Sacerdotium promoti ſunt.

SIcut de nemine ad Sacerdotium promoto temerè iudicandum eſt, neque eius vocatio leuiter in dubium reuocanda, aut ſuper illa ingerendi ſcrupuli; cum, iuxta D. Gregorij ſententiam, plerumque euenire poſſit, *vt quod vnus laudabiliter expauit, alter laudabiliter appetierit*: non tamen debet quiſquam ſibi ſuper hac re adulari, ſed interdum, ad maiorem conſcientiæ ſecuritatem, expedit coram Deo perſpicere, ac ſerio diſcutere, qua ratione ad ordines Eccleſiaſticos quiſque promotus fuerit; qualis fuerit in ſacrum miniſterium ingreſſus? Vt ſi adlucente cæleſti gratia ſe à Deo legitimè vocatum agnoſcat, ipſi laudes & gratiarum actiones pro tanto beneficio debitas rependat; ſin minus, opportuna remedia quærere & adhibere curet.

Paſtoral. p. 1. cap. 7.

Sicut enim qui ſciens, & volens, nul-

nulla Diuinæ vocationis habita ratione, ſeſe in Sacerdotium intruderet, haud dubiè ſeipſum in apertiſſimum ſaluus diſcrimen inijceret, peccando ſcilicet in Spiritum ſanctum, quod quidem peccatum vix aut rariſſimè dimitti ex Euangelio diſcimus; ſic, qui ſibi iſtud, ex ignorantia, incuria, aut quouis alio modo accidiſſe deprehenderet, ſeque abſque legitima vocatione ad ordines Eccleſiaſticos promotum agnoſceret, non ideo deſperare, aut animum penitus abijcere, ſed potius ad diuinam miſericordiam confugere, & ea quæ huiuſcemodi defectui reparando apta ſunt præſtare deberet.

Ac in primis oportere illum de tanto peccato, nec non de innumeris aliis, quæ haud dubiè ſubſecuta ſunt, pœnitentiam agere, eaque lachrymis perfecta cordis contritione expreſſis eluere, ac Deum offenſum dignis pœnitentiæ fructibus placare, & ad id conuenientia ſatisfactionis opera exercere. Deinde perſpicere quod vitium? quis defectus? qualis obex dignam ordinum ſuſceptionem impedierit? Et *ſi quidem* (vt ait S.Bernardus) *vita ſanctitas non præceſſit, ſaltem ſequatur*. Si praua aliqua intentio huius Sacramenti ſanctitatem infecit, purgandus eſt animæ oculus, & ſimpliciter in Dei gloriam & honorem dirige-

Epiſt. 17. ad Ardutt.

gen-

gendus; &, vt ait idem S. Pater, *bonas fac de cætero vias tuas, & ſtudia tua, & miniſterium tuum*. Si ignorantia obſtitit, ſtudijs ſedulo incumbendum, & interea tamen ab illis miniſteriis ſeu functionibus abſtinendum eſt, donec ſcientiam & notitiam ad illa debitè exequenda requiſitam is, cui deeſt, adeptus ſit.

Denique non oſcitanter aut perfunctoriè, ſed toto animi conatu, ipſi laborandũ eſt, vt virtutes ac diſpoſitiones muneri ſuo rite obeundo neceſſarias acquirat; ideoque otium deſidiãque fugiat, conuerſationes noxias deuitet, ordinem ſibi agendorum præſcribat, vitam nouam inchoet, adhibito etiam pij ac prudentis confeſſarij conſilio: & demum orationi humiliter ac perſeueranter inſtet, gratias neceſſarias à Deo enixè deprecetur, & in eius infinita miſericordia firmiſsimam ſpem collocet, ſicque animum erigat, atque ad pleraque difficilia quæ haud dubiè illi ſubeunda erunt, paratum exhibeat, memor illius Diuini effati *quoniam regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Mat. 11

CAPVT. V.

De Spiritu Eccleſiaſtico.

SAcra nos Hiſtoria docet, Deum è limo terræ primum formaſſe hominem, eiuſque corpore formato inſpiraſſe in faciem eius ſpiraculum vitæ, & ſic factum illum eſſe in hominem viuentem. Quod tunc in creatione veteris hominis, hoc idem in quolibet eorum peragit, qui noui hominis Ieſu Chriſti expreſſam in ſacris miniſteriis imaginem referre debent; Suſcitat nempe de terra inopem *vt collocet eum cum principibus populi ſui*, vocat eum, porrigit illi dexteram ſuam, & in eo partes omnes diuinis muneribus obeundis neceſſarias efformat: & tandem vt idoneum illum faciat noui teſtamenti miniſtrum, Spiraculum vitæ Eccleſiaſticæ, ſeu ſpiritum Eccleſiaſticũ in animam eius inſpirat; qui quidem Spiritus adeo illi neceſſarius eſt, vt eo deficiente reliquæ partes veluti abſque motu & vita remaneant: itaut cuiuis Sacerdoti ſpiritum Eccleſiaſticum non habenti aptari poſsit illud Prophetæ, *ò Paſtor. Idolum*: ò Sacerdos, ò Idolum; ſicut enim Idolum os habet

Geneſ. 1

4.

Pſal.

Zachar. 11.

bet, & non loquitur. oculos, & nõ videt, manus & pedes, & nec palpat, nec graditur; ſic & Sacerdos Spiritu illo deſtitutus:

Diuiſiones quidem gratiarum, miniſtrationum, operationum, ſunt in Eccleſia, & (vt ait S. Paulus) *alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alteri fides, &c. Hæc autem omnia operantur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Denique, vt idem Apoſtolus edixit, *ſi quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius*: ac proinde ſi quis Sacerdos Spiritum eiuſdem Chriſti non habet, hic non eſt eius.

1. Cor. 12.

Rom. 8.

Cum igitur ex his conſtet quanti momenti ſit vt quilibet ſacris miniſteriis initiatus Spiritum Eccleſiaſticum in ſe habeat, de eo viuat, ab eo moueatur, per eum operetur: plurimi intereſt ſcire quis ſit ille Spiritus Eccleſiaſticus, quibus notis dignoſci, & qua ratione acquiri & cõſeruari poſſit.

Ac in primis obſeruandum eſt. nouum non eſſe hunc loquendi modum, imo in ſcripturis frequenter vſurpatũ. Refert S. Lucas Angelum ſanctum Gabrielem Zachariæ, de filio naſcituro dixiſſe, ipſum ante Saluatorem præiturum eſſe *in Spiritu & virtute Eliæ*: & cum Apoſtoli Iacobus, & Ioannes aduerſus Samaritas, qui Chriſto hoſpitium

Luc. 9.

Exod. 33.

piritum denegabant dixiſſent, *viſimus & dicimus vt ignis deſcendat de cœlo & conſumat eos*, Reſpondit illis Chriſtus, *Neſcitis cuius Spiritus eſtis, non venit filius hominis animas perdere, ſed ſaluare*. Similia quoque ex veteri Teſtamento exempla ſuppetunt. *Ecce* (inquit Deus ad Moyſem) *vocaui ex nomine Bezeleel, impleui eum Spiritu meo*. Agebatur tunc de arca fabricanda, & ad illud opus aptè peragendum, Deus artificē ſibi deligit, vocat, & Spiritu ſuo replet. Et poſtquam idem Moyſes Diuino iuſſu delegiſſet ſeptuaginta ſeniores, qui ſecum regerent populum: Dixit ad eum Deus, *Auferam de Spiritu tuo, tradamque eis vt ſuſtentent tecum onus populi*, id eſt, eos participes faciam eiuſdem Spiritus, quem tibi contuli, & per quem te aptum & idoneum feci ad tantum & tam graue miniſterium adimplendum. *Num. 11.*

Ex quibus colligere poſſumus Spiritum Eccleſiaſticum nihil aliud eſſe quam participationem copioſam Spiritus Chriſti, per quē fit, vt cum aptitudine & habilitate, cum promptitudine & alacritate, cum fortitudine & perſeuerantia, functiones Eccleſiaſticas quis exerceat, & munera omnia ad Sacerdotalem ſtatum ſpectantia peragat. Vnde facile eſt illius Spiritus Eccleſiaſtici notas perſpicere, ac

BIBLIOTEC. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vtrum quiuis Sacerdos Spiritum huius mundi acceperit, an Spiritum qui ex Deo eſt dignoſcere?

Is enim qui nec habet, nec habere curat aptitudinem & habilitatem ad ea debitè peragenda, quæ ſunt Eccleſiaſtici muneris: qui non ſatagit addijcere ea quæ requiruntur ad munus illud rectè ac decenter adimplendum; & contrà, ſe aptum & habilem exhibet ad ea quæ ſunt mundi, ad ſæcularia negotia, ad litigia, ad vanas conuerſationes; ad ludos. ad venationes, hic non habet Spiritũ Chriſti, nec eſt eius.

Præterea, qui munera quidem Eccleſiaſtica peragit, ſed perfunctoriè, oſcitanter, cum tædio ac torpore; qui v. g. in templi alicuius ſuæ cuſtodiæ demandati ornatu & decore ſeruando negligenter ſe gerit, qui in ſupellectili & veſtibus Sacris ſordidus eſt, in Diuinis officijs tepidus, in alijs functionibus Eccleſiaſticis obeundis remiſſus & cunctabundus; is haud dubiè Spiritu Chriſti non agitur: neſcit enim tarda molimina Spiritus ſanctus, & *maledictus omnis qui facit opus Dei* *Ierem. 48.* *negligenter*; neque Chriſto Domino inſeruiendum *ex triſtitia aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus*.

2. Cor. 9 Denique qui in muneribus Eccleſiaſticis exequendis minimæ difficultati cedit, qui conſueta pietatis exerci-

ria facile relinquit, qui mundano ti-
more concutitur, qui veritatem aut virtutem contra incredulos vel impios propugnare veretur, qui ſe Chriſti Domini ſeruum habitu, tonſura, reliquiſque exterioribus notis profiteri erubeſcit, is Spiritum non habet Chriſti, qui diſcipulis ſuis formam ſequendi ſe præſcribens; *ſi quis* (inquit) *vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Mat. 16 Quod perpendens D. Chryſoſtomus, recte dixit Sacerdotalem ordinem magnum & excelſum animum requirere, vnde illationem hanc terrore quidem plenam, ſed tamen veritati nimis conſonam deducit: *non temere* inquit *loquor, ſed vt affectus ſum & ſentio, non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalui fiāt, ſed multo plures qui pereant.* Homil. 3. in cap 1. Act. Apoſt. Quia ſcilicet pauci imo pauciores ſunt quam exiſtimetur, qui celſitudinem illam ac magnitudinem Spiritus Sacerdotalis obtineant.

Vt igitur veniat in nos Spiritus ille Chriſti, vt maneat apud nos, vt in nobis ſit & nobiſcum operetur, totis animi præcordijs optandus eſt, & cum deuotione ac feruore inuocandus. *Optaui* inquit Sapiens *& datus eſt mihi ſenſus, inuocaui, & venit in me Spiritus ſapientiæ.* Sap. 7. Et ipſe Chriſtus Dominus pollicitus eſt, patrem ſuum cæ-

leſtem

leſtem Spiritum bonum petentibus ſe daturum eſſe: vnde patet ad Spiritum illum Eccleſiaſticum accipiendum maxime vtilem eſſe orationem, eam præſertim quæ ſola mente peragitur, & quæ attenta diuinarum rerum meditatione, piiſque affectibus conſtat, de qua plenius in ſecunda huius operis parte agetur.

Præterea librorum piorum, ac præſertim Sacrarum Scripturarum, maximeque noui teſtamenti lectio attenta & deuota, mundanarum oblectationũ ac ſecularium negotiorum fuga, & è contra conuerſatio cum ijs perſonis in quibus Spiritus Eccleſiaſticus elucet, atque in miniſterijs, & functionibus ſacris frequens & ſedula exercitatio, plurimum conducere poſſunt ad eundem illum Spiritum tum copioſe recipiendum, tum ſeruandum & fouendũ.

Dicat igitur cum Pſalmiſta, & ex intimo cordis affectu frequenter repetat quiuis ordinibus initiandus, vel iam initiatus: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis: Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali cõfirma me: docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* *Pſal.* 50

CA-

CAPVT. VI.

De ſcientia Chriſtiano Sacerdoti neceſſaria.

SI (vt loquitur S. Leo) *vix in laicis tolerabilis videtur inſcitia*, (eorũ ſcilicet quæ ad cuiuſque officium pertinent) *quanto magis in eis qui præſunt, nec excuſatione digna eſt, nec venia. Quomodo enim* (inquit S. Bernardus) *excuſari poſſit in eo, qui ſe magiſtrum infantium, & doctorem inſipientium profitetur? ignorans vtique ignorabitur, imò & multos ignorare faciet & ignorari.* Vnde in Concil. Toleta. 4. dicitur quod *in Sacerdotibus ignorantia mater eſt cunctorum errorum*: addi poteſt cunctorum pene vitiorum, ſcandalorum, & reliquorum malorum quæ in Eccleſia Chriſti oboriuntur. *Epiſt. 22. ad Cõſtãt.* *in declamat. ſuper (ecce nos) &c.* *cap. 24.*

Ponamus enim Sacerdotem, eorum quæ ad miniſterium ſuum pertinent inſcitia laborantem: hæc eius ignorantia primò impetit Epiſcopum ipſum, à quo ſiue ex inaduertentia, ſiue ex nimia indulgentia ordinatus eſt, eumque participem facit omnium delictorum in quæ Sacerdos ignorans incurret: Et ſic eum quem vt animæ ſuæ

parentem obſeruare & amare tenetur, ſecum in eodem damnationis æternæ reatu inuoluet.

Præterea dedecus maximum adfert Eccleſiæ, ordinique Sacerdotali; in cauſa eſt cur ſacrum miniſterium vituperetur, Religio contemptui habeatur, miniſteria ſanctiſsima prophanentur, & ſæpe impiorum irriſioni exponantur.

Sed quis explicare queat damna, & detrimenta quæ imperitus Sacerdos Chriſtianis populis infert? Nonne ex Sacerdotum inſcitia Hæreſes vel originem duxerunt, vel incrementa maxima acceperunt? Nonne inde obortæ ſunt ſuperſtitiones, vanæ obſeruationes, & aliæ ſimiles peſtes quæ diuini cultus veritatem & ſinceritatem toties infecerunt? Nonne ex illa ſcaturigine effluxerunt praui & corrupti mores laicorum, quando nec docentur, nec arguuntur: quando *pro pane lapidē, pro piſce ſerpentem* ab ignaris & improuidis Sacerdotibus accipiunt; *& ſi cæcus cæco ducatum præſtet, nonne ambo in foueam cadunt?*

Luc. 11
Mat. 15

Epiſt. 2. ad Olymp.

Verè, & cum maxima ratione S. Chryſoſtomus conqueſtus eſt vnum ex maximis Eccleſiæ populique Chriſtiani infortunijs eſſe *ſi pro Paſtore lupum, prædonem pro gubernatore, carnificem pro medico accipias*, talis autem eſt

Epiſt. 131.

Sacer-

Sacerdos ignarus, qui cum neque paſcere, neque dirigere, neque ſanare nouerit, *tantis obeſt, quantis praeſt*, vt ait S. Bernardus.

Denique Sacerdotis inſcitia nulli magis quam ipſi non ſolum damnoſa eſt, ſed eſt etiam oneroſa: etenim *vir peritus animæ ſuæ ſuauis eſt*: at Sacerdos imperitus ſibi ipſi ſemper infeſtus, nullam animi quietem, nullam conſcientiæ pacem experitur: in omnibus fere actibus ſuis hæret dubius & anxius, illic ſæpe trepidat timore vbi non eſt timor: nullius famæ aut authoritatis apud laicos habetur, nullus ipſi credere aut fidere poteſt: & ſæpiſſime in Sacrarum functionum exercitio notabiles incurrit defectus, & grauiſſimis aliquando ſe ſacrilegijs neſcius implicat, à quibus tamen nullatenus inſcitia ſua excuſatur: denique totam penè vitam ſuam in otio tranſigit, & ex otio in vitia plurima delabitur. Eccl. 37

Et hoc eſt quod Deus olim per Prophetam conqueſtus eſt, *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti non valentes latrare, dormientes & amantes ſomnia, ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, &c. Venite ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, & cras, & multo amplius.* Iſa. 56.

Cum igitur adeo non modo damnoſa, ſed & damnabilis ſit Sacerdotis imperitia, videndum quænam ſcientia in eo requiratur; Seu quarum rerũ notitiã habere debeat. Neque verò hic metas, aut limites imponere cogitamus ijs, qui Diuinis humaniſque ſcientijs in excellenti gradu acquirendis incumbunt, eo fine vt aptiores ſeſe ad gloriæ Diuinæ propagationem, Religioniſque ac pietatis Chriſtianæ incrementum præſtent: quærimus ſolùm quæ ſcientia, & notitia viro Eccleſiaſtico abſolutè neceſſaria ſit, itaut abſque illa neque Sacerdotij onus tuta conſcientia ſuſcipere, neque poſtquã ſuſcepit, illius officia & munera debitè peragere poſſit. Omiſsis autem prolixioribus ſuper hac re diſputationibus, hic tantum breuiter adnotabimus ea quæ communi & recepto Eccleſiæ vſui magis conſona eſſe viſa ſunt.

Atque in primis ex communi Doctorum conſenſu Sacerdos Linguam Latinam callere debet, cum omnia fere Sacerdotalia munera, ſecundum Eccleſiæ leges, idiomate illo peragantur.

2. Talem præterea fidei ac myſteriorum Chriſtianæ Religionis notitiã habere tenetur, vt & veritates Catholicas ab erroribus damnatis & proſcriptis dignoſcere, & populo Chriſtiano

ea quæ credere & facere tenetur, explicare poſsit.

3. Oportet inſuper vt probe teneat quæ ſint leges & obligationes ſibi ab Eccleſia impoſitæ, vt illis plene ſatisfacere, & omnes miniſterij ſui partes implere poſsit v. g. qualiter officium diuinum recitare, bona Eccleſiaſtica impendere, habitum & tonſuram deferre, & alia ſimilia obſeruare teneatur.

4. Debet etiam ea ſcire quæ ſacras functiones, ac præſertim diuinum Miſſæ ſacrificium, & Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum populo Chriſtiano adminiſtrandum ſpectant: v. g. quæ ſit eius materia, forma? Quæ intentio, attentio, applicatio requiratur? Nec non qui ritus obſeruandi? Qui defectus cauendi ſint? Et qua ratione, quando inciderint reparandi?

5. Præſertim verò de ijs quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent inſtructum eſſe illum conuenit; itaut nō modo ipſe ſacrum illud lauacrum cum debitis diſpoſitionibus frequenter adire ſciat, quo majori puritate ac ſanctitate ad Myſteria Diuina pertractanda ſit ſemper & vbique paratus: verum etiam nouerit ea omnia quæ ex parte ſua requiruntur, vt ritè Sacramētū adeo neceſſarium fidelibus adminiſtrare queat, eiſque ad illud fructuosè

recipiendum opitulari: cui quidem Pœnitentiæ Sacramento iungi etiam debet Baptiſmus & Extrema-unctio; cum ſiue per neceſsitatem, ſiue per ſuperioris delegationem eorum adminiſtratio variis in caſibus ipſi competere poſsit.

Neque dicat quis ſe non eo fine velle ſuſcipere aut iam ſuſcepiſſe Sacerdotij ordinem, vt eiuſmodi Sacramentorum adminiſtrationi ſe immiſceat, ſed ſolummodò vt Miſſæ Sacrificio celebrando, cantui Eccleſiaſtico, alijſque minoribus officiis incumbat: quia Sacerdoti Chriſtiano talentum diuinitus in ordinatione acceptum pro libito in terram defodere, aut gratias & facultates in huius Sacramenti ſuſceptione collatas, in vacuum recipere licitum non eſt: ſeruus ſiquidem inutilis proiicitur in tenebras exteriores.

Quamuis enim nullus Sacerdos priuata authoritate Myſteriorum Dei diſpenſationem ſibi arrogare debeat; paratum tamen ſe & diſpoſitum ſemper exhibere tenetur, ad ea præſtanda quæ proprius Prælatus, cui reuerentiam & obedientiam pollicitus eſt, iniungere voluerit.

Verum concedatur Epiſcopum cum eo ſuper hac re indulgere, nec eum ad vllius vnquam Sacramenti adminiſtrationem vrgere; nonne occurrere poteſt,

teſt, & quidem non infrequenter, caſus aliquis extremæ neceſsitatis, in quo quiuis Sacerdos non modo poteſt, ſed etiam ſtrictiſsime tenetur moribũdo cuipiam per Sacramenti alicuius collationem opitulari: v. g. ſi infantulus recens natus de vita periclitetur, ſi aliquis adultus morbo aliquo repentino ad vltimum vitæ ſpiritum redigatur, ſi vulnere lethali ſauciatus, aut improuiſo aliquo caſu oppreſſus iamiam animam agat, nec alius adſit Sacerdos, niſi is qui nullatenus ſe adminiſtrandis Sacramentis immiſcere velle profeſſus eſt, & ideo ea quæ ad eiuſmodi miniſterium pertinent ſcire neglexit: quid tunc aget? In quas anguſtias ſe cum ipſo moribundo redactum conſpiciet? cum Sacramenti tunc adminiſtrandi, neque materiam, neque formam, neque alia ad validam & licitam illius adminiſtrationem tam ex parte ſua quam ipſius moribundi requiſita vnquam didicerit, aut penitus oblitus fuerit.

Ex quibus manifeſtum eſt, non ſine maxima ratione dictum eſſe, quemuis ad ordinem Sacerdotij promouendũ teneri ad illa cognoſcenda quæ Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant; quò poſsit ſiue ſuperiorum voluntati, ſiue occurrenti neceſsitati pro ſui officij debito ſatisfacere.

Porrò ea omnia, quæ ſupra diximus à quouis Sacerdote ſcienda & probè tenenda eſſe, in compendium redacta poterit quiſquis voluerit reperire in libello ante aliquot annos à nobis edito, cui titulus eſt (*Medulla Theologica ex ſacris ſcripturis, Conciliorum Pontificumque decretis & Sanctorum Patrum ac Doctorum placitis expreſſa, in qua quidquid tum ad fidei myſteria ſanè ac rectè intelligenda, & à quibuſuis erroribus diſcernenda, tum ad Sacramenta debitè conficienda & miniſtranda, tum ad actiones humanas iuxta diuina legis normam dirigendas ſpectare poteſt, facili ac compendiaria methodo explicatur.*) Quod tamen obſtare non debet quin pluribus aliis, iiſque optimis libris vtatur, inter quos primum ac præcipuum locum Sacris Biblijs, Concilij Tridentini Decretis, Catechiſmo Romano, nec non Paſtorali S. Gregorij, libriſque D. Chryſoſtomi de Sacerdotio tribuendum eſſe decernitur in Concilio Mediolanenſi primo, & quarto.

Quibus ſicut meritò adjungere poſſumus opera Illuſtriſsimi & nunquam ſatis laudati Franciſci Saleſij; ſic etiam à Sacerdotali Bibliotheca, profanæ litteraturæ libros quantum fieri poteſt optamus amandari. *Turpe eſt enim Sacerdotes* (vt conqueritur S. Hieronymus) *omiſſis Dei Euangelijs & Prophe-*

Epiſt. 146.

tijs

eijs comœdias legere, amatoria Bucolicorũ verſuum verba canere, Virgilium tenere; *Epiſt. 146.*
& id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis.

Quare quiuis Sacerdotio inſignitus hoc eiuſdem S. Hieronymi veluti ſibi dictum auſcultetur, *Diuinas Scripturas legere, imò de manibus tuis Sacra lectio nunquam deponatur: diſce quod doceas, obtine eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſis exhortari in doctrina ſana, & contradicentes arguere.* *Epiſt. ad Nepot.*

Sicut autem ea quæ ſuperius propoſita ſunt addiſcere, ſic & poſtquam didicerit eorum obliuionem maxime cauere debet Sacerdos; ideoque conſultiſsimum ipſi erit, frequenter de hiſce rebus cum alijs conferre, in difficultatibus peritiores conſulere, librum aliquem Theologiæ, præſertim moralis ſemper præ manibus habere, & ita circa illam Diuinarum rerum ſcientiã affectum eſſe, vt nullus elabatur dies, quin relectionem aliquam faciat eorum quæ ad munera ſacerdotalia debite obeunda, ſibi eſſe ſcitu neceſſaria cognouerit.

CAPVT VII.

De Innocentia vitæ, vel à Baptiſmo ſeruata, vel per pœnitentiam reparata quæ ad Sacerdotium requiritur.

Qvis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? (inquit Propheta regius, & ipſemet ſubdit) *Innocens manibus, & mundo corde*: & in Apocalypſi edicitur *abſque macula eſſe debere eos, qui aſtant ante thronum* Dei *& Agni, ſeruiuntque ei die ac nocte*; & in alio Scripturæ loco *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos*. Ex quibus & aliis ſimilibus Scripturæ locis cõſtat, peculiarem quandam conſcientiæ mũditiem animæque ſanctitatem in eo requiri, qui Sacramentum Ordinis ſuſcepturus eſt, aut in eo iam ſuſcepto miniſtraturus: *Væ ſiquidem filijs ira, qui ſe miniſtros gratiæ profitentur*.

Bernar. Serm. de conuerſ. ad cler. cap. 27.

Atque in primis cõſentiũt omnes illũ qui ſpeciali gratiæ Diuinæ auxilio innocentiam in Baptiſmo acceptam ſeruaſſet, ſi reliqua neceſſaria minime deſint, optimè ad ſacram Ordinationem

nem fore diſpoſitum: & è contra eum *qui* (vt loquitur Concilium Trident.) *Gratia Dei quam acceperat ingratus, Spiritum ſanctum contriſtare, & templum Dei* lethali aliqua culpa *violare non eſſet veritus*, Sacro illo charactere prorſus indignum fore, quandiu in illo peccati mortalis ſtatu perſeueraret: & nihilominus ad Sacramentum Ordinis digne ſuſcipiendum, & eius functiones debitè obeundas, per condignam pœnitentiam reparari & reſtitui poſſe: *errant enim*, (vt edixit S. Calixtus Papa) *qui putant Domini Sacerdotes poſt lapſum, ſi condignam egerint pœnitentiam, Domino miniſtrare non poſſe, & ſuis honoribus frui, ſi bonam deinceps vitam duxerint: & ſuum Sacerdotium condigne cuſtodierint, & ipſi qui hoc putant non ſolum errant, ſed etiam contra traditas Eccleſiæ claues diſputare & agere videntur, de quibus dictum eſt, (quæcumque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlo) alioquin hæc ſententia, aut Domini non eſt, aut vera non eſt.* Quod etiam communis Eccleſiæ praxis ſatis euincit, quæ nuſquam hodie ab iis qui ad Ordines promouendi ſunt Baptiſmalem innocentiam exigit; neque eos ab Ordinibus arcet, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum in peccata aliqua lethalia lapſi ſunt, dummodo tamen nullam irregularitatem induerant: Sed Seſſ. 6. cap. 14.

eos per veram & ſeriam pœnitentiam expiatos, & aliàs idoneos iudicatos, Sacris miniſterijs initiandos admittit.

Difficultas igitur præcipua eſt, quæ & qualis pœnitentia requiratur, vt is qui poſt Baptiſmum in peccata lethalia lapſus eſt, ad Sacramentum Ordinis dignè ſuſcipiendũ cõuenienter diſpoſitus cenſeatur? Ad cuius elucidationem obſeruandum eſt, in quolibet peccato tria potiſsimũ reperiri, ſcilicet reatum culpę, debitum pœnæ temporalis, & prauum peccandi habitum ſeu vitium, qui quidem habitus per actum ipſius peccati in anima producitur, in eaque remanet, & per recidiuam peccati augetur, magiſque ac magis in animo radicatur & roboratur.

3. p. q. 85. art. 2. Cum verò iuxta S. Thomæ doctrinam proprium Pœnitentiæ ſit *operari ad deſtructionem peccati* proindeque nõ ſolum delere culpæ reatum, & pro debito pœnæ temporalis ſatisfacere; verum etiam & conuenientibus virtutum exercitijs ipſum prauum peccandi habitum, vitiumque paulatim imminuere, ac tandem funditus ex anima tollere; quæritur, an vt quis conuenienter ad Sacros Ordines ſuſcipiendos diſpoſitus cenſeatur, ſatis illi ſit per Sacramentalem confeſsionẽ peccatorum mortalium quæ commiſit culpam eluiſſe? An verò inſuper oporteat, vt

prius ſatisfactiones ſibi à confeſſario pro pœnæ temporalis debito impoſitas impleuerit, ac præterea varijs ipſius Pœnitentiæ aliarumque virtutum exercitijs, ad vitia inolita extirpanda, prauoſque illos quos peccando contraxit habitus abolendos ſedulo laborauerit?

Et quidem de culpa cuiuslibet peccati mortalis per confeſſionem ante Ordinum ſuſceptionem eluenda certo certius eſt: de ſatisfactione autem pro peccatis occultis in confeſſione declaratis impoſita, nullus refragatur id pręſtandum eſſe, quod prudens confeſſarius iniunxerit; neque enim hic de criminibus publicis, infamiam quandam vel irregularitatem ſecum inuehentibus quæſtio eſt, de his ſiquidem iudiciũ ferre ad Pręlatos alioſque in foro exteriori Superiores pertinet.

Supereſt ergo vt breuiter propoſitæ difficultatis caput tertium diſcutiatur, videaturque qualiter ſe gerere debeant ij qui poſt Baptiſmum in peccata lethalia lapſi ſunt, in ijſque diuturno tempore hærentes, aut in eadem crebro relabentes, prauas aliquas peccandi habitudines contraxerunt.

Certe ſi quis attentè miniſterij Sacerdotalis dignitatem perpendat, ſi myſteriorum celſitudinem quorum diſpenſatio Sacerdotibus concredita eſt,

eſt, ſi ſanctitatem functionum illarum ad quas obeundas tum ipſi Sacerdotes, tum alij Eccleſiaſtici Miniſtri iugiter paratos ſe præſtare debent; facile perſpiciet non decere quemquam, adeo ſublimem gradum conſcendere qui vitiorum & prauorum quos peccando contraxit habituum, veluti quibuſdam compedibus & manicis totus adhuc præpeditus ſit.

Præterea quis ferat hominem è cœno peccati alicuius, v. g. impudicitiæ, in quo diu hæſerat, recenter emerſum, fœtoremque ac reliquias illius, id eſt, effrænatos concupiſcentiæ rebellantis motus, variaque obſcœnitatis phantaſmata circumferentem, mox Dei præpotentis Sanctuarium ingredi, tremendum illius altare circumire, ac immaculati agni carnes ſanctas manibus contrectare, in Sacrificium offerre, populo fideli diſtribuere. *Va* (inquit S. Bernardus) *ijs qui ambulantes in carne, Deo placere non poſſunt, & placare præſumunt*.

Ser. de conuerſ. ad cler. cap. 27.

Quiſquis ergo, (edicit S. Gregorius Papa) *quolibet vitio ſubigitur, panes Domini offerre prohibetur; ne profectò aliena diluere peccata non valeat is, quem adhuc propria deuaſtant*.

Paſtor. part. 1. cap. 11.

Non enim ad regimen Eccleſiæ promouendi ſunt (inquit Iſidorus Hiſpalenſis) *qui adhuc vitijs ſubiacent. Et moleſtum ſane*

Iſid. Hiſp. lib 3. Sẽt. c. 31

ſane eſt (vt alius Iſidorus loquitur) *delitijs ac libidini deditum hominem, Sacerdotem ordinari.* *Iſid. Peluſ. lib. 5 ep. 439.*

Appoſitè S. Bernardus aliquem huiuſcemodi alloquens, *Horreo* (inquit) *conſiderans vnde & quo voceris? Præſertim cum nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod vtcumq; huiuſmodi periculoſſimus tranſitus fiat, & quidem rectus ordo requirit vt prius propriã, deinde alienas ſtudeas curare conſciẽtias.* *Epiſt. 8. ad Brunum.*

Ex quibus omnibus, meritò inferre poſſumus, conſultiſſimum eſſe, vt non dicam in aliquo ſenſu neceſſarium, ijs qui à Baptiſmo ſuſcepto in peccata aliqua lethalia frequenter prolapſi ſunt, vel in eiuſmodi peccatis moras traxerunt, primò apud ſe diu multumque perpendere, num verè ad ſtatum Eccleſiaſticum diuino nutu vocemur? Peculiaris ſiquidem ratio ineſt, de talibus plerumque dubitandi: quod ſi nihilominus ijs qui ſupra explicati ſunt modis vocatos ſe eſſe deprehendant, antequam vlterius progrediantur, debent ſerio anteactę vitæ peccata plangere, de ijſque ex intimis animi pręcordijs dolere, & inuocata cœleſti gratia toto corde ad Dominum conuerti, pręmiſſiſque congruis diſpoſitionibus, confeſſionem generalem peccatorum omnium inſtituere, beneficioque abſolutionis Sacramentalis accepto, & ſa-

ſatisfactione impleta, non ideo ſe penitus exoneratos & liberos æſtimare, ſed denuo ad prauas illas habitudines quas peccando contraxerunt euellendas, & extirpandas manum apponere, & ad id, dignos Pœnitentiæ fructus exhibere, occaſiones peccatorum ſedulo deuitare, mortificationi ſtudere, virtutum operibus exercendis incumbere, ſicque veterem hominem exuentes nouum induere, & in nouitate vitæ ambulare: ac poſtquam tempore aliquo notabili iuxta prudentis ac pij confeſſarij conſilium, in hac pietatis virtutumque palæſtra, ſeſe exercuerint, tum demum in Spiritu humilitatis & animo contrito ſuſcipiendos ſe ſperare poterunt, ab eo cui ſpiritus contribulati ſacrificium ſemper acceptiſſimum eſt, quique cor contritum & humiliatum nuſquam deſpicit.

CAPVT VIII.

De rectitudine intentionis ad ſacrum Sacerdotij miniſterium digne ſuſcipiendum requiſita.

Matth. 6. SI *oculus tuus ſimplex fuerit*, (vt loquitur Chriſtus Dominus) *totum*

corpus

corpus tuum lucidum erit: ſi autem ocu-lus nequam fuerit, totum corpus tuum te-nebroſum erit. Quæ verba explicans S. Auguſtinus; *oculus noſter* (inquit) *intenſio noſtra eſt, quæ ſi recta fuerit & ſimplex opera noſtra munda facit, Deoque placentia: ſi verò appetitu rerum tempora-lium inquinatur, ipſum quoque opus ea intentione ſuſceptum ſordeſcit.* *Lib. de ſer. Domini in monte, in hæc verba.*

Ex quo ſequitur quod quamuis ſeipſum diuino cultui, per Ordinis alicuius ſuſceptionem mancipare, ſit actio ex ſuo genere optima & ſanctiſſima: illam nihilominus, ſi pura & recta intentio deſit, à bonitate & ſanctitate excidere; imò ſi praua intentio adſit, deformitatem illius induere, & ſic Deo valde exoſam fore: *optimi* ſi quidem *peſſima corruptio.*

Quiſquis igitur Sacræ Hierarchiæ nomen dare cupis, *ne lucra ſæculi, in Chriſti militia quæras* (vt monet S. Hieronymus) *magnus enim pudor eſt* (inquit S. Gregorius Nazianzenus) *Sacrarium ambire, tanquam non virtutis exẽplum, ſed victus parandi occaſionem & ſubſidium ordinem ſacerdotalem eſſe exiſtimes.* *Epiſt. ad Nep.* *orat. 1.*

Vnde in Concilio Colonienſi primo edicitur *accuratè inueſtigandum eſſe quo affectu ac propoſito ordinandi accedant? num videlicet Dei cauſa tantum, an potius ſuæ commoditatis gratia ad ordines* *Part. 1. cap. 19.*

capeſſendos aſpirent, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti? quid eſt enim ſua quærere, niſi cum tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt, temporalia commoda ſequentes, lucris inhiantes, honorem ab hominibus expectantes?

Atque vt rectæ illius intentionis ad Ordines Eccleſiaſticos digne capeſſendos neceſſariæ aliquod expreſſius paradigma, vel ab ipſius tonſuræ clericalis ſusceptione exhibeatur, debent qui ſtatum clericalem ambiunt ſerio apud ſe perpendere, quo fine, & quo motiuo, Eccleſiæ clero adſcribi velint? Hunc verò finem ſacra Synodus Tridentina præſcribit, ſcilicet *vt Deo fidelem cultum exhibeant*: quibus verbis, quædam obſeruatu digniſſima innuit: ea nimirum intentione clericalem tonſuram ſuſcipi debere, in primis, vt qui ſuſcipiunt, Deo cultum præſtent: id eſt, non vt lucra temporalia ſectentur, non vt prophanas ambitiones expleant, non vt ad beneficia Eccleſiaſtica captanda, & ſæpe contra ius faſque inuadenda ſint paratiores: ſed eo tantum fine, eo ſolo & ſimplici intuitu *vt Deo cultum præſtent*: & hunc *fidelem*, id eſt, vt quamuis nondum arctioribus vinculis diuino cultui mancipentur, & vt loquitur Concilium Moguntiacum *ſpontanea volunta-*

Seſſ. 23. cap. 4. de reformat.

Conc. Mog. ſub Carol. mag. c. 23.

re ſolummodo ligentur, tamen quod ore profitentur, etiam ſincero mentis affectu amplectantur, & cum Deum hæreditatis ſuæ partem eligere ſe declarent, tales etiam exhibere ſe fideliter intendant, qui nullam aliam ſibi partem præter Dominum quærant: *quid enim vltra quærit, cui omnia ſuus conditor ſit?* (ait S. Proſper) *aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit?* *Lib. 2. de vit. act. c. 16*

Ex quo ſequitur tonſura clericali inſigniri non poſſe niſi illicitè, & cum graui peccato, qui dum illam recipit, animum habet à clericali profeſſione auerſum, qui coniugium meditatur, qui vota ſæcularia cogitat, qui ſtatum aliquem clericali vitæ oppoſitum amplectendum ſibi proponit. *nemo certe* (iuxta Euangelicum effatum) *mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* *Vid. Nauar. in manua. c. 7. n. 11 Gamach. in 1. 2. q. 13. cap 36. Luc. 9.*

Quare (vt ſapienter monet Cardinalis Palæota) *Clericus omnis profiteri debet ſe Chriſti militem ſtipendiarium, conſtitutum ad vitia debellanda, ad profligandum Dæmonem, ad virtutem & bonos mores reuocandos, ad pietatem, iuſtitiam, ſanctitatemque in Chriſtianum orbem inducendam, & ad ea omnia peragenda quibus Chriſtus vincat, Chriſtus regnet, ac peccatum tanquam illius teterrimus hoſtis exterminetur.* *Serm. 1. ad cler. in Archiepiſcop. Bonon.*

Quod ſi adeò pura & ſancta intentio

ſtlo exigitur ab ijs qui prima duntaxat tonſura initiantur, qualem & quam perfectam & diuinam ad ſacros ordines & ad ipſorum ordinum verticem, Sacerdotium ſcilicet, requiri exiſtimabimus? Qualem Diuinæ gloriæ promouendæ zelum? Quam feruidam & ardentem erga proximos in ſalutis negotio iuuandos charitatem? Quantum denique & quàm excelſum virtutum omnium, quæ ſtatum Sacerdotalem decent, deſiderium?

Declamat in hæc verba, (ecce nos &c.)

Verum cum S. Bernardo conqueri liceat; *Quis iam ea intentione gradus Eccleſiaſticos, & miniſteria ſanctuarij quærit, imò quæritur? (quæri nempe potius quam quærere ipſe debuerat) vt ſine curis ſæculi, in ſanctimonia cordis & corporis, illuminandus accedat ad Dominum, & ſuam pariter ac proximorum ſalutem operetur, orationis ſtudio deditus, & verbo prædicationis? Nam ſi eos eo quærit & intendit animo, eoque intuitu, vt huius vitæ habeat neceſſaria, Euangelizet vt manducet; peruerſo nimis ordine, cæleſtibus terrena mercatur, Quàm certe dignius, ampliuſque conſentaneum rationi, vt pro carnali victu, carnalia magis opera & negotia exerceret, nec fieret inuerſor rerum, aut miniſterium ſpirituale inhonoraret.*

C A-

CAPVT. IX.

De alijs quibuſdam ad Ordinum Eccleſiaſticorum canonicam ſuſceptionem prærequiſitis.

PRæter illa quæ ſuperioribus capitibus explicata fuerunt, quædam adhuc obſeruanda ſuperſunt ad debitam & canonicam ordinum Eccleſiaſticorum ſuſceptionem, quæ hic breuiter proponentur.

In primis igitur cauere ſollicitè debet is, qui ordinibus initiari appetit, ne vlla cenſura innodatus, vllǒue canonico impedimento ſit irretitus: præcipua autem impedimenta irregularitatem inducentia duplicis generis ſunt; alia ſiquidem ex defectu, alia ex delicto procedunt.

Alij autem ſunt defectus in anima, vt ſi quis ſic amens, lunaticus, epilepticus, energumenus, illiteratus, neophytus, &c.

Alij ſunt in corpore, vt ſi quis ſit leproſus, mutus, cæcus, membro aliquo mutilatus, aut ita debilitatus, vel deformis, vt ordinum functiones, vel nullatenus exercere, vel non

niſi

niſi cum notabili indecentia poſſit.

Alij defectus famam ſpectant: vt ſi quis hiſtrionicam, aut alias artes exercuerit, quæ jure canonico vel ciuili, infamiam ſecum inuehunt.

Alij, natales: vt ſi quis ex illegitimo concubitu procreatus, vel parentibus hæreſi infectis, vel in hæreſi mortuis ortus ſit.

Alij, ætatem: quando ſcilicet quis ætatem ad ordines recipiendos jure præſcriptam nondum attigit, annorum ſcilicet 22. inchoatorum pro Subdiaconatu, 23. pro Diaconatu, & 25. pro Presbyteratu.

Alij, morum manſuetudinem: vt ſi quis directe vel indirecte quamuis iuſtè, alterius morti, aut mutilationi cooperatus ſit: quales ſunt iudices, accuſatores, teſtes, ſcribæ, apparitores, alijque officiales curiæ ſæcularis in cauſis criminalibus; Item ij qui in bello quamuis iuſto, occidunt vel mutilant, &c.

Alij denique defectus procedunt ex bigamia, ſiue reali, ſiue interpretatiua, ſiue ſpirituali, quando ſcilicet quis vel bis nupſit, vel viduam duxit, vel poſt caſtitatis votum emiſſum, licet cum diſpenſatione, matrimonium contraxit.

Impedimenta ex delicto ſex præcipua ſunt: ſcilicet, 1. Homicidium volunta-

luntarium aut iniuſta mutilatio alicuius; 2. Iteratio Baptiſmi ſcienter & culpabiliter facta: 3. Cenſuræ alicuius Eccleſiaſticæ violatio. 4. Ordinatio per ſaltum: 5. Solemnis functio alicuius ordinis nondum recepti. 6. Hæreſis.

Quæ quidem omnia hic memoriæ tantum iuuandæ gratia breuiter ac ſtrictim propoſita, fuſiùs & deſtinctiùs explicata videri poſſunt apud Iuris canonici interpretes, aut alios moralis Theologiæ ſcriptores.

Oportet igitur vt ordinandus quiſque diligenter perſpiciat, & expendat, num aliquo ex his impedimentis implicatus ſit, vt vel diſpenſationem via legitima quærat, vel ab ordinibus ſuſcipiendis abſtineat.

Obſeruare ſecundo debetis qui ſtatum Eccleſiaſticum ſeu Sacerdotium appetit, ne aliquid præter charitatis vel iuſtitiæ, aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ ordinem admittat: charitatis quidem, ſi v. g. parentes eius egeſtate conficiantur, eiuſque opera & labore ad neceſſaria vitæ indigeant: iuſtitiæ verò ſi v.g. quis multis oneratus debitis ad ſtatum Sacerdotalem confugiat, vt priuilegij clericalis obtentu fraudet creditores: demum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi v.g. quis varijs ſæcularibus negotijs implicatus, tutelis, alijſque

ratio-

rationibus reddendis obnoxius ſe clero adiungat: in his enim & ſimilibus caſibus præſtat vel differre promotionē ſuam, vel ab ea penitus ſe remouere, quam Eccleſiaſticum aliquem Ordinē inordinatè appetere.

Obſeruare tertio debet vt in varijs Ordinum gradibus interſtitia temporum à ſacris canonibus præſcripta religioſe ſeruet; *Quis enim* (inquit Zozi-
Epiſt. 1. cap. 1. mus Papa) *inuenitur tam arrogans, vt in cœleſti militia ſtatim dux eſſe deſideret, cum tyro ante non fuerit? &c. aſſueſcat itaque in Domini caſtris, in lectorum primitus gradu diuinique rudimentis ſeruitij, nec illi vile ſit Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum, per ordinem fieri; nec id ſaltu, ſed ſtatutis, maiorum ordinatione, temporibus. Iam verò ad Presbyterij faſtigium talis accedat, vt &*
Seſſ. 21. c. 11. 13 & 14. de refor. *nomen ætas impleat; & meritum probitatis ſtipendia ante acta teſtentur.*

Cenſuit nihilominus Tridentinum Concilium vt ab interſtitijs Ordinum diſpenſare poſsit Epiſcopus, ſi ita ipſi videatur: vtque ad altiorem ordinem quis etiam ante elapſum annum à ſusceptione poſtremi, ſi neceſsitas aut Eccleſiæ vtilitas id expoſcat, iudicio Epiſcopi promoueri poſsit.

Obſeruare debet quarto vt antequam promoueatur, illius ordinis quē ſuſcepturus eſt functiones probe exercere

cere nouerit, didiceritque cantum Eccleſiaſticum, & alia ſimilia quæ ad miniſterium ſuum ritè obeundum neceſſaria ſunt, vt in eo debitum Eccleſiæ obſequium iuxta ipſius Concilij Tridentini decretum impendere poſsit. *Sup. cap. 13. de ref.*

Denique cuilibet ordinando exactè ſeruandum eſt eiuſdem Concilij Tridentini decretum quo *ſtatuit, ne quis Clericus ſecularis quamuis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad ſacros ordines promoueatur niſi prius legitimè conſtet eum beneficium Eccleſiaſticũ, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere: id verò beneficium reſignare non poſsit, niſi facta mẽtione quod ad illius beneficij titulum ſit promotus? neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito quod aliũde viuere cõmode poſsit: & aliter reſignatio facta nulla ſit, Patrimonium verò vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos pro neceſsitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum: eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe quæ eis ad vitam ſuſtentandã ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſsint; donec beneficium ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant vnde viuere poſſint: antiquorum ca-* *Seſſ. 21. cap. 2. de ref.* *Vid. can (ſanctorum) diſtin. 70. can. (cũ ſecundum) de prabendis, & can (ſi Epiſcopus) de preb. in 16.*

canonum pœnas ſuper his innouando.

Quoniam verò in varijs diœceſibus Epiſcoporum cura & ſollicitudine, plurima eaque ſaluberrima decreta edita ſunt de ijs quæ ad digniorem ac perfectiorem ordinum ſuſceptionem ſeruanda ſunt: ideo quiliber ordinandus hanc præſertim afferre debet diſpoſitionem, vt iuxta monitum Apoſtoli, præpoſitis ſuis fideliter obediat, ijſque ſubiaceat, quam exactiſſimè ſeruando ea quæ à proprio Prælato, alijſque ab ipſo ad eiuſmodi curam delegatis facienda præſcribentur.

CAPVT. X.

Explicantur proximæ & immediatæ diſpoſtiones ad ſacramentum Ordinis debite ac dignè recipiendum.

INter ſolemnes illos ritus quibus altaria Diuino ſacrificio peragendo conſecrantur, quinque ſunt præcipui, quos non incongruè hic referre poſſumus, ad deſignandas quinque proximas diſpoſitiones, quæ maximè deſiderantur in ijs, qui & altari inſeruire, &

& ipſimet velut myſtica quædam altaria & templa eſse debent ſpeciatim diuino cultui dedicata: imo quos hortatur Apoſtolus *vt corpora ſua hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, exhibeant.* *Rom.* 12

Primo igitur multiplex & myſtica lotio cinere, & ſale, cum aqua admixtis adhibetur: tum variæ & ſolemnes precationes offeruntur: exinde crebri ſuffitus: poſtea multoties repetitæ vnctiones & chriſmationes: ac demum plurimorum luminarium ſuper ipſa altaria accenſiones & conſumptiones ſacro illi ritui finem imponunt.

Atque in primis multiplex illa lotio deſignat primam & præcipuam ad ſacramentum Ordinis ſuſcipiendum diſpoſitionem, ſcilicet conſcientiæ à quibuslibet peccatis perfectam quantum fieri poteſt purgationem: idque non modo Sacramentali confeſsione, quæ in varijs noſtræ Galliæ Concilijs, Ordinum ſuſceptioni præmittenda decernitur: ſed etiam crebrius repetitis veræ humilitatis & contritionis actibus, nec non ſalutaribus quibuſdam mortificationis ac pœnitentiæ exercitijs, itaut quiſquis ad ſacrum miniſterium promouendus eſt, cum Propheta ſæpius inclamet. *Amplius laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo* *In Syn. Trecēſ. ā.* 1427 *Carnot. ā.* 1526 *Pariſiē. ā.* 1557 *Bituric. ā.* 1587 *Pſal.* 50

munda me: & ſic in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipi mereatur.

Secunda diſpoſitio eſt crebra & feruens oratio: ſicut enim quiuis ad ſacrum miniſterium promouendus, ſpecialiſsimis & affluentiſsimis Diuinæ gratiæ auxilijs indiget, vt illud dignè recipere, & debitè exercere queat; ſic illam gratiam crebra & feruenti prece poſtulare debet ab eo, *qui dat omnibus affluenter & nemini improperat:*, crebro igitur intret in cubiculum cordis ſui, claudat oſtia ſenſuum ſuorum ſuper ſe: & ex intimo cordis affectu oret Patrem illum cœleſtem, qui dat Spiritum bonum petentibus ſe.

Tertia diſpoſitio per ſuffitus expreſſa conſiſtit in varijs virtutum affectibus, qui ſiue pœnitentiæ, ſiue orationis, ſiue alijs pietatis ac Religionis exercitijs intermiſcendi ſunt; ijſque quaſi quibuſdam cæleſtibus odoramétis ipſius ordinandi anima veluti reſpergenda, & præparanda, itaut dicere
Cant. 1. queat, *dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* Nunc igitur inſtar alterius Miphiboſeth, ad Regium hoſpitium & epulum iamiam
2. reg 9. admittendi exclamet; *Quis ego ſum ſeruus tuus Domine mi Rex, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei.* Nunc cúm Regio Pſalte; *Quam dile-*

dilecta Tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Nunc cum eodem repetat *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius*. Nunc iſtud animo reuoluat. *Quis aſcendet in montem Domini aut quis ſtabit in loco ſancto eius? innocens manibus & mundo corde*, &c. ſibique ipſi diffidens, inclamet; *ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo*. & ſic hos alioſque ſimiles affectus, veluti ſuaues quoſdam ſuffitus emittat, eiuſque anima ſit *per deſertum aſcendens quaſi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris*.

Pſ. 83. *Pſ. 47.* *Pſ. 23.* *Pſ. 18.* *Cant. 3.*

Quartam diſpoſitionem vnctio & Chriſmatio deſignat, charitatem ſcilicet, quæ eſt oleum illud lætitiæ quo præ alijs participibus ſuis vngi debet quiuis diuino cultui conſecrandus: imò, quo ad exemplum illius ſanctæ ad triclinium Diuini conuiuij admiſſæ, Chriſti Domini pedes & caput inceſſanter inungere debet, idque iteratis in eum feruentis amoris actibus. Cum enim per ſacram Ordinationem ad eũ ſtatum eleuetur, in quo non iam ſeruus ſed amicus ab ipſomet Chriſto Domino nuncupatur, ab eoque ſpecialiſſimæ beneuolentiæ pignora accipiat: vt tali tantoque amico vicem rependere vtcumque incipiat, nihil melius

præſtare poteſt, quam ſi ex toto cordis affectu diligat eum à quo prior dilectus eſt.

Dicat igitur cum Pſalmographo; *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, ſuſceptor meus & liberator meus, &c.*
Pſ. 17.
Repetat crebro cum eodem, *quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: & mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam, vt annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.* libentiſſime ſubſcribat Apoſtolo edicenti. *ſi quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, Anathema ſit:* & cum eodem Diuinæ gratiæ innixus fidenter exclamet, *quis ergo nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an gladius? an fames? an nuditas? &c.*
Pſ. 72.
1. Cor. 16.
Rom. 8.

Quinta denique diſpoſitio adumbrata per accenſionem & conſumptionem, eſt deuotio, quæ vt Illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis rectiſſimè dixit, charitatis igneſcentis veluti flamma eſt, & quæ tum ipſius charitatis, tum aliarum virtutum operationes conſummat & perficit; ſi igitur vllum tempus eſt in quo effulgere & efferuere debeat deuotio, illud maxime cum quis Diuino cultui totum ſe deuouere diſponit: & hæc deuo-

deuotio tum actiones omnes antecedentes, tum præſertim ipſam Ordinis ſuſceptionem comitari & perficere debet; itaut & fidem accendat, & reuerentiam excitet, & modeſtiam componat, & attentionem in tantis Myſterijs perficiendis neceſſariam inſpiret.

Has igitur diſpoſitiones Ordinandus inſtante iam hora ſuæ promotionis animo repetens, cum Pſalmiſta dicat, *hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei.* Pſ 41.

Et cum ſe nomine proprio vocari audierit, ſacro horrore plenus & ſummiſſi animi reuerentia, tanquam ipſiuſmet Dei audita voce accedat; & impoſitionem manus Epiſcopalis accipiens, manum Chriſti inuiſibiliter extenſam, & Sacramentum perficientem adoret, & ſpiritu oſculetur: & ſiue procumbat in faciem, ſiue genuflexus communes cum alijs preces offerat, ſiue fidei & obedientiæ profeſsionem emittat, ſiue reliqua ex præſcripto Eccleſiæ exequatur, omnia in Deo, coram Deo, propter Deum & cum Deo peragat.

Et tandem perfecta Ordinatione, conſummatis Myſterijs, gratiiſque Deo actis, cum pace diſcedat; id eſt,

cum ea mentis tranquillitate, & ad gratiam ſuſceptam attentione, vt nihil rerum occurrentium animum interturbet: ſed potius vt nouum hominem iam indutus, qui creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis, nouam vitam feliciter inchoet, & ambulare digne Deo incipiat, vocatione qua vocatus eſt.

Vt verò ſupra dicta omnia melius animo concipiantur, firmiuſque inhæreant, & ordinandi ipſi ad ſacra miniſteria capeſſenda perfectiùs diſpoſiti accedant; conſultiſſimum erit vt per aliquot dies, reliquis curis & conuerſationibus ſæcularibus ſepoſitis, huic vni negotio vacent, & eo fine aptum aliquem ſeceſſum petant: vbi ſpiritualibus exercitiis & ſanctis meditationibus pios affectus foueant, concepta deſideria obfirment, ſeque ipſos paratiores exhibeant ad vberiores gratiæ cæleſtis influxus in ſe recipiendos.

Leuit. 1. Quod quidem quantùm Deo placeat, & quam aptum ſit ad finem hunc conſequendum, teſtatur id quod in veteri lege Aaroni, eiuſque filijs præſcriptum Diuinitus fuit, nimirum vt de oſtio tabernaculi per ſeptem dies non egrederentur, vſque in diem, quo conſecrationis illorum tempus compleretur: quo toto temporis ſpatio, die ac nocte manere debebant in tabernaculo

lo, obſeruantes cuſtodias Domini, & varijs religionis exercitijs operam dantes.

Quod & poſtea in lege gratię à pluribus ſanctiſſimis viris ante ſacram Ordinationem ſeruatum fuiſſe Eccleſiaſtica Hiſtoria teſtatur; & nunc etiam varijs in locis ſeruari cum maximo Eccleſiaſticæ diſciplinæ profectu, ipſa docet experientia.

Et quoniam, vt ait Regius Pſaltes, *in meditatione ignis exardeſcit* viſum eſt ſubiungere capite ſequenti ſelectas aliquas meditationes, huic receſſui aptas ad inſtar illarum quas Illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis in parte prima ſuæ Philotheæ, ſeu ad vitam pie inſtituendam manuductionis, exſcripſit; quæ quidem ſic diſpoſitæ ſunt, vt tam ijs qui ſacros Ordines ſuſcepturi ſunt, quam illis qui iam ſuſceperunt vſui eſſe poſſint. Pſ.38.

Quod ſi quis meditationis ſeu orationis mentalis praxi nōdum aſſueuit, ea perlegere poterit, quæ ſuper hac re in ſecunda parte huius operis explicata reperientur.

CAPVT XI.

MEDITATIO PRIMA.

De beneficio vocationis ad ſtatum Sacerdotalem.

1. Conſidera quantum ſit illius Diuinæ vocationis beneficiũ ex parte ipſius Dei; qui ex pura miſericordia cum ipſi nullatenus vtilis aut neceſſarius, imò penitus inutilis eſſes, te nihilominus præ multis aliis ad ſuum miniſterium vocauit & elegit: Dic
Pſ. 15. illi cum Propheta; *Conſerua me Domine quoniam ſperaui in te, dixi Domino Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Dic tibi ipſi, & ſæpius repete, ſeruus inutilis ſum, vtinam quod teneor facere, hoc faciam. Agnoſce quantum Diuinæ bonitati debeas? Vide quid illi pro tam ineffabili erga te miſericordia & munificentia, rependere velis.

2. Conſidera magnitudinem illius beneficij ratione ſublimitatis & excellentiæ ſtatus illius ad quem vocatus
1. Reg. es: *Num parum vobis videtur, eſſe*
18. *generum Regis?* (aiebat Dauid) *ego*

au-

autem ſum vir pauper & tenuis: ſed quantum videri debet, eſſe miniſtrum & cooperatorem ipſius Regis Regum Ieſu Chriſti, & diſpenſatorem myſteriorum eius? Quid & quantum, eſſe illius non ſeruum, ſed amicum? Et tu quis es qui ad tam ſublimem honoris ac dignitatis gradum voceris? Nonne longe potiori ratione dicere debes, *Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei: adiutor & protector meus es tu, Domine ne moreris.* Pſ. 69.

3. Conſidera & ſeriò perpende in illo vocationis beneficio, Diuinæ erga te charitatis exceſſum, ratione indignitatis tuæ, & peccatorum à te commiſſorum: qui enim ob *iuuentutis tuæ delicta & ignorantias* puniri dignus Pſ. 24. eras, qui ob tot gratias neglectas, imò ſæpe abiectas, & repudiatas, abijci & repudiari merebaris, inſcrutabili Dei miſericordia ad diuinum miniſterium vocatus es, & ex *vaſe contumeliæ*, factus es *vas honoris & electionis*. Suſcipe & mirare Diuinæ erga te bonitatis diuitias. Caue ne forte *ſecundum duritiam tuam & impœnitens cor, theſauriſes tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Vide quomodo & Rom. 2. qua ratione ſatagere velis *vt per bona opera certam tuam vocationem & electionem facias*; inſpice in particulari 2. Pet. 1. quæ opera præſertim Deus à te requi-

rat, & eius gratiam inſtanter deprecare.

MEDITATIO II.

De ſcopo, & fine vocationis ad ſtatum Sacerdotalem.

COnſidera Chriſti Domini verba quibus declarat quis ſit finis & ſcopus vocationis ad ſtatum Sacerdo-
Io. 15. talem & Eccleſiaſticum, *Non vos me elegiſtis* (inquit) *ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Poſuit igitur diſcipulos ſuos, eorumque ſucceſſores, & quotquot ad miniſterium elegit & vocauit, non vt otio marceſcant, non vt temporalibus commodis fruantur,
Pſ. 83. non vt gloriam mundi captent; *ſed vt eant de virtute in virtutem*, vt Domini ſui veſtigia ſectentur; *qui* enim *mihi*
Io. 12. *miniſtrat* (inquit) *me ſequatur.* Igitur quando Diuinæ illius vocationis gratiam primo accepiſti, illud idem tibi, quod vnicuique diſcipulorum
Matt. 9. à Chriſto dictum puta, *ſequere me.* Vide, quo animo Dominum tuum ſequaris, & an ideo ſtatum Eccleſiaſticum amplecti velis, aut iam amplexus

xus, ſis vt illius veſtigijs inſiſtas, *vt quomodo ille ambulauit, ſic & tu ambules.* 1. Io. 2.

2. Conſidera te vocatum eſſe non modo *vt eas*, & profectu tuo ſpirituali intendas, ſed etiam *vt fructum afferas*, vt acceptum talentum cum fœnore multiplices, vtque Diuinæ gloriæ propagandæ, & animarum ſaluti procurandæ totus impendaris; idque ſacrificijs & orationibus incumbendo, officia & munia Eccleſiaſtica debite peragendo, ignaros inſtruendo, peccatores arguendo, obſecrando, increpando, cum omni patientia & doctrina, & alia Religionis & charitatis opera perficiendo: magnus vtique labor, *ſed magna gloria ſequi Dominum, Euangelio collaborare, adimplere quæ deſunt paſſioni Chriſti*, non vtique defectu valoris, ſed exceſſu charitatis, qua Deus nos in ſocietatem filij ſui vocare dignatus eſt, *vt ſi compatimur, & conglorificemur*. Si laborum & paſſionum ſocij ſumus, ſimus etiam conſolationis & regni. Vide igitur quem in Eccleſia fructum afferre intendas? Cui operi præſertim incumbere, & quomodo illud exequi velis.

Eccl. 23. 2. Tim. 1. Colloſſ. 1 Rom. 8.

3. Conſidera quam excelſus, quam optabilis ſit finis vocationis tuæ, præ illo quem ſibi vt plurimum in ſuis laboribus, occupationibus, negotiationibus, præfigunt perſonæ laicæ & ſeculares

lares

lares; ſcilicet temporalia lucra, ſæculi honores, vitæ commoda & voluptates: & quid ſunt hæc omnia? Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub ſole? Ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus. At verò ſeruorum Chriſti labor inanis non eſt, ſed præterquam quod ex hac

Luc.6. vita mercedem, *menſuramque bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem recipiunt*; teſtatur Apoſtolus

2.Cor.4 *leue & momentaneum onus tribulationis, æternum gloriæ pondus in illis operari*. Et quamuis nullus eſſet tantæ mercedis intuitus; quanti fieri deberet labor ob Chriſti gloriam ſuſceptus? Sed nunquid laborare dicendi ſunt illi qui verè Chriſtum diligunt? *Vbi enim amor, ibi non eſt labor*. O vtinam talis eſſes, qualis ille cui inter labores & æſtus

Geneſ. 29. *videbantur dies pauci præ amoris magnitudine!*

MEDITATIO III.

De donis & gratijs eximijs ſtatui Sacerdotali annexis.

1. Conſidera gratias vberes & eximias quæ diuinitus conce-

ceduntur ijs qui ſacram Ordinationem dignè ſuſcipiunt; ac in primis gratiam ſanctificantem, quæ non niſi copioſiſſima per hoc Sacramentum confertur; tum virtutes infuſas, exinde dona Spiritus ſancti, quæ ſimul cum gratia infunduntur: vt animam illius qui ordinatur magis ac magis ſanctificent, ornent, perficiant: demùm gratiam Sacramentalem quæ conſiſtit in varijs illuſtrationibus, motionibus, alijſque cæleſtibus auxilijs, quæ ad ſacra miniſteria ritè obeunda ſuo tempore præſtantur ab eo, qui eſt *adiutor in opportunitatibus*. Nonne hanc diuinam perpendens munificentiam fateberis, quia *facile eſt in oculis Domini ſubito honeſtare pauperem*. Vide igitur quomodo teipſum ad tot tantaſque gratias vbertim accipiendas cõuenienter præpares? quas orationes, quæ virtutum opera & exercitia ad id impendere velis? qua fidelitate illis acceptis vti? Pſal. 9. Eccleſ. 11.

2. Conſidera excellentiam poteſtatis quæ per ſacros Ordines, ac præſertim per Sacerdotium confertur, tum ad nobiliſſima munera circa diuinum cultum obeunda, tum ad præſtantiſſima charitatis opera pro ſanctificatione & ſalute animarum exercenda, tum maxime ad res diuinas pertractandas, Sacramenta ſcilicet conficienda & miniſtranda, præſertimque

ſan-

ſanctiſſimum Dominici corporis Sacramentum & ſacrificium peragendũ, nec non ad peccata remittenda, & gratiam reconciliationis Pœnitentibus conferendam: Quis iſta ſerio cogitans non obſtupeſcat, Deum hominibus infirmitate circumdatis, mortalitatemque ſuam circumferentibus, id elargitum fuiſſe, quod nuſquam Angelis conceſſum eſſe voluit? Cui enim aliquando Angelorum dixit, quorum remiſeris peccata remittuntur eis? Cõfitere igitur cum Propheta, *Quis ſicut*
Pſ. 112. *Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra, ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore eleuans pauperem, vt collocet eum cum principibus populi ſui.* Et teipſum diuina dignatione de terra ſuſcitatum, & de ſtercore eleuatum, & cum principibus collocatum videns, diffide
1. Pet. 5. tibi ipſi, *humiliare ſub potenti manu Dei*, & inſtanter eius gratiam require: vt hæc tui eleuatio non ſit tibi occaſio ruinæ, ſed ſalutis.

3. Conſidera & ſerio perpende di-
Luc. 12. ctum Euangelicum, *omni cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo*. Is certe cui quinque talenta tradita fuerant, alia quinque lucratus eſt, nec laudari, imo fortaſſis abijci meruiſſet; ſi duo tantum retuliſſet.

Caue

Caue igitur ne tot dona, totque gratias in vacuum recepiſſe dicaris? vide quem vſum donorum illorum & beneficiorum diuinorum facere intendas? quod fœnus Domino referre; ac proinde quam ſedulo & diligenter *in omnibus exhibere teipſum velis ſicut Dei miniſtrum in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, &c.* *2.Cor.6*

MEDITATIO IV.

De grauitate peccatorum quæ committuntur à Sacerdotibus aliſque perſonis Eccleſiaſticis.

1. CONſidera & perpende grauitatem peccatorum illorum ex circumſtantia perſonæ peccantis. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos*, inquit Chriſtus Dominus, ſuos diſcipulos, eorumque ſucceſſores alloquens; quanto igitur maior felicitas & dignitas ſublimior, eſſe ipſiuſmet filij Dei, non modo ſeruum, ſed amicum, tanto infeliciùs & indigniùs eſt, tantum, & tam amabilem Dominum offendere, eiuſque amicitiam contemnere ac peccato violare. Vnde per *Io.15.*

Pro-

Prophetam conqueritur. *Quid eſt quod*
Ierem. 11. *dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* &, *ſi inimicus meus maledixiſſet*
Pſ. 54. *mihi, ſuſtinuiſſem vtique; tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, &c.* Vide ne ſis ille, de quo tam grauiter conqueritur; ne inquam, tot beneficijs cumulatus, tot cæleſtibus gratijs perfuſus, toties ad ſacram illius menſam & ſecretiora myſteria admiſſus, toties propria ipſius ſubſtantia velut ſucco quodam diuino recreatus & enutritus, nulla tamen iſtorum omniũ habita ratione tantorum bonorum authorem peccato tuo violaueris; & hoc agnoſcens, humiliare, confundere, ingemiſce.

2. Conſidera eorumdem peccatorum grauitatem ratione ingratitudinis adiunctæ, repete animo quæ præcedenti meditatione dicta ſunt, adde omnes effectus ſpecialis erga te prouidentiæ & beneuolentiæ quos à Deo accepiſti, gratias omnes quibus præuẽtus es, & peccatis à te commiſſis oppone; & audi vocem Dei conquerentis,
Iſa. 5. *Quid eſt quod vltra debui facere vineæ meæ & non feci? an quòd expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruſcas?* Sed contremiſce ad hæc Apoſtoli ver-
Heb. 6. ba, *Terra ſuperuenientem bibens imbrem, proferens autem ſpinas & tribulos,*

re-

reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem, Vide poſt tot & tantarum gratiarum imbrem ſuper te effuſum, ne ſis terra illa reproba, & maledicto proxima; & pete à Deo *meliora & viciniora ſaluti*. *Ibid.*

3. Conſidera, & apud temetipſum perpende, quot & quanta peccata commiſiſti, antequam ad ſacrum miniſterium accederes; quot & quanta ab eo tempore quo in Eccleſiæ ſacrarium es admiſſus? Nonne, merito dicere debes *comprehenderunt me iniquitates meæ & non potui vt viderem: multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me, & quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum* vt condigne peccata quæ in Deum meum commiſi defleã, & ſint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Vide præterea & perſpice peccatorum illorum ſcaturigines & fontes, id eſt, prauas inclinationes, paſſiones indomitas, appetitus inordinatos: circumſpice etiam cauſas exteriores, occaſiones periculoſas, conuerſationes inutiles & plerumque nociuas: & inuocata Dei miſericordia, apud temetipſum propone quid agere debeas, quæ remedia adhibere, vt peccare ceſſes, innocentiamque peccatis deperditã veræ pœnitentię exercitijs, *Pſ.39. Ier.9.*

ciujs, & virtutum contrariarum actibus reparare ſtudeas.

MEDITATIO V.

De morte eorum qui in ſacris miniſterijs vitam traduxerunt.

1. Conſidera quam felix, quam pretioſa coram Deo mors pij Sacerdotis, qui fideliter miniſterium ſuum impleuit, *qui bonum certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit*: Hæc mors eſt illi finis belli, laborumque omnium diuinę gloriæ cauſa ſuſceptorum, & initium æternæ pacis ac beatæ quietis. *A modo iam dicit ſpiritus vt requieſcat à laboribus ſuis. Quanta eſt dignitas* (inquit Beatus Cyprianus) *& quanta ſecuritas, exire hinc lætum; & claudere in momento oculos quibus homines videbantur & mundus; & aperire eoſdem ſtatim, vt Deus videatur & Chriſtus.* Nonne igitur toto affectu talem mortem exoptas? Nonne in corde tuo dicis *moriatur anima mea morte iuſtorum & fiant nouiſſima mea his ſimilia.* Vis mori morte iuſtorum, viue vita iuſtorum, opera iuſtorum exerce, *quia*

2. Tim. 4.

Apoc. 14

Lib. de exhortat. mart.

Nu. 23.

Apo. 14

opera illorum ſequuntur illos: dum tempus habes, operare bonum: in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Beatus vtique *ſeruus quem cum venerit Dominus inuenerit ſic facientem.* Galat.6 2. Tim. 4.

2. Conſidera è contrario, quam funeſta, quam infelix, quam horrenda mors eorum qui in Eccleſiaſticis ordinibus vel muneribus conſtituti infideliter vel perfunctoriè ſe geſſerunt; qui neglecto Dei cultu & Eccleſiæ obſequio, vitiis ſe immerſerunt, cupiditatibus obſequuti ſunt, & carnis curam fecerunt in deſiderijs: *venient tunc in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum, & erunt decidentes ſine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum.* Sap. 4. Sed quæ tunc anguſtia, quis animi cruciatus, quis terror miſerum ſacerdotem inuadit? cum & præteritæ vitæ tam inutiliter, tam culpabiliter impenſæ recordatur, & mortis inſtantis acerbos dolores perſentit, & proxime futuri iudicij exitum perhorreſcit. Obſtupeſce ſuper cæcitate tot infelicium Sacerdotum, qui de iſtis nuſquam in vita ſua recogitant; vide ne de illorum numero ſis.

3. Conſidera *ſtatutum eſſe omnibus hominibus*, proindeque omnibus Sacerdotibus, *ſemel mori*. In hoc enim na- Hleb.9 Iſa.24.

turæ

turæ debito *erit ſicut populus ſic Sacerdos*: moriendum igitur tibi eſt, qualiſcũque ſis, mortis in te ſententia prolata eſt; ſed quo tempore: qua hora? *ſero? an media nocte? an galli cantu? an manè?* non conſtat, pœna certa eſt, hora incerta. Moriendum tamen eſt, idque ſemel tantum; ſi pluries, ſi bis, quod vna vice deeſſet suppleretur altera: ſed *ſtatutum eſt ſemel mori*: & interim ex illo mortis tuæ momento, ſalutis vel damnationis tuæ pendet æternitas. Iuſtorum vel peccatorum morte moriendum tibi eſt, elige: & ſi ſapis; dum tempus tibi eſt, ita vitam tũam inſtitue vt morte iuſtorum mori dignus ſis: & ad maiorem cautelam ſingulis diebus, præſertim ante ſomnum in eo ſtatu teipſum compone, in eo ſenſu, in ijs animi diſpoſitionibus, in quibus vltimo vitæ tuæ momento inueniri velles.

Marc. 13.

Heb. 9.

MEDITATIO VI.

De vltimo examine & iudicio eorum qui muneribus Eccleſiaſticis functi ſunt.

2. Cor. 5. CONſidera & ſerio perpende hæc Apoſtoli verba, *Omnes nos*

nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Omnes, inquit oportet manifeſtari, nullus excipitur; proindeque eodem momento quo vltimum vitæ tuæ ſpiritum emiſeris, oportet te manifeſtari ante tribunal Chriſti, ibique omnia tua, etiam occultiſſima patefieri, diſcuti, in iudicium adduci: audies tremendam illam iudicis vocem *Redde rationem villicationis tuæ.* Sacerdotij tui, miniſterij tui, talentorum tuorum. Heu (aiebat Iob, & tu quoque longe potiori iure dicere debes) *quid faciam, cum ſurrexerit ad iudicandum Dominus, & cum interrogauerit, quid reſpondeo illi?* *Luc. 16.* *Iob. 31.*

2. Conſidera, quam exacta, quam rigida futura ſit diſcuſſio illa; ibi enim iudicium tibi ſubeundum erit, de omnibus factis, dictis, cogitatis: ibi omnia peccata tua, etiam ea quæ videntur leuiſſima, in iuſtitiæ diuinæ bilance expendentur. ibi non modò de proprijs peccatis reddenda erit ratio, ſed etiam de peccatis aliorum, quibus verbo & exemplo prodeſſe debebas: ibi à te inquiretur quem vſum feceris bonorum omnium naturæ & gratiæ quæ tibi conceſſa ſunt? ad quid impenderis corporis tui membra & organa, animæ tuæ facultates, & quæcum-

cumque talenta tibi concredita ? *ibi*
Pſ. 74. *iudicabuntur omnes iuſtitiæ tuæ*, id eſt, omnes actus Religionis, charitatis, & aliarum virtutum : item orationes, officia diuina, ſacrificia oblata ; ibi ad ſtateram ſanctuarij expendentur omnia à te facta vel omiſſa, in diſpenſatione diuinorum myſteriorum, in adminiſtratione ſacramentorum, in prædicatione verbi diuini ; denique cuncta Deus adducet in iudicium, & cordis tui abditiſſima quæque ſcrutabitur in lucernis. *Heu ecce venit & quis poterit cogitare diem aduentus eius ? & quis ſtabit ad videndum eum ? ipſe enim quaſi*
Malach. 3. *ignis conflans*. Vigila itaque & omni tempore ora (vt ipſemet iudex monet) vt poſſis ſtare ante filium hominis, & eius paſſione intercedente tremendi illius iudicij felicem exitum ſortiri.

3. Conſidera medium optimum ad promerendam ſupremi illius iudicis clementiam eſſe charitatis & miſericordiæ operibus ſedulo incumbere ; beati ſiquidem miſericordes, quoniam
Galat. 6 ipſi miſericordiam conſequentur. *Igitur dum tempus habes, operare bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei*. Et quaſcumque occaſiones inſtruendi, exhortandi, conſolandi, corripiendi, & quouis modo iuuandi alios, eorumque ſaluti & bono ſpiri-

tuali

tuali cooperandi, etiam eleemoſynis & ſubſidijs temporalibus, toto animi affectu amplectere: ac denique impende teipſum & libentiſſime ſuperimpende pro animabus fratrum tuorum: & ſæpiſſime tibi in mentem reuoca, quæ in ſupremo iudicio Chriſtus Dominus dicturus eſt; *quod vni ex minimis meis fratribus feciſtis, mihi feciſtis.*

MEDITATIO VII.

De luctuoſiſſimo ſtatu Sacerdotum damnatorum.

1. CONſidera & tibi ob oculos pone infelicem Sacerdotem ob crimina ſua, depoſitionis perpetuæ & degradationis pœna damnatum: expende quam probroſum ſit illi coram venerabili Conſacerdotum cœtu, ſacris veſtibus, & cunctis Sacerdotij ſui inſignibus exui; quam acerbum & amarum à Prælato ſuo & animę ſuæ parente cum exprobrationibus, & execrationibus à Clero eijci: & ſæcularis iuſtitiæ miniſtris tradi; & cogita hoc nihil eſſe præ ignominia, confuſione, & deſperatione illius qui videt ſe ab ipſomet Chriſto Domino Sacerdotum

omnium principe & parente, in æternum ſine vlla miſericordiæ ſpe abijci, omnibuſque gratiæ ſuæ donis ſpoliari; ligatiſque manibus & pedibus proijci in tenebras exteriores, ac dæmonum poteſtati tradi. Heu quis intelligere poteſt quid ſit à Deo in æternum abijci! à Deo in æternum ſeparari! Deo in æternum priuari! Domine ſi
Pſ. 138. tu me abijcis quis me recipiet? *quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiã?* O bone Ieſu *à te nunquam me ſeparari permittas?* in iſta tantummodo voce, exaudi me.

2 Conſidera præter pœnam illam damni quæ in Sacerdote, poſt tot ac tam inſignia diuinæ beneuolentiæ teſtimonia, non niſi acerbiſſima eſſe poteſt, alia inſuper ſupplicia & tormenta eſſe ſubeunda; quæ præ alijs damnatis atrociſſima ipſi infligentur; peccata enim Sacerdotis cum ſemper ſint peccatis aliorum grauiora, maiorem etiam merentur damnationem; ac proinde in eum ignis inferni longè crudelius deſæuiet, & quicquid in illo infelicitatis abyſſo triſte ac durum, quicquid amarum & acerbum, illud præ cæteris experietur. Heu Domine *quis nouit*
Pſ. 89. *poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.*

3. Conſidera cumulum infœlicitatis

tis eſſe ipſius damnationis, & pœnarum illi adiunctarum æternitatem, & illius horrendæ æternitatis cogitationem ſemper vrgentem & infeſtantem, quæ miſerum illum continuo cruciabit, eiuſque animam velut iteratis deſperationis aculeis lancinabit, & diſcerpet. *Vermis eorum non morietur* (inquit Chriſtus Dominus) *& ignis eorum non extinguetur.* O æternitas infelix! æternitas luctuoſa! æternitas horrenda! quis illam æternitatem ſerio cogitare poteſt, & non continuo contremiſcere & horrore affici? *Anticipauerunt vigilias oculi mei*, (aiebat Propheta, & tu dic etiam cum illo; *Turbatus ſum, & non ſum loquutus; cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui: &c. & dixi nunc cœpi*: Ita hæc ſerio cogitans, hanc tremendam æternitatem animo reuoluens, nunc incipe ea velle, ea præſtare, in ijs perſeuerare, quæ in æternum tibi proſint.

Marc. 9

Pſ. 76.

MEDITATIO VIII.

De cæleſtis gloriæ mercede pijs Sacerdotibus præparata.

1. CONſidera Deum longe propenſiorem ad præmiandum, quam ad puniendum, pro momentaneis ſeruorum ſuorum laboribus, æternam illis præparaſſe mercedem, tantam, tamque mirabilem, vt Apoſto-
1.Cor.2 lus dicat, *nec oculum vidiſſe, nec aurem audiuiſſe, nec in cor hominis aſcendiſſe, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*. Et Chriſtus Dominus diſcipulos
Matt.5. ſuos alloquens, *Gaudete* (inquit) *& exultate, ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælis*. En fidelibus Chriſti miniſtris materia veri gaudij & ſinceræ exultationis, etiam in medijs ærumnis & laboribus, merces ſcilicet copioſa in cælis, ab ipſomet Chriſto Domino ſeruatore præparata & promiſſa. Vide igitur quantum ipſius bonitati debeas, qui etiam antequam eſſes, tantam tibi gloriam & felicitatem tot & tantis doloribus comparauit; totque media ad illam promerendam tibi

tibi prouidit, teque ideo ad miniſterium ſuum vocauit, vt vbi ipſe eſt, illic in æternum cum ipſo eſſes. Gratias itaque ſummas illi age, & tantum tamque munificum benefactorem & præmiatorem, præ omnibus illius beneficijs & præmijs dilige, & toto affectu illi obſequi & placere ſtude.

2. Conſidera & perpende quod quamuis illa beatitudo & gloria omnibus animę corporiſque bonis affluat, vnum tamen eſſe bonum præ alijs bonis æſtimandum & amandum, ipſum ſcilicet Deum, qui ineffabili charitate cunctos diuinitatis ſuæ theſauros electis ſuis aperit, ſeque ipſum illis clarè & intuitiuè videndum, amandum, fruendum, poſſidendum, pro tota æternitate tradit. O quiſquis es fidelis Chriſti miniſter, qui in huius ſæculi procellis & tentationibus pro eius honore prælîaris, qui totum te pro Eccleſiæ obſequio, pro animarum ſubſidio impendis, audi ipſummet Deum tibi quod olim alteri fideliſſimo ſibi ſeruo dicentem; *Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. Verè merces magna nimis *propter nimiam ſcilicet charitatem qua dilexit nos*: *nimis quippe honorati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. *Gene*ſ. 15. *Epheſ* 2. *Pſ.* 138.

3. Conſidera dictum S. Gregorij,

Homil. 37. in Euang. *ad magna præmia perueniri non poteſt niſi per magnos labores; regnum enim cœlorum vim patitur: neque coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum*: Imo ipſa promiſſæ gloriæ magnitudo animi magnitudinem excitet, & ad difficilia quæque pro Dei honore & amore ſubeunda Chriſti miniſtrum obfirmet. Quoties igitur in ipſis miniſterijs Eccleſiaſticis aliquid occurret naturæ durum & aſperum, quoties vrgebit tentatio aliqua, & contra ſpiritualia nequitiæ ſubeunda erit colluctatio, cælum ſuſpice, & illic Chriſtum regnantem, palmaſque ac coronas manu protendentem intuere; tibique ſæpiùs in mentem reuoca, quis ſit laborum tuorum terminus; quis ſuſcepti miniſterij finis; *quis enim alius eſt noſter finis* (inquit S. Auguſtinus) *quàm peruenire ad regnum, cuius nullus eſt finis*.

Lib. vlt. de ciuit. c. vltim.

† †
†

ME-

MEDITATIO IX.

De illecebris & vanitatibus mundi contemnendis, & cœleſtis patriæ bonis à Chriſtiano Sacerdote toto affectu exoptandis.

1. CONſidera fidelem Chriſti miniſtrum præ alijs Chriſtianis ad mundi contemptum amoremque cœleſtis patriæ obligari, tum quia ipſi Chriſto propior factus ampliori ipſius luce perfunditur, & ſic rerum mundanarum vanitatem, cœleſtiumque bonorum veritatem perfectius agnoſcit: tum quia ſpecialibus gratiæ auxilijs donatus, & maiori ipſius Chriſti dilectione præuentus, illum plus alijs diligere tenetur, & ad eius viſionem, fruitionemque ardentius ſuſpirare. Vide igitur quæ ſit animi tui diſpoſitio? quis illius ſenſus, quis affectus? illumque magis ac magis à rebus mundi huius abſtrahe, & verſus cœlum, verſus Deum erige, &, *ſi verè conſurrexiſti cum Chriſto*, ſi vere nouum hominem induiſti, *incipe quæ ſurſum ſunt quærere, vbi Chriſtus eſt in* Coloſſ. 3

dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram.

2. Conſidera quæ fuerit ſuper hac re Sanctorum diſpoſitio? quantum in illis vitæ præſentis faſtidium? qualia & quam feruentia cœleſtis vitæ deſideria; & eorum exemplo temetipſum ad ſimiles affectus excita: *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum* (aiebat Dauid) *ita deſiderat anima mea ad te, Deus: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & appa-*
Pſ.41. *rebo ante faciem Dei.* &, *Quam dilecta*
Pſ.83. *tabernacula tua Domine Deus virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et Apoſtolus Paulus, *Coarctor*, inquit, *deſiderium ha-*
Philipp. *bens diſſolui & eſſe cum Chriſto*: &, *quis*
1. *me liberabit de corpore mortis huius*: &, *mihi viuere Chriſtus eſt & mori lucrum.* Vide an libenter eodem modo loqui velis, an ſimiles affectus experiaris; & ſi quid obſtet, ſi praua aliqua animi tui diſpoſitio impedimento tibi ſit; remedium exquire, & appone.

3. Conſidera optimam animi à terrenis deſiderijs abſtrahendi, & verſus cœlum eleuandi rationem eſſe ſtudiũ veræ & perfectæ mortificationis, quæ nos rebus omnibus huius mundi, & nobis etiam ipſis faciat immori, vt vita longe meliori & ſanctiori viuere incipia-

cipiamus; nimirum vt quiuis Chriſti miniſter in præparatione animi ſui, omnibus quæ poſſidere, aut deſiderare poteſt renuntians, ſibique ſeipſum abnegans, dicere poſſit cum Apoſtolo, *viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus*. Itaut in omnibus operibus & conſilijs ſuis illud ſolum quærat, non quod ſibi, ſed quod Deo placitum & honorificum eſſe poteſt. Huic igitur virtuti ſtude; illius praxi ſedulo incumbe, & à minoribus illius exercendæ occaſionibus incipe, vt maioribus & magis arduis paulatim aſſueſcas: illius ſiquidem beneficio animus à terrenis fæcibus purgatus, cælum liberius aſpiciet, cæleſtibus intendet, cæleſtia deſiderabit & amabit: itaut cum Apoſtolo dicere poſſit; *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus* Dominum *noſtrum* Ieſum *Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*.

Galat. 2.

Philip. 3

MEDITATIO X.

De firmo vitæ Sacerdotalis piè inſtituendæ propoſito concipiendo.

1. CONſidera quantum interſit tibi firmum vitæ Sacerdotalis pie

inſtituendæ propoſitum concipere, hic eſt enim præcipuus meditationum præcedentiũ ſcopus, hic exercitiorum ſpiritualium finis: certè propoſito illo deficiente, vita Sacerdotis vt plurimum infrugifera, inſtabilis, & varijs ſpiritualibus periculis obnoxia: ſine illo propoſito, omne caput languidum & omne cor mœrens: & plerumque à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Denique hoc à te propoſitum Chriſtus expectat, hoc à te expetit? vt toto cordis tui affectu illi ſoli adhæreas, illi ſoli viuas, ad illius ſolius honorem & gloriam omnia tua & teipſum referas. Vide igitur quid illi hoc à te efflagitanti reſpondere velis; & ſerio perpende diuini illius Seruatoris edictum, Luc. 11. *qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.*

2. Conſidera quæ ſint benedictiones quæ hoc propoſitum firmiter in animo conceptum conſequantur: hinc enim prouenit vera pax & tranquillitas animi; hinc in muneribus Eccleſiaſticis obeundis alacritas, in virtutum exercitijs delectatio, aduerſus tentationes irruentes robur; ex hoc denique propoſito firmiter concepto, & quotidie iterato, procedit perſeuerantia, quæ eſt virtutum reliquarum veluti coronis & complementum.

Quid.

Quid igitur obſtat quin hac ipſa hora, hoc ipſo momento, diuina gratia innixus, concipias firmiſſimum propoſitum vitæ tuæ ſecundum Dei voluntatem inſtituendæ, & ad normam muneris tibi ab Eccleſia imponendi, vel impoſiti componendæ; illudque ſic conceptum Deo offeras, & ab eo inſtanter per Chriſti merita poſtules, vt te in eo ſtabilire & confirmare dignetur; eandemque oblationem & poſtulationem quotidie iterare, & renouare cures; vt *qui cœpit in te opus bonum, ille perficiat*. Philip. 1

3. Conſidera quomodo poſt propoſitum illud, conceptum, Deoque oblatum te gerere debeas, nimirum vt ſerio incipias illud opere exequi: itaut deinceps officia & functiones miniſterij tui proprias debitè exercere, & virtutes quæ illud maxime decent alacriter conſectari, & tentationibus irruentibus fortiter obluctari, & ea denique omnia quæ ad vitam tuam pie inſtituendam adiumento eſſe poſſunt libenter amplecti ſtudeas.

Quæquidem omnia in quatuor reliquis huius libelli partibus, ordine ſupra dicto explicata reperientur.

PARS SECVNDA.

De præcipuis Ordinum Eccleſiaſticorum, ac præſertim Sacerdotij functionibus.

CAPVT PRIMVM.

De functionibus Eccleſiaſticis in genere.

1. Tim. 4. NOLI *negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi*, inquit Apoſtolus Paulus chariſſimū ſibi Timotheum alloquens, & idē ſibi dictū æſtimare debet quilibet ſacris miniſterijs initiatus: neque enim tot gratias & benedictiones, totque & tam eximia dona & munera per ordinationis ſacramentum

tum conferri voluit Deus, vt inutiliter & otioſè traducerentur, ac veluti ſitu obſoleſcerent: *omnis certè arbor* (vt edixit Chriſtus) *quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* *Matt.7.*

Vnde ſanctus Alexander Papa huius nominis primus in epiſtola ad omnes diuino ſacerdotio fungentes, *Gratia Dei*, inquit, *Fratres chariſſimi, ſumus id quod ſumus; idcirco nobis prouidendum eſt, & oppidò decretandum ne in ea vacui inueniamur, ſed eadem nobis cooperante fructum Domino plurimum reportemus*, &c. *nec enim negligendam gratiam nobis Dominus dedit, ſed fideliter exercendam.* *Epiſt. 3.*

Et Eminentiſſimus Cardinalis Palæotus Clerum diœceſis Bononienſis alloquens; *Sicut*, inquit, *in familia bene conſtituta nullus eſſe debet qui officio vacet, vt veteres dicebant; ita in Dei gubernatione nullus ſuſtinetur otioſus, nullus qui conſertis manibus ſedere debeat, iuxta illud Saluatoris noſtri, poſui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* *Archiepiſcop. Bonon. p.7.ſer.1 ad Cler.*

Quod ſi quæratis (vt idem alio in loco ſubdit) *qualis debeat eſſe ille fructus? Reſpondetur, quod ſicut cum plantatur arbor pomi, expectatur ab eo fructus pomorum, & à ficu ficuum, & ab olea oliuarum; ſic à clericis ij fructus expectantur,* *Ibid.p.3 ſerm. de Sacram. Ordin.*

tur, qui eorum ordini reſpondeant; hinc functiones inſtitutæ, quibus ſe quiſque exerceat, quæ nihil aliud, quam fructus ſunt plantationum illarum & arbuſculorum: Ideo memores eſtote à vobis quærendum eſſe huiuſmodi fructum, & oportere vos neceſſario præſcriptas vobis functiones accurate præſtare.

Et ſicut in arbore non ſatis eſt, ſi in vno tantum aut altero ramo fructus hi proueniant, ſed vndique eum pomis contectum & onuſtum, & præ pondere inclinatum ſpectare oportet, ſic cauete ne exiſtimetis vos muneri veſtro ſatisfeciſſe, ſi aliquo tantum tempore, aut aliqua tantũ in re miniſterium veſtrum obeatis: non enim bonæ arboris ſpeciem tunc referetis. Vnde Apoſtolus ait, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & paulo infrà; *Fructus autem præſentes & quotidiani eſſe debent: nam multi ſatis ſibi conſultum putant quod olim laborauerint, & magna vt illis videtur geſſerint: non enim hæc immunitatem tribuunt, ſed & nunc in illis exerceri oportet; nam ſicut oportet ſemper orare, & numquam deficere, ſic & ſemper operari, donec dies eſt.*

Pergit deinde, & tacitæ occurrens obiectioni, *quod ſi* (inquit) *dicat quis arbores non quouis tempore fructus ferre, ſed certa tantum anni parte; reſpondetur, Autumnum noſtrum, ſiue æſtiuum tem-*

pus meſſi noſtræ faciendæ aut fructibus colligendis opportunum, eſſe hoc breue ſpatium vitæ, quod nobis diuina largitur bonitas: dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis ambulate, veniet enim nox, quando nemo poterit operari: tempus quieſcendi non eſt hujus, ſed futuri ſeculi; ſic enim in Apocalypſi legitur, amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis.

Porro quoniam functionum quę ad ſacrum miniſterium ſpectant, ſublimitatem, & temporis ad eas obeundas deſtinati, totius ſcilicet vitæ præſentis diuturnitatem, & fortaſſis iniquitatem, nec non propriarum virium tenuitatem, & imbecillitatem cauſare quis poſſet, quominus tam arduum munus ſuſciperet, vel ſuſceptum implere ſe poſſe arbitraretur; vnde vel deſerendam vocationem, vel animo deſpondendum eſſe videretur: Idem Cardinalis alio in loco, huic difficultati ſapienter occurrens; *Poſitum eſt* (inquit) *in vno quoque veſtrum, omnia cum Dei auxilio præſtare: non enim is eſt Deus qui à ſe vocatos, & ad aliquod munus perfungendum delectos deſerat, aut ope ſua in medio curſu deſtituat; ſed quos vocat, eoſdem ingenti gratiarum theſauro ſic ditat, vt commodè explere queant quæcumque in eodem iniuncto munere antea difficilia ac penè impoſſibilia*

Part. 7 ſer. 1. ad Cler.

bilia eſſe videbantur. Permagnum eſt (fatemur) Sacerdotem pro rei dignitate, ac ſacrarum legum praſcriptione ſe gerere; verum multò maiora ſunt dona optima & perfectiſſima quæ à Patre luminum, in eorum Sacerdotum *animos inſtillantur, qui Deo in ſinceritate cordis, fidei veritate, ac vita, morumque puritate inſeruire ſtudent.*

CAPVT II.

De functionibus & officijs, Ordinis cuiuſque proprijs in particulari.

Ser. 9. de effic. prælat. & cleric. ORdinis *ſacramentum* (inquit Petrus Bleſenſis, *Eſt thronus ille eburneus myſtici Salomonis, cuius reclinatorium aureum eſt, ad quem aſcenditur ſex gradibus purpureis media charitate conſtratis*; Sex nimirum ordinibus, quatuor minoribus, Oſtiariatu ſcilicet, Lectoratu, Exorciſtatu, & Acolythatu; & duobus maioribus, Subdiaconatu, & Diaconatu; in quorum faſtigio eſt Sacerdotium ipſum, tanquam ſacræ illius ſcalæ vertex & ſummitas, cui Deus ipſe innititur, *cum enim* (vt in Tridentina Synodo dicitur, *diuina-* *Seſſ. 22. cap. 1. de ſefor.*

ros

res ſit tanti Sacerdotij miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius & maiori cum veneratione exerceri poſſet, vt in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures & diuerſi eſſent miniſtrorum ordines, qui ſacerdoti ex officio deſeruirent, ita diſtributi, vt qui iam clericali tonſura inſigniti eſſent per minores ad maiores aſcenderent.

Statuit autem prædicta Synodus, *Vt ſanctorum illorum ordinum à Diaconatu ad Oſtiariatum functiones, ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter recepta, & pluribus in locis aliquandiu intermiſſa, in vſum iuxta ſacros canones reuocarentur,* &c. *Ideoque omnes & ſingulos Prælatos Eccleſiarum in Domino hortatur, vt quantum fieri commode poterit in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus ſuæ Diœceſis, ſi populus frequens, & Eccleſia prouentus id ferre queant, huiuſmodi functiones curent reſtituendas.* *Sup. cap. 17. de reform.*

Quod quidem cum pluribus iam in locis ipſorum Prælatorum zelo ac ſollicitudine feliciter inchoatum ſit, vt in alijs etiam facilius præſtari poſſit, & quiuis Eccleſiaſticis miniſterijs aſcriptus, ad omnes muneris ſibi impoſiti partes exequendas paratior ſit, operæ pretium duximus, hic ſummatim exſcribere præcipuas & hodiernæ praxi magis accommodatas cuiuſque ordi-

nis

Concil. nis functiones, prout illas tum ex ipſo
Tridēt. Concilio Tridentino, tum ex Pontifi-
ſeſſ. 23. cali & Catechiſmo Romano, tum
Pōt. Ro. etiam ex varijs Concilijs, & Synodi-
tit. de Or cis conſtitutionibus ad marginem cita-
din. Ca- tis collegimus.

techiſ. Quodquidem vſui eſſe poterit, non
Ro. p. 2. modo inferioribus miniſtris, ſed etiam
cap. 7. ipſiſmet Sacerdotibus quos ſæpe ne-
Concil. ceſſe eſt inferiorum illorum vices ſup-
Cartag. plere, & quos ſemper maxime decet
4. eos qui in Hierarchia Eccleſiæ ſibi ſub-
Tolet. 1. duntur, ad debitam miniſteriorum
Aurel. 2 ſibi propriorum functionem, non ſo-
Med. 1. lum verbo, ſed etiam exemplo in-
Colon. 1 ſtruere.

Archie- Vt igitur ab ipſa ordinum ianua,
piſ. Bon. Clericali ſcilicet tonſura, incipiamus:
Clerici prima duntaxat tonſura initiati
Decret. debent fidelem Deo cultum pro viri-
Vercel, bus exhibere: clericalis vitæ ordinem
Eccleſ. ſecundum Eccleſiæ leges, & proprij
Io Bon Prælati decreta cuſtodire: doctrinæ
bom. Chriſtianæ exercitationes adiuuare, &
ijs qui alios Catechiſmum docent
opem commodare, & obſequium
præſtare: cumque alij miniſtri defue-
rint in miſſis, ordinum minorum vices
exequi, ac Sacerdoti celebranti mini-
ſtrare.

Oſtiariorum functiones propriæ
ſunt, campanas pulſare, oſtia Eccle-
ſiæ cuſtodire, eaque debitis tempo-
ribus

ribus reſerare & claudere: ipſam Eccleſiam mundare, & ornare: altaria præparare: ab Eccleſiæ ingreſſu nominatim excommunicatos, interdictos, & infideles prohibere, nec non canes & alios animantes ab eadem arcere: Ipſorum etiam eſt curare ne quis ſacris altaribus corpore aut brachijs incumbat: ne quis in Eccleſia obſtrepat, deambulet, confabuletur; aut aliquid aliud agat quod ſanctitati loci minime conueniat; item ne mulieres indecenter comptæ & ornatæ, & contra pudicitiæ Chriſtianæ decorem aliqua ſui corporis parte denudatæ, Sacris myſterijs communicent; ne etiam mendici eleemoſynas quæritando Eccleſiam obambulent, & fidelium preces interturbent; ne baiuli, portitores, alijque quibuſuis rebus onuſti per Eccleſiam tranſeant.

Ad Lectores pertinet, in Eccleſia Prophetias quæ interdum in Miſſa, & Lectiones quæ in Officio Diuino recitari ſolent legere, & quæ legunt diſtinctè pronuntiare, accentuum rationem legendo ſeruare, & vocem ſingulis ſententijs recte accommodare: Antiphonas quoque in choro præcinere, & ipſius Chori cantum Eccleſiaſticum iuuare. Ad eoſdem etiam ſpectat prima doctrinæ Chriſtianæ rudimenta pueris tradere, nec non

pa-

panem & fructus nouos benedicere.

Exorciſtarum officium eſt curare vt nunquam in vaſis aqua benedicta deficiat, atque vt tempore conuenienti à Sacerdote renouetur & benedicatur; eique benedictioni aſſiſtere vel miniſtrare, & ipſam aquam ad benedicendum præparare, vaſaque ipſa diligenter abſtergere & lauare; item in ſolemni Baptiſmatis adminiſtratione adeſſe Sacerdoti baptiſanti, ipſique ſal exhibere, & librum de quo exorciſmos legit coram eo ſuſtinere; & denuntiare ijs qui non communicant vt dent locum communicantibus.

Quamuis autem munus exorcizandi dæmones, etiam huius ordinis proprium ſit, non tamen illud Exorciſtæ ſibi ambitioſe arrogare, ſed ſeipſos ita caſtos cuſtodire, & in omni virtutum genere exercere debent, vt (ſi ita proprio ipſorum Prælato videatur, ſine cuius ſpeciali mandato nihil attentare debent) ad hanc etiam officij ſui partem implendam ſe ſemper paratos exhibeant.

Ad Acolythos ſpectat Diaconum ac Subdiaconum ad altaris miniſterium procedentes anteire, eiſque prout res exigit miniſtrare; vrceolos nitidos cum aqua & vino in peluicula pro Miſſæ ſacrificio præparare: lumi-

na-

naria in altari accendere, eaque in proceſſionibus cruci præferre: cum Euangelium in Miſſa ſolemni cantatur, cum iiſdem luminaribus Diacono ab vtroque latere aſſiſtere: cum ſanctiſſimum Chriſti corpus in Miſſæ ſacrificio eleuatur cum luminaribus rite aſſiſtere: acerram & thuribulum cum igne præparare & Subdiacono cum opus eſt ad manum præbere: omnium etiam Sacramentorum adminiſtrationi præſentes adeſſe; & Epiſcopum comitari, eiuſque iuſſa ſuſcipere & exequi.

Subdiaconorum munus eſt, vt nomen ipſum indicat, Diacono ad altare inſeruire: panem & vinum aliaque ad ſacrificij vſum neceſſaria præparare: crucem in proceſſione præferre, Epiſtolam alta voce in Miſſa legere: Sacerdoti manus in altari abluenti aquã infundere: ipſique ſacris operanti tanquam teſtes aſſiſtere, & illum cuſtodire ne à quoquam interturbari poſſit: ſacra etiam linteamina, id eſt, corporalia & pallas altaris abluere.

Diaconorum partes ſunt, Sacerdoti celebranti proxime aſſiſtere & miniſtrare; in ipſo Miſſæ ſacrificio Euangelium publice legere: item ex commiſſione ſuperiorum, Baptiſmi Sacramentum ſolemniter conferre: verbumque diuinum fidelibus prędicare. Eſt

etiam

etiam illorum vi ordinationis ſuæ Epiſcopum ſequi, quando id iubet, eumque concionantem aut celebrantem cuſtodire; & inſtar oculorum eius perueſtigare, num omnia in Eccleſia vel Diœceſi recte ſe habeant. Et ſi quę ſecus deprehenderint, de his Epiſcopum commonefacere: quod hodie ad Archidiaconos pręſertim ſpectare cenſetur.

Denique Sacerdotum functiones propriæ ſunt, orationes & preces Eccleſiæ nomine ſolemniter ad Deum dirigere: ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium offerre: baptiſmum, pœnitentiam, aliaque ſacramenta (Confirmatione, & Ordine exceptis) adminiſtrare; verbum diuinum prędicare, & alia omnia ad cultum diuinum, ſalutemque animarum ſpectantia Epiſcopis iure diuino aut Eccleſiaſtico minime reſeruata ſecundum canonicas leges peragere.

Quoniam vero maximi momenti ſunt hæ functiones ſacerdotales, (licet alioquin creberrimæ ſint, & quam ſæpiſſime in vſum veniant) plurimumque intereſt vt eo, quo decet modo exerceantur. Ideo in ſequentibus huius ſecundę partis capitibus de vnaquaque illarum ſpeciatim aliquid à nobis dicetur; ac in primis de oratione, quæ præcipuum locum in illis Sacer-

cer-

cerdotalibus functionibus ſibi vindicat.

CAPVT III.

De ſtudio orationis cui Sacerdos præcipuo affectu incumbere tenetur.

QVale debeat eſſe orationis ſtudium in Sacerdote, vel ex eo liquet quod, vt Apoſtolus loquitur, *Ipſe Sacerdos ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum*: Hoc enim proprium illius munus eſt, Sanctuario Dei aſtare, & Angelorum in terris vicem ſupplere, eundemque famulatum in Eccleſia militante Deo impendere, qui ei à beatis illis ſpiritibus in Eccleſia cœleſti exhibetur; Sacerdos ſiquidem *Angelus Domini exercituum eſt*, proindeque vt Angelus debet *iuxta aram templi ſtare, & aureum habere thuribulum in manu ſua* multo incenſo & aromatibus refertum, vt de manu eius aſcendat fumus aromatum, & ſicut incenſum dirigatur oratio eius in conſpectu Dei.

Heb. 5.

Mala. ch. 2.

Quod etiam adumbratum videtur in

in illis viginti quatuor ſenioribus Preſbyterorum in Eccleſia typum gerentibus, qui quidem ſinguli præ manibus ſemper *habebant phialas aureas plenas* Apoc. 5. *odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum*.

Et vt figuras relinquamus, ipſemet Chriſtus Dominus totius Sacerdotij vertex, & Sacerdotum omnium perfectiſſimum exemplar, in Euangelijs refertur orationis exercitium pręcipuo quodam ſtudio coluiſſe: nunc in loca deſerta & montes orandi gratia ſecedens, nunc in oratione Dei pernoctans, nunc ſummo diluculo in templum oraturus adueniens, nunc in medijs turbis oculos verſus cœlum eleuans ac Patrem orans, nunc alios ad orandum inſtituens & excitans, & ſemper orandum ac numquam ab oratione deficiendum eſſe docens.

Quibus quidem exemplis & documentis euidentiſſime teſtatum eſſe voluit cuiuis Sacerdoti, qui ſuis veſtigijs fideliter inhærere velit, orationi pręcipuo quodam ſtudio inſtandum eſſe.

Certe vel ipſa infirmitas, qua, ſicut & alij homines, ipſe etiam Sacerdos circumdatus eſt, & hoſtium acerbitas, quorum inſultibus patet, ſublimitaſque ac difficultas obeundorum ab ipſo munerum, ſatis euincunt orationis ne-

ceſſ-

ceſſitatem, qua diuinam gratiam exoret, ſine cuius ſubſidio, nec hoſtium impetus propulſare, nec munera ſibi impoſita digne peragere poſſit.

Qua de re loquens beatus Chryſoſtomus; *Arbitror*, (inquit) *cunctis eſſe manifeſtum quod ſimpliciter impoſſibile ſit abſque precationis præſidio cum virtute degere, cumque hac vita huius curſum peragere.* Et ſanè ſi attente inquirere volumus vnde tanta in pleriſque Sacerdotibus inopia virtutum, vnde inordinatio vitæ, vnde morũ corruptela, vnde quicumque alij defectus, non erit difficile tot malorum ſcaturiginem deprehendere, ſcilicet orationis neglectum: ſicut enim iuxta D. Auguſtini effatum, *Ille nouit recte viuere, qui nouit recte orare*: ſic in ſenſu contrario dicere poſſumus quod ille neſcit recte viuere, qui neſcit rectè orare.

Lib. 1. de orãdo Deum.

Hom. 4. ex 50.

Vt igitur Sacerdos & peccata deuitare, & in virtute proficere, & gratias ſibi, alijſque neceſſarias & ſalutares conſequi poſſit, hoc apud ſe firmiter ſtatuat, ſibi peculiari cura orationis ſtudio incumbendum eſſe, hocque Religionis exercitium præcipuum eſſe vitę Sacerdotalis munus, cui toto animi affectu vacare tenetur.

Quod quidem vt eo quo decet modo præſtet, hoc præſertim attendat, vt quotieſcumque & quomodocum-

que orare libuerit, ſiue publicè, aut priuatim, ſiue ex obligatione, vel ex ſola deuotione, ſiue mentaliter aut vocaliter (de quibus poſtea) ea quæ ſequuntur fideliter exequi ſtudeat.

Eccli. 35 In primis oret cum ſumma ſui ipſius demiſſione coram Deo, *Oratio enim humiliantis ſe penetrat nubes, & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat*. Proinde oraturus ſui ipſius ſemper infimam vilitatem, Deique ſupremam maieſtatem attendat, dicatque cum ſancto illo

Gen. 18. Patriarcha, *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis*.

2. Oret cum corde puro, & conſcientia bona, atque ab omni peccato aliena; etenim (vt loquitur S. Ioannes,) *Si non reprehenderit nos cor noſtrum, fiduciam habeamus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo*. Neque tamen *ſi quis nihil ſibi conſcius ſit, ideo iuſtificatus eſt*; & *quamuis* (vt

Ser. 5. in Quadr. ait S. Bernardus) *accepta gratia fiduciam donet orandi, non tamen oportet vt in ea quiſquam conſtituat fiduciam impetrandi*, ac proinde ſanctus ille vir imitan-

Dan. 9. dus eſt qui dicebat, *non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciẽ tuam, ſed in miſerationibus tuis multis*.

Chryſoſt. in Pſ 129. 3. Oret cum deuotione, itaut oratio ex intimo cordis affectu procedat: vnde S. Chryſoſtomus perpendens illa Pſalmiſtæ verba; *De profundis clamaui ad*

ad te Domine: Quid eſt (*inquit*) *De profundis? non dixit ſolummodo ex ore, vel lingua, errante enim mente ſæpe verba funduntur: ſed ex corde profundiſſimo, cum magno ſtudio & magna animi alacritate, ex ipſis mentis penetralibus, &c. quæ enim ex ore tantummodo & labijs procedunt, & non ab imo aſcendunt, ne quidem ad Deum aſcendere queunt.*

Denique oret cum perſeuerantia, id eſt, vt ab orationis ſtudio, non facile & quacumque data occaſione diuellatur; neque ob animi torporem aut tædium ab illa inchoata reſiliat; neque quia poſtulata minime impetrat, nec cito exauditur, ideo ab orando deſiſtat; *vult enim Deus rogari,* (vt ait S.Gregorius) *vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Laborioſa quidem eſt aſſidua oratio* (vt loquitur S.Chryſoſtomus) *ſed quid non laborioſum quod a virtute proficiſcatur? Eſto igitur ſedulus in oratione,* (inquit idem S.Gregorius) *eſto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias.* Certe (vt cum S.Chryſoſtomo concludamus hoc caput) *Quiſquis nõ orat Deum, nec diuino eius colloquio cupit aſſidue frui, is mortuus eſt, & vita carens, experſque ſanæ mentis: nam hoc ipſum euidentiſſimum eſt amentiæ argumentum, non intelligere magnitudinem huius honoris,*

Greg. in Pſal. 6. Pœn.

Homil. 35. in Ioan.

Sup.

Lib. 1. de orando Deo.

nec amare deprecandi ſtudium, nec hoc habere perſuaſum, quod animæ mors ſit, non prouolui coram Deo: quin inſuper quod oporteat quauis morte triſtius exiſtimare ſi quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille Propheta magnus qui maluerit mori, quam triduo duntaxat arceri [illegible]

CAPVT IV.

De Meditationis ſeu orationis mentalis exercitio cuiuis Sacerdoti pernecesſario.

D. Hieronymus illa explicans Chriſti Domini verba in Euangelio relata, (*Ora patrem tuum in abſcondito*) *Mihi videtur* (*inquit*) *hoc magis eſſe præceptum, vt incluſa pectoris cogitatione, labijſque compreſſis Deum oremus, quod & Annam feciſſe in Regum volumine legimus. Vera quippe poſtulatio* (vt ait S.Gregorius) *non eſt in oris vocibus, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud ſecretiſſimas aures Dei, non faciunt verba noſtra, ſed deſideria.*

In cap.6 Matth.

Lib. 22. moral. cap. 18.

Quam-

Quamuis enim bonum ſit ſono vocis Deum ſpiritualibus hymnis glorificare, (vt dicit Iſidorus) *melius eſt tamen cum ſilentio orare corde, ſine ſono vocis, quam ſolis verbis ſine intuitu mentis.* Certè *qui in ſilentio orat* (vt recte monet S. Ambroſius) *fidem defert & confitetur quod Deus ſcrutator cordis & renum ſit, & quod orationem tuam ante audiat, quam ore fundatur.* *Lib.1.de ſum.bō. cap.7.* *Lib.6.de ſacram. cap.4.*

Ex his patet quam ſalubre ſit orationis mentalis ſeu meditationis exercitium, cui profectò tum ab omnibus & quibuſcumque virtutis ſtudioſis, tum maxime à Sacerdotibus alijſque miniſterio Eccleſiaſtico addictis peculiari ſtudio incumbēdum eſſe vel hinc conſtat, quod ſine illo vix quiſquam ad veræ & ſolidæ pietatis metam pertingere poſſit: ad quam tamen conſectandam ipſos Sacerdotes ſpeciatim adſtrictos eſſe certo certius eſt; vnde etiam in Concilio Mediolanenſi quinto præcipitur examinatoribus Ordinandorum vt inquirant, *an ordinandus in orationis ſanctæ ſtudio vſque verſatus ſit? quibus meditationibus inſtructus Deum tacitus oret? quis orationis modus? quis illius fructus? quæ vtilitates? quot quibuſque partibus illa conſtet? quæ regulæ preparationis ad orationem, &c.* *Part. 3. tit. de exami-nādi ratione.*

Sapienter omnino Caietanus negavit *In 22.q. 82. a.3.*

panem & fructus nouos benedicere.

Exorciſtarum officium eſt curare vt nunquam in vaſis aqua benedicta deficiat, atque vt tempore conuenienti à Sacerdote renouetur & benedicatur; eique benedictioni aſſiſtere vel miniſtrare, & ipſam aquam ad benedicendum præparare, vaſaque ipſa diligenter abſtergere & lauare; item in ſolemni Baptiſmatis adminiſtratione adeſſe Sacerdoti baptiſanti, ipſique ſal exhibere, & librum de quo exorciſmos legit coram eo ſuſtinere; & denuntiare ijs qui non communicant vt dent locum communicantibus.

Quamuis autem munus exorcizandi dæmones, etiam huius ordinis proprium ſit, non tamen illud Exorciſtæ ſibi ambitioſe arrogare, ſed ſeipſos ita caſtos cuſtodire, & in omni virtutum genere exercere debent, vt (ſi ita proprio ipſorum Prælato videatur, ſine cuius ſpeciali mandato nihil attentare debent) ad hanc etiam officij ſui partem implendam ſe ſemper paratos exhibeant.

Ad Acolythos ſpectat Diaconum ac Subdiaconum ad altaris miniſterium procedentes anteire, eiſque prout res exigit miniſtrare; vrceolos nitidos cum aqua & vino in pelluicula pro Miſſæ ſacrificio præparare: lumina-

naria in altari accendere, eaque in proceſſionibus cruci præferre: cum Euangelium in Miſſa ſolemni cantatur, cum iiſdem luminaribus Diacono ab vtroque latere aſſiſtere: cum ſanctiſſimum Chriſti corpus in Miſſæ ſacrificio eleuatur cum luminaribus rite aſſiſtere: acerram & thuribulum cum igne præparare & Subdiacono cum opus est ad manum præbere: omnium etiam Sacramentorum adminiſtrationi præſentes adeſſe; & Epiſcopum comitari, eiuſque iuſſa ſuſcipere & exequi.

Subdiaconorum munus eſt, vt nomen ipſum indicat, Diacono ad altare inſeruire: panem & vinum aliaque ad ſacrificij vſum neceſſaria præparare: crucem in proceſſione præferre, Epiſtolam alta voce in Miſſa legere: Sacerdoti manus in altari abluenti aquã infundere: ipſique ſacris operanti tanquam teſtes aſſiſtere, & illum cuſtodire ne à quoquam interturbari poſſit: ſacra etiam linteamina, id eſt, corporalia & pallas altaris abluere.

Diaconorum partes ſunt, Sacerdoti celebranti proxime aſſiſtere & miniſtrare; in ipſo Miſſæ ſacrificio Euangelium publice legere: item ex commiſſione ſuperiorum, Baptiſmi Sacramentum ſolemniter conferre: verbumque diuinum fidelibus prędicare. Eſt

etiam

etiam illorum vi ordinationis ſuæ Epiſcopum ſequi, quando id iubet, eumque concionantem aut celebrantem cuſtodire; & inſtar oculorum eius perueſtigare, num omnia in Eccleſia vel Diœceſi recte ſe habeant. Et ſi quę ſecus deprehenderint, de his Epiſcopum commonefacere: quod hodie ad Archidiaconos prę ſertim ſpectare cenſetur.

Denique Sacerdotum functiones propriæ ſunt, orationes & preces Eccleſiæ nomine ſolemniter ad Deum dirigere: ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium offerre: baptiſmum, pœnitentiam, aliaque ſacramenta (Confirmatione, & Ordine exceptis) adminiſtrare; verbum diuinum prędicare, & alia omnia ad cultum diuinum, ſalutemque animarum ſpectantia Epiſcopis iure diuino aut Eccleſiaſtico minime reſeruata ſecundum canonicas leges peragere.

Quoniam vero maximi momenti ſunt hæ functiones ſacerdotales, (licet alioquin creberrimæ ſint, & quam ſæpiſſime in vſum veniant) plurimumque intereſt vt eo, quo decet modo exerceantur. Ideo in ſequentibus huius ſecundę partis capitibus de vnaquaque illarum ſpeciatim aliquid à nobis dicetur; ac in primis de oratione, quæ præcipuum locum in illis Sacer-

cerdotalibus functionibus ſibi vindicat.

CAPVT III.

De ſtudio orationis cui Sacerdos præcipuo affectu incumbere tenetur.

QVale debeat eſſe orationis ſtudium in Sacerdote, vel ex eo liquet quod, vt Apoſtolus loquitur, *Ipſe Sacerdos ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum*: Hoc enim proprium illius munus eſt, Sanctuario Dei aſtare, & Angelorum in terris vicem ſupplere, eundemque famulatum in Eccleſia militante Deo impendere, qui ei à beatis illis ſpiritibus in Eccleſia cęleſti exhibetur; Sacerdos ſiquidem *Angelus Domini exercituum eſt*, proindeque vt Angelus debet *iuxta aram templi ſtare, & aureum habere thuribulum in manu ſua* multo incenſo & aromatibus refertum, vt de manu eius aſcendat fumus aromatum, & ſicut incenſum dirigatur oratio eius in conſpectu Dei.

Heb. 5.

Mala. ch. 2.

Quod etiam adumbratum videtur

in illis viginti quatuor ſenioribus Preſbyterorum in Eccleſia typum gerentibus, qui quidem ſinguli præ manibus ſemper *habebant phialas aureas plenas* Apoc. 5. *odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.*

Et vt figuras relinquamus, ipſemet Chriſtus Dominus totius Sacerdotij vertex, & Sacerdotum omnium perfectiſſimum exemplar, in Euangelijs refertur orationis exercitium præcipuo quodam ſtudio coluiſſe: nunc in loca deſerta & montes orandi gratia ſecedens, nunc in oratione Dei pernoctans, nunc ſummo diluculo in templum oraturus adueniens, nunc in medijs turbis oculos verſus cœlum eleuans ac Patrem orans, nunc alios ad orandum inſtituens & excitans, & ſemper orandum ac numquam ab oratione deficiendum eſſe docens.

Quibus quidem exemplis & documentis euidentiſſime teſtatum eſſe voluit cuiuis Sacerdoti, qui ſuis veſtigijs fideliter inhærere velit, orationi præcipuo quodam ſtudio inſtandum eſſe.

Certe vel ipſa infirmitas, qua, ſicut & alij homines, ipſe etiam Sacerdos circumdatus eſt, & hoſtium acerbitas, quorum inſultibus patet, ſublimitaſque ac difficultas obeundorum ab ipſo munerum, ſatis euincunt orationis ne-

ceſſ-

ceſſitatem, qua diuinam gratiam exoret, ſine cuius ſubſidio, nec hoſtium impetus propulſare, nec munera ſibi impoſita digne peragere poſſit.

Qua de re loquens beatus Chryſoſtomus; *Arbitror,* (inquit) *cunctis eſſe manifeſtum quod ſimpliciter impoſſibile ſit abſque precationis præſidio cum virtute degere, cumque hac vita huius curſum peragere.* Et ſane ſi attente inquirere volumus vnde tanta in pleriſque Sacerdotibus inopia virtutum, vnde inordinatio vitæ, vnde morũ corruptela, vnde quicumque alij defectus, non erit difficile tot malorum ſcaturiginem deprehendere, ſcilicet orationis neglectum: ſicut enim iuxta D. Auguſtini effatum, *Ille nouit recte viuere, qui nouit recte orare:* ſic in ſenſu contrario dicere poſſumus quod ille neſcit recte viuere, qui neſcit rectè orare.

Lib. 1. de orãdo Deum.

Hom. 4. ex 50.

Vt igitur Sacerdos & peccata deuitare, & in virtute proficere, & gratias ſibi, alijſque neceſſarias & ſalutares conſequi poſſit, hoc apud ſe firmiter ſtatuat, ſibi peculiari cura orationis ſtudio incumbendum eſſe, hocque Religionis exercitium præcipuum eſſe vitę Sacerdotalis munus, cui toto animi affectu vacare tenetur.

Quod quidem vt eo quo decet modo præſtet, hoc præſertim attendat, vt quotieſcumque & quomodocum-

que orare libuerit, ſiue publicè, aut priuatim, ſiue ex obligatione, vel ex ſola deuotione, ſiue mentaliter aut vocaliter (de quibus poſtea) ea quæ ſequuntur fideliter exequi ſtudeat.

In primis oret cum ſumma ſui ipſius
Eccli. 35 demiſſione coram Deo, *Oratio enim hum liantis ſe penetrat nubes, & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat.* Proinde oraturus ſui ipſius ſemper infimam vilitatem, Deique ſupremam maieſtatem attendat, dicatque cum ſancto illo
Gen. 28. Patriarcha, *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.*

2. Oret cum corde puro, & conſcientia bona, atque ab omni peccato aliena; etenim (vt loquitur S. Ioannes,) *Si non reprehenderit nos cor noſtrum, fiduciam habeamus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo.* Neque tamen *ſi quis nihil ſibi conſcius ſit, ideo iuſtificatus eſt*; & *quamuis* (vt
Ser. 5. in Quadr. ait S. Bernardus) *accepta gratia fiduciam donet orandi, non tamen oportet vt in ea quiſquam conſtituat fiduciam impetrandi*, ac proinde ſanctus ille vir imitan-
Dan. 9. dus eſt qui dicebat, *non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciẽ tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.*

Chryſoſt. in Pſ 129. 3. Oret cum deuotione, itaut oratio ex intimo cordis affectu procedat: vnde S. Chryſoſtomus perpendens illa Pſalmiſtæ verba; *De profundis clamaui ad*

ad te Domine: Quideſt (inquit) De profundis? non dixit ſolummodo ex ore, vel lingua, errante enim mente ſæpe verba funduntur: ſed ex corde profundiſſimo, cum magno ſtudio & magna animi alacritate, ex ipſis mentis penetralibus, &c. quæ enim ex ore tantummodo & labijs procedunt, & non ab imo aſcendunt, ne quidem ad Deum aſcendere queunt.

Denique oret cum perſeuerantia, id eſt, vt ab orationis ſtudio, non facile & quacumque data occaſione diuellatur; neque ob animi torporem aut tædium ab illa inchoata reſiliat; neque quiá poſtulata minime impetrat, nec cito exauditur, ideo ab orando deſiſtat; *vult enim Deus rogari,* (vt ait S.Gregorius) *vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Laborioſa quidem eſt aſſidua oratio* (vt loquitur S.Chryſoſtomus) *ſed quid non laborioſum quod à virtute proficiſcatur? Eſto igitur ſedulus in oratione,* (inquit idem S.Gregorius) *eſto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias.* Certe (vt cum S.Chryſoſtomo concludamus hoc caput) *Quiſquis nõ orat Deum, nec diuino eius colloquio cupit aſſidue frui, is mortuus eſt, & vita carens, expersque ſanæ mentis: nam hoc ipſum euidentiſſimum eſt amentiæ argumentum, non intelligere magnitudinem huius honoris,*

Greg. in Pſal. 6. Pœn.

Homil. 35. in Ioan.

Sup.

Lib. 1. de orando Deo.

nec amare deprecandi ſtudium, nec hoc habere perſuaſum, quod animæ mors ſit, non prouolui coram Deo: quin inſuper quod oporteat quauis morte triſtius exiſtimare ſi quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille Propheta *magnus qui maluerit mori, quam triduo duntaxat arcer*[illegible]

CAPVT IV.

De Meditationis ſeu orationis mentalis exercitio cuiuis Sacerdoti perneceſſario.

D. Hieronymus illa explicans Chriſti Domini verba in Euangelio relata, (*Ora patrem tuum in abſcondito*) *Mihi videtur* (*inquit*) *hoc magis eſſe præceptum, vt incluſa pectoris cogitatione, labijſque compreſſis Deum oremus, quod & Annam feciſſe in Regum volumine legimus. Vera quippe poſtulatio* (vt ait S.Gregorius) *non eſt in oris vocibus, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud ſecretiſſimas aures Dei, non faciunt verba noſtra, ſed deſideria.*

In cap.6 Matth.

Lib. 22. moral. cap. 18.

Quam-

Quamuis enim bonum ſit ſono vocis Deum ſpiritualibus hymnis glorificare, (vt dicit Iſidorus) *melius eſt tamen cum ſilentio orare corde, ſine ſono vocis, quam ſolis verbis ſine intuitu mentis.* Certè *qui in ſilentio orat* (vt recte monet S. Ambroſius) *fidem defert & confitetur quod Deus ſcrutator cordis & renum ſit, & quod orationem tuam ante audiat, quam ore fundatur.*

Lib. 1. de ſum. bõ. cap. 7.

Lib. 6. de ſacram. cap. 4.

Ex his patet quam ſalubre ſit orationis mentalis ſeu meditationis exercitium, cui profecto tum ab omnibus & quibuſcumque virtutis ſtudioſis, tum maxime à Sacerdotibus alijſque miniſterio Eccleſiaſtico addictis peculiari ſtudio incumbẽdum eſſe vel hinc conſtat, quod ſine illo vix quiſquam ad veræ & ſolidæ pietatis metam pertingere poſſit: ad quam tamen conſectandam ipſos Sacerdotes ſpeciatim adſtrictos eſſe certo certius eſt; vnde etiam in Concilio Mediolanenſi quinto præcipitur examinatoribus Ordinandorum vt inquirant, *an ordinandus in orationis ſanctæ ſtudio vſuque verſatus ſit? quibus meditationibus inſtructus Deum tacitus oret? quis orationis modus? quis illius fructus? quæ vtilitates? quot quibuſque partibus illa conſtet? quæ regulæ præparationis ad orationem, &c.*

Part. 3. tit. de examinãdi ratione.

Sapienter omnino Caietanus negauit

In 22. q. 82. a. 3.

gauit dici poſſe Religioſum (ſubiũgamus nec etiam dici poſſe verum Chriſti miniſtrum & Sacerdotem) eum qui ſaltem ſemel in die non orat mentaliter; eo quod ſicut effectus ſine cauſa, & finis abſque medio, & portus abſque nauigatione haberi nequit: ita perfectio Chriſtiana ad quam Religioſus, & potiori adhuc ratione Sacerdos conniti debet, abſque oratione mentali obtineri nequeat; quod vel ipſa experientia ſatis compertum eſt.

Verum operæ pretium eſt hic perſpicere qua ratione quis meditationi ſeu orationi mentali vacare queat, & quis ſit optimus illius recte inſtituendæ modus? Super quo, alijs omnibus omiſſis quæ dicenda viderentur, nihil melius aut aptius exiſtimauimus quam breuiculum aliquod hic apponere eorum quæ ab Illuſtriſſimo & nunquam ſatis laudato Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi in ſecunda Philotheæ ſuæ parte de illius orationis mẽtalis ratione & methodo, ſapientiſſime & cum maximo pietatis ſenſu dicuntur: remittentes eum qui plura noſſe cupiet ad alios authores qui de hoc exercitio diſſeruerunt, & præſertim ad ipſummet Saleſium tum in prædicta Philothea, tum in Theotimo ſuo, tum etiam in varijs Epiſtolarum

ſua-

ſuarum locis,in quibus de hac mentaliter orandi ratione fuſius agit.

Primum igitur quod ab eo præſcribitur ad recte orandum eſt debita ipſius orantis præparatio, iuxta illud Sapientis; *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* Hæc autem præparatio in eo conſiſtit, vt orans ſibi in mentem reuocet ſeriam & attentam Diuinæ præſentiæ cogitationem, idque ſiue eliciendo actum fidei circa omnipræſentiam Dei cœlum terramque ſua immenſitate replentis: ſiue ipſummet Deum per eandem fidem apprehendendo, non modo vt localiter præſentem, ſed etiam vt intime nobis ipſis inexiſtentem, noſque diuinitatis ſuæ præſentia viuificantem, iuxta illud Apoſtoli; *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus:* vnde & Dauid illum nuncupabat *Deum cordis ſui.* Eccl. 18 Act. 17.

Siue etiam conſiderando Chriſtum Dominum ſecundum humanitatem ſuam è ſummis cælorum in nos proſpectantem, ſicut illum vidit Protomartyr Stephanus: & de eodē, myſtica Sponſa loquens, *en ipſe ſtat* (inquit) *poſt parietem, reſpiciens per feneſtras, pro ſpiciens per cancellos.* Siue denique ipſummet Chriſtum ſecundum eamdem humanitatem nobis aſtantem proponendo; aut ſub ſanctiſſimi Sacramenti Cant. 2.

ſpeciebus realiter præſenté adorando.

Poſt diuinæ præſentiæ cogitationem, aliquo ex his modis ſimpliciter ac breuiter conceptam, ſubſequi debet humilis & ſupplex diuinæ opis in-
2 Cor. uocatio, cum *ſufficientes non ſimus co-*
3. *gitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit*, dicat igitur orans cum Regio Propheta.
Pſ. 50. *Ne proÿcias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me: Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & conſiderabo mirabilia de lege tua: da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.*

Poterit etiam vtiliter inuocari auxilium & interceſſio ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis, nec non ſancti Angeli Cuſtodis, & aliorum ſanctorum erga quos peculiari deuotione quis affectus eſt.

Subiungunt quidam hic ipſius myſterij meditandi propoſitionem ſiue per quandam ſpeciem in imaginatione, ſiue per ſimplicem fidem in intellectu, quod cuiuſque arbitrio relinquitur, vt ſcilicet id præſtet quod ad iuuandam attentionem vtilius ſibi fore exiſtimabit.

Hac præparatione breuiter præmiſſa, ipſius orationis mentalis præcipua pars aggredienda eſt, quæ in actibus tū intellectus, tū voluntatis conſiſtit: in actibus quidem intellectus, myſteriū

pro-

propoſitum meditando, illiuſque veritates circumſtantiaſque omnes attente conſiderando, & conſiderationes illas ſæpius iterando, vt ſic iuxta Pſalmiſtæ dictum *in meditatione exardeſcat, ignis;* id eſt, vt in voluntate pij affectus exercitentur, v. g. doloris de peccatis, timoris iudiciorum diuinorum, ſpei in Diuina miſericordia, deſiderij gloriæ cæleſtis, dilectionis & charitatis in Deum & proximum, compaſſionis ſuper Chriſti doloribus & paſſione, & alij ſimiles, qui demum in voluntate ipſa firmas producere & efformare debent reſolutiones, tum deuitandi peccata, tum virtutes ſectandi, tum etiã vtendi mediis ad vtrũque propoſitum conſequendum aptis. Pſ. 38.

Subſequitur ipſius orationis concluſio, quæ conſtat tum gratiarum actione pro gratijs in oratione acceptis; tum oblatione eorumdem affectuum & reſolutionum vna cum meritis Chriſti Domini; tum denique ſupplicatione, qua ipſius gratiæ diuinæ continuatio & augmentatio inſtanter poſtuletur, cuius ope in reſolutionum præconceptarum executione fideliter perſeueretur.

Hæc ſunt quæ Illuſtriſſimus ille Præſul ad meditationem eo quo decet modo inſtituendam aptiſſima eſſe arbitratus eſt, quibus ex eiuſdem men-

te, ad eundem finem quædam adhuc obſeruanda ſuperſunt.

1. Vt exactè ac fideliter, huic mentalis orationis exercitio tempus aliquod iuxta pij ac prudentis viri conſilium quotidie impendatur, nec vnquam omittatur niſi aut corporis valetudo, aut vrgens aliquod negotium obſtet. Docebit experientia, quantum hæc fidelitas & exactitudo, ad proficiendum & perſeuerandum in virtute, vtilis & proficua ſit.

2. Vt ad illud orationis mentalis, ſeu meditationis exercitium commoda aliqua & apta ſumatur hora, qualis eſt matutina, animo tunc negotiorum & conuerſationum incurſibus nondum implicato, & ad ipſius diei veluti primitias Deo offerendas melius diſpoſito.

3. Vt locus etiam aptus & quantum fieri poterit, ab exterioribus diſtractionibus liber deligatur, idque iuxta monitum ipſius Chriſti Domini dicentis; *Tu autem cum oraueris intra*
Matt. 6. *in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ſuper te, ora Patrem tuum.*

4. Vt corporis habitus & geſtus ad diuinum illud exercitium decenter peragendum debitè componatur: teſtatur quidem ſacri Euangeliſtæ Chriſtum Dominum ſæpe in terram proſtratum, & fere ſemper flexis genibus,

bus Patrem ſuum oraſſe; quod ſi filius dilectus ita ſe geſſit, qualiter gerere ſe debet ſeruus inutilis & plerumque malus, multorumque delictorum ſibi conſcius: *Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*. 1. Io. 1.

5. Vt antequam ipſa oratio inchoetur, ſubiectum quod meditandum eſt in aliquo pio libro prius perlegatur: quod etiam vtiliſſime fieri poſſet pridie, poſt examen ſerotinum, & ſic ea quæ in oratione meditanda ſunt, & melius intellectu concipiantur, & tenacius memoriæ adhæreant; & ita euagationibus, diſtractionibuſque, aditus omnis intercludatur.

6. Vt præcipuus in oratione locus detur affectibus & reſolutionibus; & ipſæ reſolutiones generales ad caſus particulares reducantur, itaut ſi fieri poſſit, ipſamet die in praxim mittantur, effectumque aliquem obtineant. Hic eſt enim veluti totius meditationis fructus, quo deficiente non modo inutilis, ſed & nociua eſſe poteſt: nam virtutes in meditatione deguſtatæ, nec poſtea executioni mandatæ, extollunt animum, qui vt plurimum ſibi ſe talem eſſe blanditur, qualem in oratione fore propoſuit.

Si ergo in meditatione aliquis v. g. Chriſti Domini erga calumniatores,

& inimicos clementiam & charitatem conſiderans ad illius exemplum conſectandum excitetur, proponatque ſibi aduerſos & infenſos diligere, iiſque benefacere: hoc etiam in particulari ſibi faciendum proponat, ergà hunc vel illum, à quo talem iniuriam aut offenſam accepit, vel cuius animum ſibi iniquiorem expertus eſt, vt ſcilicet eum ipſomet die conuenire apud ſe decernat, verbiſque ad mitigandum animum aptis alloqui, & etiam aliquo charitatis officio aut obſequio præuenire.

Denique vt ab oratione, non ſtatim animus in exteriores occupationes totus effundatur, ſed paulatim, & ſi id commode fieri queat, ſeruato aliquantulum ſilentio: vt ſic pij affectus in animo concepti diutius retineantur, & altiores in corde radices agant.

CAPVT. V.

De Officio diuino, à Sacerdote, aliiſque perſonis Deo ſacris priuatim perſoluendo.

OFficij Diuini nomine intelligimus ſolemnem illum publicæ orationis

nis ritum, qui ab Eccleſia præſcriptus eſt, & ita ſapienter diſpoſitus, vt nihil melius ad Dei gloriam, vel ipſorum miniſtrorum Eccleſiaſticorum, totiuſque populi Chriſtiani pietatem & deuotionem excitandam, aut cogitari, aut inſtitui potuerit.

Conſtat enim Officium illud variis Pſalmodijs, Hymnodijs, Canticis, Antiphonis, Lectionibus, Capitulis, Reſponſorijs, Collectis, Verſiculis, tum ex Scriptura, tum ex libris & Hiſtorijs ſanctorum pulcherrimo ordine & forma decentiſſima ſibi inuicem cohærentibus, & ad diuinum cultum perficiendum commodiſſimè & ſanctiſſimè diſpoſitis: quæ quidem licet non omnia eodem inſtituta ſint tempore, non ſunt tamen caſu & fortuitò, ſed ſummo conſilio ſic ordinata, vt nihil omiſſum videatur, quod opportunum eſſe poſſit ad mentem humanam, excuſſo torpore, in Deum excitandam, & per actus fidei, ſpei, charitatis, religionis, laudis, gratiarum actionis, ſimiliumque virtutum ipſi vniendam.

Porro in ſeptem partes quæ vulgato nomine ſeptem horæ canonicæ nuncupantur, partitum fuit iſtud officium: quia nimirum cum *ſepties in die iuſtus cadere dicatur*: cumque, vt obſeruat D. Hieronymus, hoſtis ille antiquus ſeptem ſpiritus nequiores ſe in noſtram per- *Prou. 24* *Comment. in Iob. c. 38*

perniciem aſſumat: ſepties proinde diuinam opem inclamare, & ſeptiformis ſpiritus gratiam ſupplicibus votis expoſcere debemus; vt & ſurſum aſſurgere, & tot aduerſantibus hoſtibus reſiſtere valeamus.

Cum autem duplici modo in Eccleſia diuinum illud officium peragatur, vel publicè ſcilicet, vel priuatim, de priuata illius recitatione breuiter hic aliquid dicemus, de ſolemni & publica ſequenti capite acturi.

Atque in primis nemini dubium eſt quin maximi momenti ſit huiuſmodi officium etiam priuatim à Sacerdotibus, alijſque perſonis Deo ſacris eo quo decet modo perſolui; præterquam enim quod ad id ſtrictè obligantur, nec niſi cum peccati reatu poſſint illud vel omittere, vel abſque attentione aut diſpoſitione debita recitare; ſanè in Concilio Aquiſgranenſi primo dicitur Sacerdotes, alioſque ad id obligatos, *memores Angelicæ præſentiæ, cum timore & veneratione competenti cœleſte officium complere debere; ne ſi, quod abſit, id negligenter, inhoneſtè, vel tepide expleuerint; in ſententiam, quæ dicitur, maledictus homo qui opus Dei facit negligenter, miſerabiliter delabantur.* (cap. 130)

Quid eſt enim vt in alio Concilio dicitur *voce pſallere, mente autem domum* (Cõc. Tre-bireñſ. 2)

aut

aut forum circumire, niſi homines fallere, & Deum irridere.

Quare in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. diſtricte, & in virtute obedientiæ præcipitur *vt diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum ſtudioſe ac deuotè celebretur.* *cap. Dolentes.*

(*Studioſè*) quoad officium oris, vt gloſſa interpretatur: id eſt, vt verba debite proferantur, non gutture vel inter dentes, ſeu degluriendo ſyllabas, aut ſyncopando dictiones, ſed reuerenter, verbiſque diſtinctis & vt decet eum *qui* (vt loquitur D. Chryſoſtomus) *pro vniuerſo terrarum orbe, legatus apud Deum, & deprecator intercedet.* *Lib. 6. de Sacerd. cap. 3.*

(*Deuotè*) quoad officium cordis, id eſt, vt *hoc verſetur in corde quod profertur in ore: ſi enim* (quod recte monet Caſſianus) *cum ſublimi alicui homini non dicam pro vita aut ſalute noſtra, ſed etiam pro alicuius lucri commodo ſupplicamus, totam in eum, & mentis & corporis aciem defigentes, de nutu eius trepida expectatione tendemus,* &c. *quanto magis cum illi occultorum omnium cognitori ſupplicamus, intenta atque ſollicita oratione ipſius clementia imploranda eſt; nec enim ſolum leui peccato, ſed grauiſſimo etiam crimine impietatis aſtringitur, qui precem Domino fundens, ſubito à conſpectu eius quaſi ab oculis non videntis* *Collat. 23. c. 7.*

tis

tis, nec audientis, improba cogitationis vanitatem ſecurus abſceſſerit.

Serm. de orat. Dom.

Sapienter omnino & appoſitè S. Cyprianus; *Cum aſtamus* (inquit) *ad orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio tunc omnis carnalis & ſæcularis abſcedat, nec quidquam tunc animus quam id ſolum cogitet, quod precatur: quæ autem ſegnitia eſt alienari & capi ineptis cogitationibus & prophanis, cum* Dominum *deprecaris? quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum* Deo *loqueris? quomodo te à Deo audiri poſtulas, cum te ipſe non audias? vis eſſe Deum memorem tui, quando tu ipſe memor tui non ſis?*

Ex his ſimilibus ſanctorum Patrum monitis, facile eſt colligere, duo præſertim ad debitam horarum canonicarum in particulari recitationem requiri.

Primum eſt, vt attento animo nec vllis alijs cogitationibus voluntariè diſtracto recitentur: ad conciliandam vero attentionem, diſtractioneſque vitandas, iuuabit ante ipſius officij inchoationem, Pſalmos, Antiphonas aliaſque eius partes, nec non commemorationes ſi quæ faciendæ ſint, præuidere & præparare; locumque & tempus aptum deligere, corpus decenter & religioſe componere: animum ab exterioribus auocare & coram

ram Deo ſiſtere, & cum recitatur officium, illius verba diſtinctè proferre, ad illorum ſenſum vel ad ipſum Deũ, attentum ſe præbere, & (vt recte monet S. Auguſtinus) *ſi Pſalmus orat, orare, ſi gemit, gemere, ſi gratulatur, gaudere; ſi ſperat, ſperare; ſi timet, timere.* *In Pſal. 30.*

Secundum eſt vt deuotè, & cum pio cordis affectu ipſæ horæ recitentur; ad quod quidem conferre multum poterit, ſi cor humiliatum & contritum Deo, in ipſo horarum exorſu offeratur: ſi intentio ad Deum laudandum, benedicendum, & glorificandum, vel ad gratias ipſi pro acceptis beneficijs agendas, aut ſatisfactionem aliquam pro peccatis exoluendam, vel eius gratiam inuocandam dirigatur: ſi in ipſo officij decurſu diuinæ præſentiæ memoria, & cogitatio renouetur: denique vt loquitur D. Bernardus. *Si cum immolatur hoſtia laudis iungatur ſenſus verbis; affectus ſenſui; exultatio affectui; grauitas exultationi.* *Serm. 3. in cant.*

CAPVT VI.

De publica Diuinorum Officiorum celebratione.

VSus pſallendi, hymnoſque in Eccleſia concinendi, & Officia diuina publicè ac ſolemniter celebrandi haud dubiè antiquiſſimus eſt: *Dauid* *Lib.* 17. *de ciuit. cap.* 14. *ipſe* (vt loquitur S. Auguſtinus) *erat vir in canticis peritus, qui harmoniam muſicam non vulgari voluptate, ſed fideli voluntate dilexerat*, &c. *is cantores inſtituerat, qui coram arca fœderis Domini muſicis inſtrumentis, & modulatis vocibus, decantarent*, & poſt Chriſti *Plin. Iun. lib.* 10. *epiſt.* 67. *Ruffin. lib.* 1. *Hiſtor. Eccl. c.* 35. Euangelium promulgatum, fideles huic pio Religionis officio tanto affectu addictos fuiſſe conſtat, vt etiam in medijs perſecutionum procellis, quod vel ipſi Ethnici teſtantur, ab illo non deſiſterent; quin potius coram Tyrannis & perſecutoribus illud conſtanter profiterentur.

Quam verò gratus & acceptus Deo ſit ritus ille diuinas laudes ſolemniter & publicè decantandi, cum plurimis rationibus & exemplis probari poſſit, tum maximè ex eo quod ipſimet beati ſpiritus Pſalmodiam & Hymnodiam nos

nos edocere non dedignati ſint: refert ſiquidem Caſſianus pia quadam contentione inter Aſcetas Ægyptios oborta, quis quotidiano cultui Pſalmorum numerus conueniens eſſet, alijs quinquagenos, alijs ſexagenos, nonnullis adhuc plures ad diuini Officij complementum requirentibus: cum iam inſtante ſolemnitatis veſpertinæ hora, quotidianos orationum ritus celebrare vellent, vnus præſtanti forma iuuenis, neſcio quid immortale ſpirans, in medium Pſalmos decantaturus exurrexit & cunctis in pſallentis verba omni cordis intentione defixis, duodecim Pſalmos cæleſti quadam vocis modulatione decantauit, illiſque finitis, ab vniuerſorum oculis repente ſubtractus, quæſtioni pariter & cæremonijs finem impoſuit. *Lib. 2. Inſt. c. 5*

Diſcimus etiam ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Theodoſio iuniore imperante, & Proclo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ clauum tenente, cum ob graues terræ motus vrbem concutientes, vniuerſus populus in campos vrbi vicinos confugiſſet, ibique ad propitiandum Deum, eiuſque miſericordiam exorandam preces funderet, puerum derepentè inſpectantibus cunctis in ſublime raptum fuiſſe, & poſt horam aut circiter terræ redditum retuliſſe, quaſi voces plurimorum alternatim *Nicep. lib. 14. cap. 5.*

pſal-

pſallentium, & *triſagion* concinentium, ſe è cœlo audiuiſſe, dictumque ſibi vt eum pſallendi, Deumque laudandi ritum populo indicaret: quo ſubinde factum eſt vt ceſſante omni terræ motu, ſecurus in vrbem ingrederetur.

Neque ſolum diuinis laudibus celebrandis, ſed & deuotioni fidelium excitandæ aptiſſimus eſt hic ritus, ſi conuenienter perficiatur; quod D. Auguſtinus teſtatur in confeſſionibus, vbi de ſeipſo loquens, *Quantum* (inquit) *fleui in Hymnis & Canticis tuis, ſuaueſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus: acriter voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat: inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis*, & alio in loco, *Cum reminiſcor* (inquit) *lachrymas meas quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ; & nunc ipſo commoueor non cantu, ſed rebus quæ cantantur, cum liquida voce, & conuenientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti huius vtilitatem agnoſco.*

Lib. 9. cap. 6.

Lib. 10. cap. 33.

Ex quibus huius S. Doctoris verbis alijſque teſtimonijs, & exemplis, ſupra relatis, colligi poteſt quanti momenti ſit, vt Officia diuina quæ ſolemniter ac publice fiunt in Eccleſijs, eo quo decet modo peragantur. *Sanè*

Illu-

Illuſtriſſimus Octauius Frangipanus Epiſcopus Tricarienſis in ſuo diſciplinæ Eccleſiaſticæ directorio dicit; *Quod ſi in quibuslibet Eccleſiaſticæ reformationis capitibus ſollicite, magnaque animi contentione laborandum eſt, vt nihil inordinatum remaneat, nihil integritatis ſuæ ſplendori non reſtitutum: multo magis contendendum eſt, & feruenti zelo curandum, vt diuinis Officijs ſacroſancta reddatur maieſtas, omniaque in his viuam atque perfectam in Deum fidem, ſpem & charitatem redoleant.* Additque, quod valde notandum eſt, *diu ſtare Chriſtianam Religionem non poſſe, vbi fides, ſpes, charitas in diuino cultu non ſubſiſtit.* Tit. de diu. offic.

Vt igitur quiuis ſacro miniſterio aſcriptus, officiorum diuinorum publicæ celebrationi non modo conuenienter interſit, ſed & pio ac deuoto animi affectu cooperetur, ac (*vt Scriptura loquitur*) *Domino ſapienter pſallat*; ex præfato Directorio quædam ſelegimus obſeruatu digniſſima, quæ ad debitam huius religioſi muneris exolutionem vtiliſſima, & aptiſſima eſſe exiſtimauimus. Pſ. 46.

Cum itaque aderit hora diuini Officij celebrandi (inquit) *quiſque cum omni alacritate primus in excubijs Domini interesse ſtudeat, non vanum nec inane reputans, aut in die æternæ retributionis negligendum ipſe alios ſemper præuenire ſtu-* Sup.

duxerit, ac prior Dominum ſalutare: & plus damnationis quam laudis habere, adeoque tepidi, faſtidioſi, negligentis otioſique animi indicium eſſe, ad vltimum campanæ motum expectare, & auari, irreligioſique hominis præ ſe ferre notam, deſinente campanarum ſono, ad Eccleſiam certatim accurrere, & inſtar venatorij canis hiante ore ſpiritum trahere.

Vbi quiſque templum fuerit ingreſſus, corpore & mente ante tabernaculum Corporis Dominici in genua prouolutus, per virtutem, ac myſterium illius Sacramenti, ſeſe Deo breui & ardenti oratione commendet, atque in illum tanquam vnicum totius Diuini cultus principium medium & finem, omnem intentionem atque attentionem animi configat; indeque mox cum ſilentio in chorum ad locum ſuum ſe conferat.

Porro ſi vſquam vultu, moribus, affectu, totiuſque exterioris, & interioris hominis compoſitione declaranda in Deum pietas, atque religio eſt, ea in templo, in choro, in ipſis diuinis Officijs, ac publicis religionis exercitijs declaranda eſt: parum enim in Deum pius ac religioſus eſſe conuincitur qui hic irreligioſus inuenitur.

In choro nemo priuatim ſibi officium dicat, & vocem choro ſubtrahat, nemo libros, litteras, aliaſque ſcripturas legat, nemo vt alterius errorem corrigat, murmurando, ridendo, contentioſe clamando,

do, obſtrependo, vel alio modo publicum officium interturbet: vnus cum alio non colloquatur, non hac illacque vano animo curioſoque oculo circumſpiciat, multo minus huc atque illuc per templum vagetur, aut confabulandi gratia in ſacriſtiam, aut ſacrarium, vel alium angulum ſecedat, ſed nec locum quidem mutet, neque è choro egrediatur niſi peractis ex toto Diuinis Officijs.

Angelicum cantandi officium non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, neque parcentes vocibus ſed alacriter perficiant, & quo maiore funguntur honore, quoue nobilitatis genere ſecundum carnem fuerint clariores, eo clariori voce & affectu omnes pariter, ſenes cum iunioribus, ſine vlla reprehenſibili verecundia aut rubore in pſalmis, hymnis & canticis laudent nomen Domini.

Singuli verſus, ſingula verba, ſingulaeque ſyllabae ad gloriam, honorem & cultum Dei, ad cantantium & audientium ædificationem, ſtudioſè, reuerenter, diſtinctè, clarè, ac intelligibiliter, deuoteque pronuntientur; vt canentium & audientium mens ſenſum verborum percipiat, priuſquam verba ipſa transmittantur: minime vero ſyllabæ ſyllabis, verba verbis, verſus verſibus inuoluantur. Præterquam enim quod præceps & inordinatus cantus cultui Dei plus detrahat, quam adijciat; populum magis ſcandaliſet,

ſet, quam ad pietatem & deuotionem excitet; magnam quoque animi impotentiam, atque imperfectionem cantorum arguit, eoſque potius effrani quodam animi impetu rapi; quam rectæ rationis imperio duci conuincit.

Omnis cantus ea moderatione inchoetur, vt cum ſuaui vocis modulatione ſine recondita vociferatione, boatu, vociſque raucedine perfici queat, itaut vere cantus ſit & non clamor, aut diuerſarum vocum ſtrepitus.

Siue ſtent, ſiue in genua procumbant, ſiue ſedeant, ab omni indecoro innixu, ſiue in ſcamnum, ſiue in murum, vel aliquid aliud abſtineant. Denique ita ſe in omnibus religioſis officijs gerant, ab ijſque diuinus cultus ſic peragatur, vt nihil in eo deſideretur quominus & Deo gratus ſit, & hominibus placitus, eoſque non modo aliquid in eo non offendat, ſed omnia ædificent, inſtruant atque reficiant.

CAPVT VII.

De ſacroſancto Miſſæ Sacrificio.

In Philot p. 2. cap. 14.

NOn ſine maxima ratione Illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis, ſacro-

ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium nuncupauit *exercitiorum ſpiritualium ſolem*, *centrum Chriſtianæ Religionis*, *cor ipſius deuotionis*, *pietatis animam*, *denique ineffabile myſterium*, *quod ipſammet diuinæ charitatis abyſſum comprehendit*; Siue enim perpendamus admirabilem ſacrificij illius cunctorum Domini mirabilium memoriam complectentis inſtitutionem, ſiue ſupremam & infinitam primi principaliſque Offerentis dignitatem, ſiue hoſtiæ quæ offertur excellentiam inexplicabilem, ſiue ſacræ illius actionis valorem inexhauſtum, illiuſque fructus & effectus inæſtimabiles; omnia in illo myſterio inueniemus ſumma, excelſa, ſancta, ac prorſus Diuina, proindeque omni cultu, reuerentia, & honore digniſſima.

Quando ſacrificamus (inquit D. Ambroſius) *Chriſtus adeſt*, *Chriſtus immolatur*, *ideoque per id tempus* (vt recte infert S. Chryſoſtomus) *& Angeli Sacerdoti aſſident*, *& cæleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat*, *& locus altari vicinus plenus eſt Angelorum choris in honorem illius qui immolatur*. *In c. 1. Luc.* *Lib. 6 de Sacerd. cap. 4.*

Quis enim fidelium dubitet (ait S. Gregorius) *in ipſa immolationis hora*, *ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri*, *in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe*, *ſummis ima ſociari*, *terrena cæleſtibus iũgi*. *Lib. 4. Dialog. cap. 58.*

Lib.3.de Sacerd. cap.4. Quare merito ſupra citatus B. Chryſoſtomus fidelem quemque ſacro altari aſtantem ſic affatur; *Dum conſpicis Dominum immolatum, & illic ſitum, Sacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi, ac rubefieri, etiamne te inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere cenſes? an non potius è veſtigio in cœlos transferri? an non carnis cogitationem omnem abÿciens nudo animo, pura mente, circumſpicis quæ in cœlo ſunt.*

Hom.83 in Matt. *Quo igitur ſolari radio* (inquit idem S. Pater) *non puriorem, ac ſplendidiorem eſſe oportet manum carnem hanc diuidentem? linguam quæ tremendo nimis* *Lib.6.de Sacerd. cap. 4.* *ſanguine rubeſcit?* *Nonne* (vt alio in loco recte ſubdit) *accedentem ad altare Sacerdotem, luminis inſtar orbem illuſtrantis, animum ſplendeſcentem habe-* *Lib.3.de Sacerd. cap.3.* *re oportet? ſicque purum eſſe, ac ſi in ipſis cælis collocatus inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret.*

Seſſ.22. in decr. de obſeruand. & euit. in celebr. Miſſ. Ex his, & ſimilibus ſanctorum Patrum effatis liquet, *quanta adhibenda cura ſit* (quod in ſacro Concilio Tridentino edicitur) *vt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium omni religionis cultu celebretur: quod quiuis facile exiſtimare poterit, qui cogitarit maledictum in ſacris litteris eum vocari, qui opus Dei facit negligenter. Quod ſi neceſſario fatemur nul-*

lum

lum aliud opus adeo ſanctum, ac diuinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quam hoc ipſum tremendum myſterium, quo viuifica illa hoſtia qua Deo Patri reconciliati ſumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur: ſatis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, vt quanta maxima fieri poteſt interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis & pietatis ſpecie peragatur.

Quod vt perfectius quiuis Sacerdos exequi poſſit, ex ipſius Concilij Tridentini, aliorumque Conciliorum decretis, & varijs Eccleſiaſticis regulis ea breuiter hic excerpſimus, quæ obſeruatu digniſſima & ad propoſitum noſtrum accommodatiſſima viſa ſunt.

In præfato igitur Concilio Tridentino prohibentur in primis *cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, illiberaleſque ac importuna pro Miſſis celebrandis, eleemoſynarum exactiones, potius quam poſtulationes; aliaque huiuſmodi quæ à Simoniaca labe, vel certe à turpi quæſtu, non longe abſunt.* Sup.

In eodem etiam ſtatuitur; *Ne in priuatis domibus atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantum cultum dicata oratoria, ab ordinarijs deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut regularibus quibuſ-*

cumque peragatur: ac niſi prius qui interſunt decenter compoſito corporis habitu, declarauerint ſe mente etiam ac deuoto cordis affectu, & non ſolum corpore adeſſe.

Item vt arceantur ab Eccleſijs muſica ea, in quibus ſiue organo, ſiue cantu, laſciuum aut impurum aliquid miſcetur, ſaculares etiam omnes actiones, vana atque adeo prophana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores, ita ut domus Dei vere domus orationis eſſe videatur, & dici poſſit.

Prohibetur quoque ne in hoc diuino ſacrificio detur aliquis ſuperſtitioni locus, neue Sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent, aut ritus alios, aliaſue ceremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenter & laudabili vſu receptæ ſunt.

In Concilio Treuirenſi edicitur; *vt*
an.1549 *ſacra illa actio, in qua ſacrificium pretij*
tit. de *noſtri, corpus ſcilicet & ſanguis Chriſti,*
Miſſ. *veraciter offertur pro viuis & defunctis ſumma religione & deuotione peragatur. ac ſedulo frequentetur & celebretur, eo modo, & his ceremonijs & ritibus obſeruatis quæ Romana ſeruat Eccleſia.*

Item vt dum Sacerdos ſacrum facturus in ſacrario induitur, nemo ibi confabulari præſumat, vnde ipſius deuotio interturbetur.

In Concilio Colonienſi. *Vt ea quæ*

in Miſſa elatiore voce dicenda ſunt, cum reuerenda modeſtia clare, diſtincte & exertè legantur: itaut qui audiendi ſacri cauſa adſtat, quid legitur intelligat, atque ad pietatem excitetur. an.1536 p.2.c.13

In Concilio Mediolanenſi primo plurima eaque notatu digniſſima decernuntur, ac præ cæteris *vt Sacerdotes in Miſſa celebratione ceremonias à Romana Eccleſia inſtitutas ad vnguem ſeruent, nec alias adhibeant: vt ab omni indecoro & abſurdo capitis, oris, & reliqui corporis motu abſtineant; vt propter erroris caſum qui in omni parte Miſſæ grauis, in canone grauior, in ipſa vero conſecratione grauiſſimus eſt, Miſſam legant, non vero memoriter dicant. Vt quo puriores ad diuinam rem faciendam accedant, ſaltem ſingulis hebdomadibus peccata ſua confiteantur; niſi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit. Vt antequam celebrent ſe colligant, & orantes mentem in tanti myſterij cogitatione defigant. Vt ſacris veſtibus induti cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures, mentemque & oculos ab omnibus amoueant quibus diſtrahi poſſent.* *Titul. de eis quæ pertinẽt ad celeb.* Miſſ.

In decretis generalibus Illuſtriſſimi Franciſci Bonhomij Epiſcopi Vercellenſis edicitur vt Sacerdos Miſſam celebraturus, antequam ad altare accedat, *diligenti prius examine conſcientiæ ſuæ latebras diſcutiat, atque ad confeſſa-* *Tit. de ſacroſãcto* Miſ*ſæ ſacrificio.*

rij probati pedes ſe proſternat octauo quoque die, etiamſi grauioris delicti reum ſe eſſe non ſentiat: deinde vt mente recogitet, ac pie meditetur myſterij quod tractaturus eſt altitudinem atque excellentiam, tum propriam ipſius miſeriam ac vilitatem, immenſum quoque Chriſti erga nos amorem, ac charitatem qua in Sacramento illo mirabiliter elucet, tum ſuum in diligendo torporem, ac prope contumaciam, totumque ſe in immenſam illam miſericordiam proijciens interno cordis clamore ſe tanto hoſpite indignum eſſe cognoſcat, & coram Domino fateatur.

In Directorio Illuſtriſſimi Octaui; Frangipani Epiſcopi Tricarienſis monetur Sacerdos; *vt quotidiana aut ſaltem frequenti huius diuini ſacrificij repetitione, ac refectione magis magiſque in pietate, omnique Sacerdotali virtute creſcat, augeatur, ac virili robore & conſtantia confirmetur; vt ſacrificia quanto crebrius facit, tanto ſanctiora faciat: quod fiet ſi animum ſuum rediuiuo ſpiritu quotidie innouet, & ſeu nouus homo, nouuſque Sacerdos, ac quaſi nunc primum Sacrificaturus, nouo peccatorum odio, nouaque ſoli Deo deſeruiendi voluntate, alacritate ac conſtantia reuiuiſcat.*

Tit. de diu. Offic.

„ *Item*, vt cum omni attentione; „ diſtinctione, grauitate, animique „ ſedatione, ſingula quæ ad ſacrum

Miſ-

„ Miſſæ officium pertinent, à Sacerdo-
„ te celebrante pronuntientur, vtque
„ nec nimium præceps aut feſtinus,
„ nec etiam æquo tardior ſit aut pro-
„ lixior; maioremque ædificationis
„ publicæ, quam proprij ſui affectus
„ rationem ſemper habeat.

„ Peracto denique ſacroſancto Miſ-
„ ſæ Sacrificio non minori cura quam
„ ad antecedentem Miſſæ præparatio-
„ nem requirebatur, quiſque in omni
„ ſilentio ac quiete actionum, locu-
„ tionum, ſenſuum & cogitationum
„ ſeſe contineat; & ſi per occupatio-
„ nes diu non poteſt, pauliſper tamen,
„ & per quartam aut octauam ſaltem
„ horæ partem deuotè ſecum medite-
„ tur, & intenta cogitatione perpen-
„ dat, quis? quid egerit? qua deuotio-
„ ne? quo fine? quo fructu hoc ipſum
„ peregerit? omneque imperfectum
„ ſuum, omnem animi ſui languorem,
„ cæcitatem, vincula, ac colligatio-
„ nes vanitatis, malas ac inolitas con-
„ ſuetudines, peccandique pericula,
„ & neceſſitates, ſibi ante oculos ſuos
„ ponat; & cor ſuum, omneque deſi-
„ derium coram Deo effundat, e i.ſ-
„ que adiutricem gratiam ſuppliciter
„ imploret; & virtute ac feruore illius
„ cibi quo refectus & animatus eſt,
„ tota voluntate, animique conten-
„ tione, vel vnum ſaltem defectum

„ in proximi ſacrificij diem expugnan-
„ dum extirpandumque ſuſcipiat.

Philot. part. 2. cap. 10. & 22.

Addamus pro coronide Illuſtriſſimi Epiſcopi Gebennenſis dictum omni acceptione dignum circa frequentem huius diuini myſterij vſum, quod quidem Sacerdotes illius quotidianæ celebrationi aſſuetos præſertim ſpectat.

„ Duo genera hominum (*inquit*,)
„ frequenti huius Sacramenti partici-
„ patione indigent: perfecti quidem,
„ cum enim ſint optime diſpoſiti, vi-
„ tuperio ipſis verteretur, ſi ad perfe-
„ ctionis fontem non accederent: im-
„ perfecti autem vt ad perfectionem
„ poſſint aliquando pertingere: fortes,
„ ne debilitentur, debiles vt robo-
„ rentur: infirmi vt ſanitatem recu-
„ perent: ſani ne in morbos incidant:
„ (*ſubiungit poſtea*) eos qui multis
„ ſæcularibus negotijs impliciti ſunt
„ ſacram Euchariſtiam frequenter per-
„ cipere debere, eo quod eius virtute
„ & præſidio indigeant, ſicut illi qui
„ plurimis laboribus attenuantur vi-
„ res ſolidis cibis crebro reficere opus
„ habent: denique ſanctiſſimum hoc
„ Sacramentum ſæpe percipiendum
„ eſſe, vt quomodo dignè percipi de-
„ beat experientia ipſa diſcatur: mi-
„ nus ſiquidem recte fit illud quod
„ raro fit.

„ *Alio nihilominus in loco ſapienter ad-*
„ *monet*, ad quotidianam huius ſan-
„ ctiſſimi Sacramenti perceptionem,
„ requiri diſpoſitionem quandam exi-
„ miam & exquiſitam, talemque vt
„ non modo quis ab omni peccato
„ mortali, & peccati venialis affectu
„ immunis ſit, magnoque illius diui-
„ næ communionis deſiderio tenea-
„ tur: ſed vt præterea pleraſque è per-
„ uerſis quas in ſe perſentit inclina-
„ tionibus ſubegerit, nec niſi de pru-
„ dentis, ac pij confeſſarij, ſeu ſpiri-
„ talis patris conſilio quidquam in re
„ tanti momenti facere præſumat.

CAPVT VIII.

De Sacramentorum admi-niſtratione.

CVm *Eccleſiæ ſacramenta*, (vt loquitur Tridentina Synodus, *ea ſint, per quæ omnis vera iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur*; ac proinde ex illis tanquam *è fontibus Saluatoris* haurienda ſit *aqua illa viua, quam qui biberit, in æternum non ſitiat, ſed fiat in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, hinc patet non modo quantum honoris & dignitatis

Seſſ. 7. in proœm.

Iſa. 12.

Ioan. 4.

Sacerdotibus Chriſtianis accedat, ex ſupernaturali ipſis conceſſa poteſtate, dona illa cæleſtia diſpenſandi, ſed etiam quantum diligentiæ, ac ſollicitudinis in diſpenſatione illa debitè exequenda ab ipſis requiratur.

Cant.5. Verè equidem de quolibet Chriſtiano Sacerdote dici poteſt; *quod manus illius tornatiles aureæ plenæ ſint hyacinthis fidelium vtilitati ab ipſo diſpertiendis*. Vere manus illæ Sacerdotales poſt ſolemnem vnctionem, *diſtillant myrrham primam & probatiſſimam* perſanandis peccatorum quorumcumquè vulneribus ſaluberrimam: ſed ex hoc ſtrictius etiam obligatur cauere: ac

Matt.7. proſpicere, ne *mittant margaritas illas cæleſtes ante porcos*, neue *ſanctum canibus dare velint*.

Dicant igitur cum Apoſtolo fidenter omnes quotquot ſunt Sacerdotali

1.Cor.4 charactere inſigniti; *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*; ſed non omittant quod ſequitur, *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur*, nec ſolum hic, ſed præſertim in futuro diuini iudicij examine, inquiretur exactiſſimè quis inter diſpenſatores fidelis inuentus ſit? quis illo diſpenſandi munere fideliter functus?

Vnde intelligitur, quod quò maior & ſublimior eſt ipſorum Sacramento-

rum dignitas & excellentia, & quò ſalubrior & vberior eorum fructus, eo etiam maiori Religione ac pietate tractanda, eo diligentiori cura & ſollicitudine fidelibus populis diſpenſanda ſunt: non enim leuior quam impietatis & ſacrilegij reatus in indebita eorum contrectatione & miniſtratione incurritur; *nec*, vt ait S. Auguſtinus, *niſi impiè contemnitur id ſine quo pietas ipſa perfici non poteſt.* *Lib. 19. cont. Fauſt. cap. 11.*

„ Curent itaque Sacerdotes quotquot Sacramenta adminiſtrant (*vt edicit Illuſtriſſimus Antiſtes Tricarienſis*) non ſolum vt Sacramentorum formas perfectè & debita cum attentione pronuntient, omniaque & ſingula, quæ ad ſubſtantiam Sacramentorum, & externum rei præſentis decorem ac maieſtatem pertinent: ſed & vt ipſi ab omni re quæ Diuinam Maieſtatem offendere quoquomodo poſſit, ſancti ſint & immaculati: ne dum aliorum ſalutem promouere ſtudent, ſibi ipſis grauiorem damnationem acquirant; & indignis modis Sacramenta tractando indignationem & iram Dei ſuper ſe ac populum inducant. *In director. Eccleſ. diſcipl. tit. de Sacr. admin.*

„ Et quamuis nullius ſibi criminis, aut offenſionis fuerint conſcij, nihil tamen ex conſuetudine agendi, aut temere, aut perfunctoriè agant: ac

„ de ſuis meritis nihil altum ſapien-
„ tes ſupplices in timore Dei, ante
„ ipſum Deum proſtrati, breui ora-
„ tione pro ſe, & pro illis quorum ſa-
„ lutis cauſam acturi ſunt, magno af-
„ fectu & deſiderio Deum deprecen-
„ tur, ac innouationem ſpiritus, ne-
„ ceſſariamque Dei gratiam implo-
„ rent.

„ Studeant inſuper vt Sacramenta
„ quæcumque ab ipſis non niſi ex mo-
„ re Eccleſiæ Catholicæ, & præſcri-
„ ptione Ritualis ſeu libri Paſtoralis
„ propriç diœceſis miniſtrentur; adhi-
„ bitis omnibus Eccleſiaſticis cæremo-
„ nijs, ac pijs ritibus pro ratione cuiuſ-
„ que Sacramenti, ex dictamine ipſius
„ Paſtoralis libri adhibendis.

Seſſ. 7. cap. 13. Sanè in Concilio Tridentino ana-thema profertur in eum qui dixerit, *receptos & approbatos Eccleſiæ ritus in Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe*: & in Concilio Mediolanenſi quinto, hoc inter cætera Sacerdotum officia præſertim requiritur: *Vt ſanctiſſima Sacramenta quæ diuinæ gratiæ inſtrumenta ad ſanctificandas animas à Christo Domino inſtituta ſunt, non ſolum purè, ſanctè, religioſeque ipſi tractent: verum etiam ritus ac cære-*

Titul. de ijs quæ ad Sacramenta pertinēt.

mo-

moniaſ teneant atque adhibeant, quæ in illis adminiſtrandis ſancta Eccleſia inſtituto, atque vſu comprobata ſunt.

Præterea cum dona illa cæleſtia, non ſolum ſine Simoniæ labe (vt in Concilio Mediolanenſi quinto edicitur) verum etiam ſine auaritiæ ſuſpicione diſpenſanda ſint; ideo cauere debent Sacerdotes, ne in eorum adminiſtratione quidquam exigant; aut etiam verbis vel ſignis, directè vel indirectè petant. *Part. 2. tit. de ijs quæ ad ſacram. admin. ſpectāt.*

» Quamuis enim (*vt monet Trica-*
» *rienſis Epiſcopus*) licitum ſit Paſtori- *In direꝭtor. Eccleſ. diſcip. ſup.*
» bus ea quæ à fidelibus poſt Sacra-
» mentorum adminiſtrationem ſpon-
» te offeruntur accipere: imo etiam
» ea quæ iuxta laudabilem locorum
» conſuetudinem eis debentur peracto
» ministerio exigere; (præſertim
» vbi potior pars victus atque ſuſten-
» tationis Paſtoralis à fidelium obla-
» tionibus pendet: cauere tamen dili-
» gentiſſime debent, ne directè, vel
» indirectè pactionem, aut contra-
» ctum aliquem pro Sacramento ali-
» quo miniſtrando, aut quouis alio
» Paſtorali officio exercendo ineant.
» Quia vero in Sacramentis, (*vt* *Part. 7. cap. 2.*
» *docet Colonienſe Concilium*) aliud vi-
» detur, atque aliud agitur; inſtruen-
» dus eſt populus in cuiuslibet Sacra-
» menti exhibitione, quid in huiuſmo-
» di religioſo arcano (id enim Sa-

cra-

„ cramentum ſonat) agatur: cum „ enim in Sacramentis per ſigna quæ„ dam ſenſibilia inſenſibilis gratia ſi„ gnis illis externis congruens infun„ datur, excitanda eſt fidelium mens „ & deuotio in Deum, vt credentes, „ ac diuinum myſterium intelligen„ tes, ad gratiam Dei & Saluatoris „ noſtri Ieſu Chriſti participandam „ accedant.

Quod ſi in ſuſcipientibus fides & deuotio requiritur, potiori adhuc ratione in illis qui diuina hæc myſteria diſpenſant: non enim ſufficit ad Sacramentale illud munus ritè obeundum, quod nullius culpæ lethalis ſibi conſcij, quod ab auaritiæ, vel Simoniæ ſuſpicione immunes; quod cum debita materiæ ac formæ adhibitione, intentionis directione, rituumque præſcriptorum obſeruatione Sacramenta diſpenſent; niſi etiam fidem ac deuotionem quam ab alijs exigunt, in ſeipſis habeant.

Colloſſ. 4. Priuſquam igitur Sacerdos ad Sacramentum quodcumque conficiendum, aut conferendum accedat, verba illa Apoſtolica tanquam ſibi dicta ſerio perpendat, *Vide miniſterium quod accepiſti, vt illud impleas*, cogita & mente perſpice quam eximium, quam admirabile ſit illud quod iamiã, acturus es: *Sicut enim* (inquit Emiſſenus)

ad

ad nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum: ita parem potentiam in ſpiritualibus Sacramentis miniſtri verbis præbet diuina virtus, & rei ſeruit effectus. *Hom. de Sacramēt. corpo. Chriſti to. 9. oper. S. Hieron.*

Vide igitur, o Sacerdos, miniſterium tuum vt illud honorifices, aut ſaltem ne illud dedecore afficias: vide *ne ſimilis fias aquæ baptiſmali* (vt ſapienter monet D. Gregorius,) *quæ peccata baptiſatorum diluens, illos ad cæleſte regnum mittit, & ipſa poſtea in cloacam deſcendit.* Vide & *ſollicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo & operarium inconfuſibilem,* qui non modo verba veritatis; ſed & Sacramenta diuinæ charitatis, ea fide, ea deuotione quæ Chriſti miniſtrum decet, tractare ac diſpenſare ſtudeas. *Hom. de Cur. Paſt.* *2. Tim. 2.*

Porro cum ex ſeptem Sacramentis quinque tantum ſint, quorum diſpenſatio Sacerdotibus credita ſit, Baptiſmi ſcilicet, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-vnctionis & Matrimonij, idcirco de illis agendum nobis eſt. Neque vero propoſitum eſt omnia hic euoluere quæ ad Sacramentorum illorum theoriam & praxim ſpectant; de quibus tum moralis Theologiæ libri, tum rituales conſulendi ſunt: ſed aliqua obſeruatu digna ſolummodo proponere, quæ ad digniorem perfe-

ſtioremque illorum adminiſtrationem diſpenſationemque conducere viſa ſunt.

Nec illud omittendum duximus, quod cum in omnibus alijs, tum maximè in Sacramentorum adminiſtratione, Sacerdos verè & ex animo ſe optimæ Matri Eccleſiæ ſubditum eſſe profiteri debeat, neque doctrinæ, aut antiquitatis, ſeu cuiuſcumque alterius rei prætextu in hodiernæ adminiſtrationis praxi communiter recepta & approbata quidquam innouare: quod quam periculoſum ſit, & à Chriſtiana humilitate alienum nemo non videt.

R. P. Carolus de Cõdren, Congregat. Orator. in Gallia Secũdus Superior Generalis, epiſt. 68.

Sanè perilluſtris huius ſæculi vir, non minus virtute, ac ſanctitate, quam eruditione & rerum Eccleſiaſticarum notitia inſignis, necnon ampliſſimæ Congregationis generali directione, ac Superioritate conſpicuus, in quadam ad omnes ſuæ Congregationis Sacerdotes epiſtola, ſapienter æque ac pie illos alloquens; *Viximus* (inquit) *eo ſaeculo, quo multi ſcandalum ſibi poſuerunt in ijs doctrina monumentis quæ ex primis Eccleſiæ ſaeculis ſuperſtant. Caterum hac noſtra Congregatio ſuos edocet, obedientiam quam Deus Eccleſiæ praeſtandam iubet, de Eccleſia praeſentis temporis intelligendam eſſe, quæ nos baptiſat, quæ nos in fide & religione* in-

inſtruit, cui proinde omnimodè ſubeſſe ac obedire tenemur; non vero directe Eccleſia primorum ſæculorum, cui tamen debitus honor deferendus eſt: ſcimus enim Eccleſiam in omnibus ætatibus ſanctam & ab omni errore immunem exiſtere; ſed illam hoc præſenti tempore loquentem, noſque docentem & inſtruentem obaudire, eiuſque voci tota animi ſubmiſſione obtemperare debemus.

CAPVT IX.

De quibuſdam obſeruandis ad debitam Baptiſmi adminiſtrationem.

CVm *Baptiſmus (*vt loquitur Senonenſe Concilium*) ſit fons ille patens domui Dauid & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris, & lauacrum regenerationis; in quo non ſolum mundantur peccatores, ſed etiam Chriſti gratia iuſtificati, hæredes conſtituuntur ſecundum ſpem vitæ æternæ;* Hinc intelligitur, quanti referat vt Sacramentum adeo ſalutare eo quo decet modo perficiatur; nec à Sacerdote, qui eius miniſter ordinarius eſt, non niſi conuenienter ac ſanctè conferatur.

an. 1528 tit. de Baptiſmo.

Sa-

Tit. de ijs quæ pertinẽt ad Baptiſm.

Sacerdos itaque baptiſaturus (vt editur in Concilio Mediolanenſi primo) *quam actionem ſuſcepturus ſit primum diligenter ipſe animaduertat, & ad tanti muneris functionem ſanctè grauiterque accedat.*

In Archiepiſc. Bonon. part. 3. inſtruct. de Baptiſm.

„ Intelligat à ſe per hoc Sacramen„tum, æternæ ſalutis ianuam illi, „quem baptiſat, reſerari (vt monet „Cardinalis Palæotus) proindeque „caueat ne quam alijs aperit, ſibi ip„ſi ob peccatorum ſordes occludat „& cum à Deo electus ſit, vt ſanctiſ„ſimi illius lauacri ſit miniſter, ita „etiam candidiſſimæ ipſius puritati re„ſpondere ſtudeat ijs virtutibus, quæ „in Sacerdote ad tam ſanctum mu„nus exercendum vocato requirun„tur.

„ Quare eo præſertim tempore quo „ad baptiſandum vocatur, mentem „erigat, ſpiritumque colligat, quid„que ſibi agendum ſit deuoto mentis „intuitu circumſpiciat: nempe ſe „tanquam de cælo miſſum nuncium „paciſque conciliatorem inter Deum „& baptiſandum, vt ſacro illo mini„ſterio filium iræ, & in iniquitatibus „conceptum, Dei filium & Ieſu Chri„ſti cohæredem ſecundum ſpem vitæ „æternæ efficiat.

Præmiſſo igitur breui conſcientiæ examine, & actu veræ contritionis eli-

elicito, inuocatoque diuinæ gratiæ auxilio, diligenter exequatur ea, quæ in rituali ad baptiſmum miniſtrandum ſeruanda eſſe præſcribuntur: ac præſertim omnem attentionem ponat, vt nihil eorum deſit, quæ ad ipſius ſacramenti validitatem neceſſaria ſunt; videlicet vt debita materia, aqua ſcilicet naturalis adhibeatur, vt aqua illa effuſa ſuper caput infantis vere illud contingat & abluat, vt ſimul cum illa effuſione & ablutione verba formæ ſacramentalis diſtinctè pronuntiet, debitamque intentionem afferat, ſaltem faciendi id quod facit Eccleſia.

Quoniam vero (vt recte obſeruatur in Concilio Mediolanenſi quinto) „ vnuſquiſque in Baptiſmo pie, ac re„ligioſe pollicetur operibus Sathanæ „renuntiare, eiuſque pompas deſe„rere, ideo præſertim Baptiſmi tem„pore præmonendi ſunt ij quorum „intereſt, non ſolum quomodo & „quam ſimplici amictu ad illum infans „deferendus ſit; ſed etiam quam re„ligioſa in Deum pietate, quam hu„mili ſpiritu, quanta etiam veſtitus „moderatione compatres, comma„treſue adeſſe debeant. Neque vero „vllum vel ornamentum, vel aliud „quidquam quod mundi huius pom„pam præ ſe ferat ab illis adhiberi de„bet cum minimè conſentaneum ſit; *Tit. de ijs quæ ad Baptiſm. pertinent.*

in

„ in ipſo vitæ Chriſtianæ ingreſſu, ſta-
„ tim ijs rebus ſtudere, quibus præ-
„ ſertim ſolemni ſponſione renuntia-
„ tur.

„ Fideles qui præſentes adſunt, piè,
„ religiosè, omnique animi attentio-
„ ne adeſſe monendi ſunt; vtque ipſi
„ memoria tacitè, ſtudioſeque repe-
„ tant, quæ Deo cum Baptiſmum ſu-
„ ſceperunt, ſanctè ſpoponderunt.

In Cōc. Mediol. 5. tit. de Baptiſ. „ Monendi ſunt infantium baptiſando-
„ rum parentes, vt eos potius patri-
„ nos eligant, qui ipſorum infantium
„ ſaluti conſulere, quam qui inopiæ
„ ſubuenire poſſint.

Ser. 183 de Tēp. „ Similiter quoque patrini ipſi &
„ matrinæ diligenter moneri debent,
„ eos (vt ait B. Auguſtinus fide-iuſſo-
„ res exiſtere apud Deum pro illis quos
„ de ſacro fonte ſuſceperunt: adeo-
„ que ab ipſis admonendos eſſe, vt
„ caſtitatem cuſtodiant, iuſtitiam di-
„ ligant, charitatem retineant; &
„ ante omnia vt Symbolum & Oratio-
„ nem Dominicam eos edoceant.

Conc. Mediol. 6. tit. de Baptiſmo. Demum peracta ipſius Baptiſmi ad-
miniſtratione, Sacerdos poſt alias mo-
nitiones patrinis, ac matrinis fieri ſo-
litas, hortabitur inſuper vt dies bap-
„ tiſmi qui ſolemni illa abrenuntiatio-
„ nis ſponſione profeſſioneque inſi-
„ gnis eſt, ideo ad pietatis exercita-
„ tionem vſumque, non pompis ſæcu-
li,

„ li, non conuiuiorum apparatu, non
„ luxu, non operibus tenebrarum,
„ cum dies lucis ſit celebretur: ſed
„ ſanctæ charitatis erga Deum &
„ erga proximum officijs.

Nec omittendum illud eſt quod in Directorio ſupra ſæpius citato habetur, vt ſcilicet ſaltem ſemel quotannis, v.g. in Dominica ſanctiſſimæ Trinitatis, ſi libeat, quandoquidem Euangelium quod tunc legitur optimam huius rei dat occaſionem, ſinguli paſtores ſuos ſubditos grauiter admoneant, & quibuſcumque poſſunt modis inducant, vt infantes quos ſciunt, non eſſe baptiſatos ſine dilatione baptiſandos offerri curent. *Tit. de Baptiſmo.*

„ Quoniam vero plerumque con-
„ tingere poteſt vt infans in mortis pe-
„ riculo conſtitutus, ab obſtetrice,
„ aut alia quauis laicali perſona, bap-
„ tiſari debeat; ne facile in ſubſtan-
„ tialibus Baptiſmi error contingat,
„ ea quæ ad eſſentiam baptiſmi perti-
„ nent clarè, & breuiter quotieſcum-
„ que dabitur occaſio pro concioni-
„ bus exponenda erunt; nullæque
„ ad obſtetricandum mulieres admit-
„ tendæ, quæ prius per Paſtorem loci
„ ſuper his ſufficienter non fuerint in-
„ ſtructæ.

CAPVT. X.

De recta diſpenſatione & adminiſtratione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.

SI vllum eſt Chriſtianæ religionis Sacramentum in cuius diſpenſatione attentionem, diligentiam, zelum, diſcretionemque Sacerdos afferre teneatur, illud maxime eſt *in quo Chriſtus Dominus* (vt loquitur Tridentinum Concilium) *diuitias ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens ſuorum mirabilium. Sacramentum, inquam illud pretioſum, admirandum, ſalutiferum, & omni ſuauitate repletum, in quo* (vt ſancti Doctoris verbis vtamur) *purgantur peccata, virtutes augentur & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur. Sacramentum, cuius ſuauitatem nullus exprimere ſufficit, per quod ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur, & recolitur memoria illius quam in ſua paſſione Chriſtus monſtrauit excellentiſſimæ charitatis.*

Seſſ. 13. cap. 2.

Opuſc. 57.

Sacramentum denique, ex cuius digna aut indigna ſumptione, vita vel mors;

mors; ſalus, vel damnatio æterna pendet. *Qui enim illud manducat & bibit indigne iudicium ſibi manducat & bibit, reuſque efficitur Corporis & Sanguinis Domini.* 1.Cor. 11.

Quare merito S. Chryſoſtomus in quadam homilia, poſtquam de diuini huius Sacramenti dignitate multa præclare dixiſſet, hæc de illius diſpenſatione & adminiſtratione ſubiungit. *Ad vos, o miniſtrantes; ſermonem conuertere neceſſarium eſt, vt multo cum ſtudio hæc dona diſtribuatis: non parua etenim vobis imminet vltio, ſi quemquam, illius culpæ conſcij, huius menſæ participem eſſe concedatis; ſanguis eius de manibus veſtris exquiretur; ſiue quis dux militiæ ſit, ſiue præfectus, ſiue princeps diademate coronatus, indignè autem accedat prohibe: maiorem illo poteſtatem habes. Propterea vos Deus hoc inſigniuit honore, vt talia diſcernatis: hæc veſtra dignitas eſt, hæc ſecuritas, hæc omnis corona, non vt albam & ſplendidam tunicam circumeatis induti.* Hom. 83 in Matt.

Vt igitur Sacerdos ſui erga ſanctiſſimum hoc Sacramentum miniſterij partes omnes implere poſſit, tria præſertim ipſi obſeruanda videntur. Vt ſcilicet fideli diligentia & ſedulitate illud in Eccleſijs conuenienter & decenter aſſeruari curet: vt fidelibus rectè diſpoſitis eo quo decet modo ad-

mi-

miniſtret: denique vt ijs qui indigni cenſentur, eius participationem conſtanter deneget.

Tit. de ſanctiſſ. Eucharistia.

„ *Quod ad primum ſpectat*, taber„naculum ſiue ſacrarium (*vt Illuſtriſ„ſimi Epiſcopi Tricarienſis Directorium „ſequamur*) in quo Sacramentum „Corporis Chriſti in Eccleſijs aſſerua„tur, debet eſſe firmum & ſplendi„dum, ac pro cuiuſque Eccleſiæ fa„cultatibus intrinſecus & extrinſecus „ita decenter & magnificè exorna„tum, vt & ſignum ſit præclaræ fi„dei deuotionis, ac pietatis illorum „qui illud curant; & earumdem vir„tutum incitamentum his, qui ado„rationis cauſa ad illud conueniunt.

„ Claues huius ſancti Tabernaculi in „Eccleſijs Parochialibus ſolus Paſtor, „eiuſque Vicarij, in alijs autem Ec„cleſijs earum ſuperiores, aut alij ab „eis deſignati cuſtodire debent, ac „diligentiſſimè curare vt illud ſemper „clauſum ſit, ne vlla vnquam ſacra„mento iniuria fiat.

„ In quacumque Eccleſia ſeruatur „ſancta Euchariſtia, ante illam nocte „ac die perpetuo lumen ardeat, in „ſignum atque incitamentum fidei, „atque deuotionis, quæ nunquam „extinguantur, ſed quotidie maiora „incrementa accipiant.

„ Omnia ſacra vaſa quæ ad oſten-

ſio-

„ ſionem, vel deportationem, aut cu-
„ ſtodiam ſanctæ Euchariſtiæ deſer-
„ uiunt, vt ſunt Tabernacula, oſten-
„ ſoria, ciboria, monſtrantiæ, arcu-
„ læ, calices & pixides, ſi argentea,
„ aurea, vel inaurata ſint, quotannis
„ minimum ſemel, ad feſtum ſcilicet
„ Paſchæ intrinſecus, & extrinſecus
„ mundentur, & ſplendori ſuo reſti-
„ tuantur: Quod ſi propter Eccleſiæ
„ paupertatem, vel direptionum pe-
„ ricula, fuerint ſtannea, ſingulis men-
„ ſibus diligentiſſimè defricentur: ęnea
„ autem, vitrea, lignea, & cuiuſcum-
„ que alterius materiæ, nullum ex ſa-
„ crorum canonum definitione, in
„ hiſce ſacris vſibus, locum habere
„ debent.

„ Sacro calici, ciborio, pixidi ſeu
„ cuicumque alij vaſculo, in quo ſan-
„ cta Euchariſtia conſeruatur, tam
„ in Tabernaculo ſeu ſacrario, cui in-
„ cluditur, quàm dum ad excitandam
„ populi deuotionem ſuper altare ex-
„ ponitur, ſemper conſecratum ac
„ mundum corporale ſit ſubſtratum.

„ Hoſtiæ ante octo, vel vt ſummum
„ quindecim dies conſecratæ, vna
„ cum minutiſſimis fragmentorum
„ particulis quæ in ciborio remanſe-
„ runt, à Sacerdote conſumantur, &
„ in ipſum ciborium ab illis fragmen-
„ tis & particulis mundatum nouæ

G ho-

„ hoſtiæ conſecratæ reponantur, nec „ vnquam illæ recentes cum his vetuſtioribus miſceantur.

Quod ad ſecundum attinet, in eodem directorio legimus ea quæ ſequuntur.

„ Sacerdos adminiſtraturus ſanctiſſimum hoc Sacramentum lauet manus, ſtola coloris conuenientis collum circumdet, & ad pedes Tabernaculi in quo illud aſſeruatur genibus prouolutus Deum ſupplicitet adoret, actum contritionis eliciat, diuinamque gratiam pro ſe, & pro communicandis exoret. Tum aperto Tabernaculo, genuflectat, & confeſſione generali à clerico recitata, vertat ſe ad populum ad cornu Euangelij, prolataque generali abſolutione, ad Sacramentum denuo conuerſus genuflectat, ſiniſtraque manu ciborium, pollice verò & indice dexteræ particulam vnam conſecratam aſſumat, & parumper attollat, & clara voce prolatis ijs quæ in Rituali habentur, incipiat diſpenſationem à cornu epiſtolæ; dumque ab vno ad alium procedit, caueat ne vel minima particula, ſi quæ forte ex contactu ſacræ hoſtiæ digitis adhæreret, caſu ex eis extra ciborium decidat & pereat: cui periculo vt quoad humana prouidentia fieri poteſt occurratur, particulę

con-

„ conſecrandæ ſigillatim à Sacerdote
„ mundentur, & abſtergantur, pannus mundiſſimus, & integerrimus
„ communicantium ori ſubſternatur,
„ qui poſtmodum finito Officio diuino à Sacerdote, vel Diacono inſpiciatur & perluſtretur, & ipſe Sacerdos in aliquo vaſe apto digitos purificet, & linteolo ad id ſpeciatim
„ deſtinato abſtergat.

„ Peracta autem Communione, ciborium ſuper Altare reponat, genuflectatque, ac demum in Tabernaculum inferat, quod antequam claudatur iterum genuflexus adoret,
„ & ad populum conuerſus ei benedictionem impertiatur; tum ad pedes Tabernaculi ſicut initio genibus
„ prouolutus, breui oratione pro iis
„ qui Corporis Chriſti participes facti ſunt gratias agat, vtque cum eis
„ Diuinus ille Seruator in æternum
„ manere dignetur ſuppliciter expoſcat.

Porro vt in illa adminiſtratione Sacerdos non modo ea quæ ſui muneris ſunt exequatur, ſed vt etiam quantum in ipſo eſt eos qui communicaturi ſunt iuuet ad ſanctiſſimum hoc Sacramentum dignè decenterque ſuſcipiendum; idcirco tempore opportuno docebit ipſos, qua fide, humilitate, modeſtia, deuotione, charitate,

ad ſacram Chriſti menſam accedere debeant: commonefaciet etiam de diſpoſitionibus exterioribus quæ ad tanti myſterij reuerentiam requiruntur, ac præſertim quod in præfato di-
Sup.
„ rectorio habetur) *vt* veſtitus hone-
„ ſtus ſit ac modeſtus, præſertim in
„ mulieribus, nihil irreuerentiæ, ſu-
„ perbiæ, faſtus, vanitatis, aut im-
„ pudicitiæ præ ſe ferens.
„ Vt qui ad ſacram Communionem
„ accedunt, vtroque genu in terram
„ flexo, non vagis oculis, aut incõpo-
„ ſitis manibus, ſed oculis ac mente
„ in ſacram hoſtiam intenta, iunctiſque
„ ante pectus manibus, ſuppliciter ſe-
„ ſe ad locum communionis & reue-
„ renter ſiſtant.
„ Vt illuc accedant, & illinc rece-
„ dant non feſtini, alioſque offenden-
„ tes aut prementes, ſed omni cum
„ modeſtia, ſedatione, grauitate; vt
„ omnibus modis animus ſibi impe-
„ ret, nihilque faciat contra rectum
„ ordinem, aut charitatem, vbi ordi-
„ nis & charitatis ſummam decet eſſe
„ perfectionem.
„ Vt Sacerdote porrigente ſacram
„ Euchariſtiam, caput ad eam com-
„ modè ſuſcipiendam nonnihil attol-
„ lant, oculis interim demiſſis, os mi-
„ nimum ad latitudinem pollicis ho-
„ neſte aperiant, ac linguam vſque
ad

„ ad inferius labium vltra dentes exe-
„ rant; vt ſacra hoſtia, ſine barbæ den-
„ tiumque offenſione, ſuper eam à Sa-
„ cerdote imponi poſſit.

„ Vt in ipſo actu ſuſceptionis ſan-
„ ctiſſimi Sacramenti, nec in his quæ
„ dicta ſunt, nec in aliqua ſui corporis
„ parte ſe moueant, ſed capite, lingua,
„ ac toto reliquo corpore quieti, ac
„ immobiles, manum cœleſtia dona
„ porrigentis expectent.

„ Vt ſuſcepta ſacra Euchariſtia, vbi
„ Sacerdos manum ſuam retraxerit,
„ caput ſuauiter ac ſedatè inclinent,
„ ſummaque cùm reuerentia, feruen-
„ tiſſimo deſiderio, & cupidiſſimo ani-
„ mo panem cœleſtem, itaut, quan-
„ tum fieri poterit palatum non tan-
„ gat, deglutiant; ſeque Chriſto Do-
„ mino tota voluntate vniant, & con-
„ forment.

„ Vt ſumpta Euchariſtia ad dimi-
„ diam horam aut circiter à ſpuendo
„ caueant, aut ſi aliqua neceſſitate ad
„ id cogantur, non quidem in terram
„ exſpuant, vbi conculcetur; ſed in
„ parietem, angulum, aut ſudariolum,
„ vbi ſine aliqua irreuerentia exſicce-
„ tur: ac demum poſt Communionem
„ peculiari affectu & ſtudio, in bene-
„ ficij accepti meditatione, gratiarum
„ actione, & ſanctis orationibus in-
„ cumbant: ac veluti noui homines,

„ac nouo Sacramenti vigore confor-
„tati, ita vitam in omni ſermone,
„actione, & conuerſatione ſua inſti-
„tuant, vt par eſt eos facere, qui ſpi-
„ritum Chriſti acceperunt, eiuſque
„carne & ſanguine ideò paſti ſunt, vt
„illi interioris & exterioris hominis
„conformitate ſimillimi fiant.

Quod denique ad tertium ſpectat, diuinis Eccleſiaſticiſque legibus cautum eſt, ad ſacram Communionem admittendos non eſſe publicos peccatores, quales ſunt notoriè Concubinarij, Blaſphemi, Magi, Sortilegi, alijque crimine aliquo publico infames; ac etiam illi qui nominatim excommunicati, aut publici clericorum percuſſores: Imo Illuſtriſſimus Epiſcopus Vercellenſis cenſet, *eiuſmodi facinoroſis hominibus, (quos in peccatorum cœno diu volutatos non ita facile ad cor reuerti vſu compertum eſt,) licet in confeſſione ad breue tempus aliquod Pœnitentiæ ſignum præ ſe ferant, ſacram nihilominus Euchariſtiam non eſſe præbendam, niſi prius aliquod veræ ac ſolidæ contritionis argumentum dederint, ac per aliquot dies probati ſe pœnituiſſe oſtenderint.*

Et S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanenſi primo decreuit *eiuſmodi peccatores ſemel ad confeſſionem & Communionem admiſſos, ſi poſtea eos in eodem*

In decr. reform. Eccleſiaſt. tit. de ſanct. Euchar.

Tit. de ijs quæ pertinēt ad Sacr. Euchar.

eodem peccatorum cœno hærere cognitum ſuerit, amplius ad ſacram Communionem admittendos non eſſe, niſi poſtea eos vitam & mores emendaſſe conſtet.

Quamuis autem occulti peccatores numquam publicè à communione arceri debeant: admonendi tamen ſunt ne contra diuinæ legis præſcriptum, ad tremendam illam menſam, peccatorum ſuorum ſibi conſcij accedere, *vimque Corpori & Sanguini Christi* (vt loquitur S. Cyprianus) *inferre audeant*, tales verò Illuſtriſſimus Epiſcopus Tricarienſis præſertim cenſet eos eſſe, *qui peccatum aliquod mortale culpabiliter in confeſſione retinuerint; qui iniuſte acquiſita reſtituere neglexerint; qui inimicis ex animo reconciliari, aut ijs reconciliationis ſigna oſtendere noluerint; qui ab occaſionibus proximis peccandi ſeparari recuſauerint; qui Symboli Apoſtolici, Decalogi, & Orationis Dominicæ ignorantia laborantes, ediſcere illa non curauerint; qui toto anno vulgaribus quidem, ſed grauibus peccatis, ex praua quadam habitudine adhæſerint; vt puta blaſphemijs, ebrietatibus, impudicitijs; & circa Paſchæ tempus conſuetudine quadã & ne videri poſſint non Chriſtiani eſſe, potius quam Dei amore, & odio iniquitatis, ac vitæ melioris deſiderio confiteri, ac communicare cupiunt, & nihilominus in eodem luto hærere per omnem ætatem*

Serm. de Cœn. Domin.

In Director. titul. de ſacr. Eucharist.

tacitè velle præſumuntur, nulla vitæ emendatione vnquam ſecuta, nec vllo conatu proficiendi adhibito.

Hæc ſiquidem & alia ſimilia, quæ non tam peccata, quam peccatorum ſtatus dici debent, omnino Communione indignos reddunt.

Porro cum de his omnibus quæ ſecretum conſcientiæ forum ſpectant, iudicium fit penes ipſos Sacerdotes, ſicut indignos ad ſacram Chriſti menſam nullatenus admittere, ſic etiam ſufficienter diſpoſitos temere ab ea repellere & arcere non debent: vnde S.Leo Papa. *Nulli Chriſtianorum* (inquit) *facile communio denegetur, nec ad indignantis arbitrium Sacerdotis hoc fiat;* & paucis interiectis, conqueritur, *leuibus de cauſis quoſdam à gratia communionis excluſos; & animam pro qua Chriſti Sanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſæui ſupplicij ſauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incurſibus, vt facile capiatur obiectam.*

Epiſt.80

CA-

CAPVT XI.

De ijs quæ à Sacerdote obſeruari debent in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento.

CVM (vt monet Illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis in Epiſtola Paſtorali ad clerum ſuæ Diœceſis) *Sacerdotes confeſſionibus audiendis deputati, iudices Dei ipſius nomine conſtituantur; idque tanta authoritate, vt quæ in terris recte decreuerint, & ſanxerint, in cælis rata & firma habeantur: proindeque ora ipſorum ſint veluti ſacra quædam ſtillicidia per quæ pax è cælis in homines bonæ voluntatis effluat; voceſque eorumdem ſe habeant inſtar tubarum Magni Ieſu quæ illius virtute, myſtica Hierichuntis, id eſt, iniquitatis muros ſubruant*: Hinc ſequitur illos tanto muneri debitè ac dignè obeundo, diu noctuque inuigilare, præcipuamque curæ ac ſollicitudinis ſuæ partem impendere debere. Lib. 7. Epiſt. 70.

Ad eos autem in re tanti momenti iuuandos, nihil melius aut aptius nos præſtare poſſe exiſtimauimus, quam

breuiculum hic attexere eorum quæ proponuntur in eadem Epiſtola, haud dubiè cuiuis Confeſſario lectu digniſſima & vtiliſſima.

In primis igitur Sacerdos confeſſarius qui aliorum conſcientias purgare & mundare intendit, propriam negligere non debet, ſed illius puritatem & munditiem præcipuo ſtudio curare;
Luc. 4. ne illi dicatur, *Medice cura teipſum*, aut eidem illud Apoſtoli exprobretur, *in quo alium iudicas, teipſum con-*
Rom. 2. *demnas*, quare antequam in tribunali pœnitentiæ ſedeat, prius ſeipſum dijudicet, & vel Sacramentali confeſſione ſi opus ſit, vel actu contritionis præmiſſo, humili prece, opem diuinam ſibi alijſque quibus aderit imploret, ſimulque intentionem dirigat, & zelum procurandæ ſalutis animarum in ſeipſo exſuſcitet.

Meminerit pœnitentes in confeſſionis exordio Patrem illum vocare, proindeque corde & amore paterno ipſos excipere, & amplecti debere, eorumque ignorantiam, tarditatem, imbecillitatem, aliaſque imperfectiones tolerare, & nunquam in ijs quocumque modo iuuandis fatiſcere, quamdiu adluceſcet ſpes aliqua emendationis.

Huic paternæ charitati, medicinalis prudentia iungenda eſt, qua conuenientia & ſalutaria remedia vnicuique ægri-

ægritudini ſpirituali apponere queat: v.g. ſi pœnitens pudore ſuffundatur, eum ad excutiendam importunam illam verecundiam, piamque fiduciam concipiendam inuitet; benignè commonendo, peccati cuiuslibet confeſſionem eſſe actum virtutis Deo acceptum, ipſique pœnitenti honorificum: peccare quidem humanæ conditionis & infirmitatis eſſe, peccatum vero per pœnitentiam diluere, virtutis.

Si è contra pœnitens nullo neque pudore, neque timore permotus videatur, acrioribus ſtimulis erit excitandus; Dei præpotentis præſentia ipſi ob oculos ponenda, pauorque iudiciorum diuinorum incutiendus, ac mortis, & rationis in eius hora coram ſupremo iudice reddendæ recordatio ſuggerenda.

Quod ſi peccatorum multitudine, & mole oppreſſus pœnitens, miſericordiæ diuinæ diffidentia aliqua laboret; eius ſpes in Deum pijs conſiderationibus erit exſuſcitanda, puta benignitatis illius ineffabilis, qua Chriſtus Dominus peccatores quoſcumque ad ſe reuertentes excepit, charitatis immenſæ quam erga omnes homines oſtendit, tanta pro illis, & tam acerba patiendo, &c.

Si videatur pœnitens animo per-

plexus, eo quod neque conſcientiæ latebras omnes prout voluiſſet diſcutere potuerit, neque peccata explicare poſſit, offerendum ipſi erit auxilium, & animus addendus, ſpeſque ingerenda, dummodo ex animo velit, & ſincero corde feratur, nihil impedimenti fore, quominus eius confeſſio valida & fructuoſa eſſe queat.

Porro charitate ac diſcretione præ cæteris opus eſt ad iuuandos pœnitentes, præſertimque mulieres in confitendis ijs peccatis quæ pudorem afferunt, vt ſcilicet neque retineant ea quæ explicari debent, neque plus ab ejs quæratur quam neceſſarium ſit: Ad hoc autem iuuabit, ſi primo interrogentur de leuioribus, an v. g. aliquid minus honeſtum aut pudicum audierint vel locuti fuerint, inde ad cogitationes, & delectationes interiores, tum ad alia grauiora peccata, ſi opus ſit procedatur.

Quando ipſi pœnitentes ſeipſos accuſant, licet verbis interdum minus decentibus vtantur; vel excuſationes, narrationes inutiles, aliaue ſimilia confeſſioni immiſceant, patienter audiendi erunt, nec vllo modo interturbandi; ſed poſteà benignè à Confeſſario commonendi qua ratione in poſterum decenter magis, ac ſimpliciter peccata explicare queant, defectuſque illo-

illorum in ſeipſis accuſandis ſi quis fuerit, interrogationibus prout magis expedire videbitur, ſupplendus erit.

Illi autem qui peccatis aliquibus enormibus, puta ſortilegijs, veneficijs, beſtialitatibus, alijſque ſimilibus abominationibus implicati, conſcientiæ terroribus exagitantur, ac in deſperationem iam iam videntur prolapſuri, peculiari charitate ſolandi erunt ac iuuandi, infinitaque Dei miſericordia proponenda, & auxilium quodcumque pollicendum, quo ex horrendo illo, & infelici ſtatu emergere poſſint.

Sacerdos igitur præmiſſis his diſpoſitionibus, ac vt ſupponimus, ſcientia ad Pœnitentiæ ſacramentum debite miniſtrandum neceſſaria præditus, necnon ab Epiſcopo approbatus, & iuriſdictione ordinaria aut delegata ſufficienter inſtructus, quando confeſſionibus audiendis vacare libuerit, debet hunc iudicialem actum grauiter ac decenter exercere, in habitu Sacerdotali, cum veſte talari, & ſuperpelliceo, cui conueniens eſſet ſtolam ſuperimponi. Sedebit caput birreto opertus, in loco aliquo Eccleſiæ in quo conſpici poſſit; vultũq; præ ſe feret placidum, ac benigna quadã grauitate temperatum, quem, quicquid ipſi dicatur in confeſſione, nullatenus immu-

mutabit, ne vel minimum ſigillo confeſſionis præiudicium afferat.

Pœnitens è latere Confeſſarij genuflexus, primo de ſtatu & conditione, ſi ignotus ſit, interrogabitur, tum de loco habitationis, ne ſcilicet confeſſarius iuriſdictionis ſibi conceſſæ limites excedat: exinde inquiretur tempus vltimæ confeſſionis, & num in ea pœnitens peccatum aliquod mortale ſcienter reticuerit? aut pœnitentiam iniunctam implere neglexerit? num antequam ad pœnitentiæ tribunal veniret, conſcientiæ ſtatum explorauerit? & peccata commiſſa ſibi in memoriam reuocare ſtuduerit? num ea quorum recordatur integrè ac ſimpliciter declarare, de ijſque ex toto corde dolere, & ab ijſdem impoſterum cauere velit? eaque omnia peragere quæ ad propriam ſalutem neceſſaria videbuntur?

Tum autem præbebit ijs de quibus pœnitens ſeipſum accuſare voluerit; neque enim tolerandus eſt abuſus illorum, qui niſi à confeſſario interrogati, nullum vnquam faterentur peccatum; quod tamen non obſtat, quin poſtquam ſeſe vtcumque explicauerint, ipſe confeſſarius eos interrogationibus ad confeſſionem perficiendam iuuare poſſit, & etiam interdum debeat: quando ſcilicet eorum accu-

ſatio-

ſationem minime ſufficientem iudicat ad confeſſionis integritatem.

Hæc autem interrogatio conuenienter fieri poterit de peccatis ijs tam operis quam locutionis, & etiam ſolius cogitationis, quæ tum Decalogi præceptis, tum Eccleſiæ legibus, tum præcipuis virtutibus aduerſantur, ſpectata ætate, conditione, moribus & occupationibus cuiuſque pœnitentis, & in quocumque peccato mortali numerum, & circumſtantias ſpeciem mutantes, aut notabiliter aggrauantes inquirere oportebit, nec non diligenter perſpicere, num aliqua ſubſit obligatio famam aut bona aliena reſtituendi, vt hæc reſtitutio pœnitenti iniungatur, & ſi commodè poſſit ante abſolutionem adimpleatur, aut certe ipſe pœnitens ſe reſtituturũ ita polliceatur, vt eius verbis fides haberi poſſit, puta ſi alias id quod pollicitus eſt adimpleuit: ſin minus, prudentis erit confeſſarij id agere, quod ad Sacramenti reuerentiam, & pœnitentis ſalutem tutius ipſi videbitur.

Demum videat, num ipſe pœnitens ad effectum Sacramenti percipiendum, ſit ſufficienter diſpoſitus? num abſolutio ipſi deneganda ſit, aut differenda? deneganda quidem, ſi v.g. ſtatum aut occaſionem proximam peccati relinquere, aut iniunctam

pœ-

pœnitentiam exequi, vel inimicis nolit reconciliari: Item ſi pœnitens aliqua cenſura innodatus ſit, aut in caſum aliquem reſeruatum incurrerit, pro quo ſuperior ſit adeundus: differenda vero, ſi pœnitens ad effectum Sacramenti conſequendum non ſit ſufficienter diſpoſitus, puta quando de plurimis & grauiſſimis peccatis à ſe in confeſſione declaratis parum aut vix dolere ſe demonſtrat, quando in eadem illa peccata ſæpius ex praua quadam habitudine delapſus, non ſatis firmum emendationis propoſitum oſtendit, nec adhuc vllum ad eiuſmodi peccata deuitanda conatum adhibuit: in his enim & ſimilibus caſibus, pœnitenti ſaluberrimum erit, ſi per aliquot dies abſolutio differatur, ac interim aliqua pietatis exercitia inolitę peccatorum conſuetudini oppoſita, eorumque radicibus euellendis apta iniungantur.

Quod ſi nulla eiuſmodi cauſa ſubſit, ipſeque pœnitens ad percipiendam abſolutionem iudicetur idoneus; tunc peracta confeſſione, denuò ad veram de peccatis contritionem concipiendam, ſi ita expediat, erit pijs aliquibus motiuis excitandus; ac tandem ſalutaris & conueniens pro qualitate criminum, & ipſius pœnitentis facultate, quantum ſpiritus & pruden-

tia

tia ſuggeſſerit iniungenda erit ſatisfactio, quæ talis ſit, vt tum ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, tum ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem conferre poſſit.

Quod quidem conuenienter fiet ſi (vt habetur in Rituali Romano) contrarias peccatis pœnitentias iniungat, velut auaris eleemoſynas, libidinoſis ieiunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis deuotionis ſtudia, rarius autem vel ſerius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, vtiliſſimum fuerit conſulere vt ſæpe puta ſemel in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat communicent.

Illud tamen præcipuo ſtudio cauere debet confeſſarius, ne tales imponat ſatisfactiones ex quibus alij v. g. maritus, parentes, vel domeſtici in ſuſpicionem peccati alicuius in confeſſione declarati, venire poſſint; aut ex quibus generatim coniiciant, graue aliquod peccatum à pœnitente commiſſum fuiſſe; quod etiam habetur in præfato Rituali Romano, in quo expreſſe prohibetur, ne vnquam pro peccatis occultis quantumuis grauibus, ſatisfactio aliqua publica & manifeſta imponatur.

Iniun-

Iniuncta demum & à pœnitente acceptata pœnitentia, confeſſarius illi abſolutionem cum debita intentione eo ritu conferet, qui in Rituali ſiue Romano, ſiue cuiuſque Eccleſiæ proprio præſcribitur; & poſt illam vel etiam ante, prout magis expedire videbitur, pia aliqua & ſalutaria monita & conſilia ipſi pœnitenti ſuggeret, tum ad vitæ emendationem, tum ad profectum in virtute faciendum, & ſic illum in pace dimittet.

CAPVT XII.

De adminiſtratione Extremæ vnctionis.

In Archiep. Bonon. p. 3. in inſtr. de Sacramēt. Extr. vnct.

SI in omnibus Sacramentis recipiendis (vt monet Cardinalis Palæotus) *magna præparatio & diligentia adhibenda eſt, in hoc ſane quod in extremo peregrinationis humanæ curriculo adminiſtratur, eo magis neceſſe eſt à parochis omnia pietatis officia exerceri, vt fideles ex hac mortali vita migrantes, in illo momento vnde pendet æternitas, contra diaboli tunc præſertim quærentis quem deuoret, inſidias roborentur.*

Quo enim magis langueſcit humanæ infirmitatis virtus (ait Epiſcopus Tricarien-

rienſi.) & vnuſquiſque moriens ad ingrediendas ignotas ſibi futuri ſæculi vias, ob peccatorum ſuorum conſcientiam & abyſſum iudiciorum Dei magis timet, magiſque horret, eo magis ſollicita eſſe debet Paſtorum & Sacerdotum charitas, vt Chriſtianus quiſque in Extremo *illo agone contra omnes Sathanæ inſultus benè armatus ſit, & in ſpem Diuinæ miſericordiæ fidenter erectus.* *In direct. Eccleſ. diſc. tit. de Extr. vnct.*

Quare cum clementiſſimus Dominus ac Redemptor noſter in Extremæ-vnctionis Sacramento vim & gratiam quandam medicinalem, & confortatiuam in fidelium morientium ſubſidium & ſolatium reliquerit, nihil officij ſtudij ac diligentiæ à Paſtoribus, & eorum delegatis Sacerdotibus prætermitti debet, quominus hoc Sacramentum quod *totius Chriſtianæ vitæ conſummatiuum*, vocat ſancta Synodus Tridentina) debitè ab ipſis miniſtrari, & condignè ab infirmis ſuſcipi poſſit. *Seſſ. 14. procem. doct. de Sacramēt. Extr vnct.*

» In primis igitur (*vt præfatum Directorium ſubſequamur*) Curent Pa- *Sup.*
» ſtores & Sacerdotes, vt ex animis
» fidelium hanc impreſſionem eximāt,
» qua male perſuaſum aliquibus eſt,
» Extremæ-vnctionis perceptionem
» ad certam mortis facere accelera-
» tionem; ideoque eam magna cum
» fidei & ſpei iactura differendam eo
» vſque iudicant, donec iam mori in-

ci-

„ cipiant, itaut (quod alioquin ad vbe-
„ riorem Sacramenti huius gratiam
„ factum oportebat) nullam aut exi-
„ guam fidem, & religioſam animi vo-
„ luntatem, in illius perceptione affer-
„ re poſſint.
„ Cum Sacerdos ſacrum infirmo-
„ rum oleum ad ægrotum perferet,
„ ſuperpelliceo quidem & ſtolla indu-
„ tus ſit, & capite cooperto incedat,
„ eique crux præferatur ſine haſtili,
„ quæ veteri ac perpetua Eccleſiæ
„ conſuetudine ad lectum decumben-
„ tis ex aduerſo eius figenda eſt, qua
„ ille durante ægritudine ſua, virtu-
„ tem, triumphos, ac myſteria Chri-
„ ſti crucifixi Redemptoris ac ducis
„ ſui, nunquam non memori mente,
„ viua fide, firma ſpe, ac fiducia, ar-
„ dentiſſimaque charitate, ſibi reti-
„ nenda eſſe moneatur.
„ Vbi ad ægrotum peruenerit, præ-
„ miſſa ſuaui ac pia ſalutatione, res
„ & effectus huius Sacramenti breui-
„ ter, & eius infirmitati & diſpoſitio-
„ ni accommodata oratione exponat,
„ eumque conſoletur, & à curis at-
„ que amore huius ſæculi, ad ſpem &
„ deſiderium vitæ æternæ erigat. Ne-
„ quaquam vero (quod imprudentes
„ faciunt, ignorantes officium Sacer-
„ dotum ad populum aut ſcire nolen-
„ tes) vana longioris vitæ pollicita-

tione

„ tione illum fallat, omneque animi „ eius robur ſoluat: ſed contra potius „ ad contemnendam hanc miſeram „ vitam, mortemque, parato, ac ma„ gno animo excipiendam ita com„ ponat, vt nihil præter Deum ſapiat, „ nihil præter Deum eſuriat, & ſitiat, „ ille ſolus in corde, ſolus in ore ver„ ſetur: diſſolui propter illum cupiat, „ ab illius beatifica viſione diutius ab„ eſſe ſummam miſeriam ducat, ſic „ viuere, Chriſtianum eſſe, ſic mori „ Chriſtiano maxime neceſſarium eſ„ ſe perſuadeat.

„ Quamuis vero (vt præſcriptum „ eſt) ita inſtructos oporteat eſſe „ Chriſtianos omnes, vt Pœnitentiæ „ & Euchariſtiæ Sacramentum pia ſol„ licitudine præmiſerint antequam „ inungendos ſe curent, illudque re„ ligioſe præſtiterint: roget tamen „ Sacerdos antequam Sacram-vnctio„ nem impendere ei incipiat, an ali„ quem adhuc conſcientiæ remorſum, „ aut ſingultum ſentiat: & ſi opus re„ conciliatione fuerit, eius confeſſio„ nem audiat, eumque abſoluat.

„ Sacræ vnctionis actionem inchoa„ turus Sacerdos hortetur præſentes „ omnes vt ſua ſancta comprecatione „ vberrimam Sacramenti huius gra„ tiam infirmo obtineant: ac ſacra „ vnctione abſoluta, vbi ad templum

per-

„ peruentum fuerit; conuenienti ad-
„ hortatione, pro temporis ac perſo-
„ narum ratione, propoſita mortis ne-
„ ceſſitate ac incertitudine, ad vitam
„ ſanctiùs & prudentiùs, pro Chriſtia-
„ ni hominis vocatione tranſigendam
„ omnes excitet, & ad omnia pieta-
„ tis ac miſericordiæ officia, infirmo
„ impendenda permoueat.

„ His ita peractis verus Paſtor mi-
„ nime arbitretur ſe omnes ſui mune-
„ ris partes præſtitiſſe, ſed pietatem
„ quam ab alijs exigit, ipſe in primis
„ pro Paſtorali dignitate, charitatiſ-
„ que ſuæ eminentia, reipſa common-
„ ſtret, & ouem ſuam in hac quam
„ cum crudeliſſimo hoſte habitura eſt
„ lucta non deſerat, crebraque viſita-
„ tione ac omni ſollicitudine ſalutis
„ eius cauſam gerat, nec vllis parcat
„ laboribus ne de manibus ſuis eripia-
„ tur, aut in æternæ damnationis pe-
„ riculum veniat.

CAPVT XIII.

De Sacramento Matrimonij.

QVo plures ob prauitatem hominum irrepſerunt abuſus in Sacramen-

tum Matrimonij, (inquit Cardinalis Palæotus,) *eo diligentior adhiberi debet cura, vt ea qua decet ſanctitate, & reuerentia, ſeruatiſque ijs omnibus quæ præcipiuntur à ſacris Canonibus & Concilys, rite celebretur, ſolet enim nequiſſimus humani generis hoſtis diabolus præſertim conari, vt illis ſanctis Chriſtianæ Religionis inſtitutis, fallaciæ & laquei adiungantur, quibus humana fragilitas in carnalibus deſiderijs potius quam in ſpiritualibus fructibus colligendis occupetur.*

In Archiep. Bonon. p. 3. inſtruct. de ſacrament. Matr.

Quare cum de Sacramenti huius ſanctitate atque excellentia frequenter agere debeant Paſtores ex Catechiſmi Romani ſententia, (vt loquitur Illuſtriſſimus Epiſcopus Verſellenſis) *tum præſertim filios & parentes ſedulo monebunt, illos quidem vt quamuis liberum eſſe debeat Matrimonium, ac ſine parentum etiam conſenſu alias tamen legitime cõtractum, firmum ratumque ſit; filij tamen qui parentes reuereri diuina lege iubentur, ne ijs inconſultis, minus autem repugnantibus, illud contrahere audeant: hos autem contra, ne dum ad familiæ dignitatem retinendam vel augendam, vnum tantum filium Matrimonio coniungere cogitant, alios in periculo incontinentiæ verſari perpetuo ſinant, imo vero faciant ac prope velint.*

In decr. general. reform. Eccleſ. titul de Sacram. Matr.

Maximè autem optandum foret vt qui Matrimonio iungi affectant, ali-

quot

quot diebus antequam ſponſalia con-trahcrent, imo antequam vllæ fierent denuntiationes, proprium Paſtorem, aut alium pium ac prudentem Sacerdotem ab eo delegatum, ſeparatim adirent, à quo edocerentur, quæ ſit huius Sacramenti excellentia & ſanctitas; quæ ad illud legitimè contrahẽdum conditiones; quæ ad fructum illius percipiendum diſpoſitiones requirantur; ac proinde quæ in illis fides, & religio, quæ conſcientiæ mundities, quæ intentionis rectitudo debeat reperiri? quæ omnia cum in ritualibus libris pleniùs expreſſiuſque contineantur, nos hic tantum apponemus ea quæ S.Carolus Borromæus ad familiam Chriſtianam debitè inſtituendam, & regendam, inter alia plura monita, Matrimonij ſacramentum ſpectantia, decretis ſuis inſeri voluit; quæque non ſine fructu à quolibet Paſtore, ſeu eius delegato Sacerdote, ijs qui matrimonio copulandi ſunt, aut etiam illis qui iam copulati ſunt, proponentur.

Concil. Mediol 3. tit. de ijs quæ ad Sacramēt. Matr. ſpectāt.

„ In primis igitur (*inquit ſanctus hic Præſul*) de ſalute familiæ ſuæ ſol-„licitι ſint, curentque vt nemo quiſ-„quam ex illa ſit, qui fidei Chriſtia-„næ rudimentis inſtructus non ſit; „ſiue filij ſint, ſiue ſerui & ancillæ, „ſiue alij in famulatu ſuo.

Vt

„ Vt ſtata hora, ac præſertim ve-
„ ſperè ante decubitum, omnis fami-
„ lia certo loco congregata, ad præ-
„ ſcriptum temporis ſpatium ſanctè
„ oret & precetur.
„ Vt frequenter vniuerſa familia
„ confiteatur, & ſacram Euchariſtiam
„ ſumat.
„ Vt ſingulis diebus Miſſæ Sacrificio
„ interſit, aut ſaltem in vigilijs & ſta-
„ tis ieiuniorum temporibus, ac qua-
„ drageſimæ diebus id præſtet: Feſtis
„ autem diebus, vt ne quis de familia
„ intereſſe omnino omittat.
„ Vt feſtis præterea diebus ad ſacras
„ conciones, lectiones, ſupplicatio-
„ nes, diuina officia, aliaſque Chri-
„ ſtianæ pietatis exercitationes con-
„ ueniat, vt ne quis his ſacris diebus
„ opus ſeruile faciat.
„ Vt Vigiliarum & Quatuor tempo-
„ rum & Quadrageſimæ, & alia ſtata
„ ieiunia illi in familia ſeruent, quibus
„ Eccleſiæ præcepto iuſſum eſt.
„ Ne patiantur in familia eſſe quem-
„ quam qui blaſphemus ſit, qui periu-
„ rus, qui item corruptis moribus vta-
„ tur, qui obſcœnè quidquam vel lo-
„ quatur vel agat; qui aleis ludat, qui
„ denique cæteris turpis vitæ exempla
„ præbeat.
„ De vitæ præterea ſpiritualis ratio-
„ ne, & pijs exercitationibus, aut de
H vitis

„ vitis Sanctorum probatos Sacerdo-
„ tis confeſſarij iudicio libros, in quo-
„ rum lectione familia aliquando ver-
„ ſetur, domum ſuam introducant;
„ excluſis, obſcœnè, turpiter, iocosè
„ conſcriptis, alijſque id genus libris,
„ vnde morum, inſtitutioniſque cor-
„ ruptela exiſtere poſſint.

CAPVT XIV.

De Verbi Diuini prædicatione.

QVam ſublime, quam excelſum ſit, & ſupereminens Verbi Diuini prædicandi munus, vel hinc patet quod ipſi ſancti Apoſtoli tanquam
Act.6. proprium illud ſibi vendicarint; *Non eſt æquum* (inquit illorum Princeps) *nos derelinquere verbum Dei & miniſtrare menſis; videte ergo viros boni teſtimonij, quos conſtituatis ſuper hoc opus, nos autem orationi & miniſterio Verbi inſtantes erimus* Et S. Paulus, *non miſit me Deus baptiſare* (inquit) *ſed euangeli-*
Cor. 1. *ſare*: Et in Concilio Tridentino Euan-
Seſſ.5.c. gelij prædicatio dicitur eſſe *præcipuum*
2.de ref. *Epiſcoporum munus*.

Ex quo ſequitur, quod cum ipſe

Sa-

Sacerdos vi ordinationis ſuæ (cum debita tamen ſubordinatione) ad Verbum Diuinum prædicandum deſtinetur, *Sacerdotem ſiquidem* (inquit Epiſcopus ordinans) *oportet præeſſe, prædicare, &c.* Apoſtol.cum hoc munus maximi facere, ad illudque, eo quô decet modo, exequendum paratum ſe ſemper quantum in ipſo eſt, exhibere teneatur. *In Pontific.Roman.*

Atque in primis iuxta effatum Summi Pontificis Hormiſdæ *diſcere debet, ante quam doceat, quis enim* (vt ait Papa Zozimus) *tam arrogans & tam impudens inuenitur, vt in cœleſti militia ſtatim dux eſſe deſideret, cum tyro ante non fuerit?* *Epiſt. 4. ad Epiſcop.Hiſpan.* *Epiſt. 1.*

Sibi præterea dictum putet, quod olim D.Hieronymus Nepotiano: *Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat, cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis, &c. Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiunijs diſputat: accuſare auaritiam, & latro poteſt, Sacerdotis Chriſtiani os, mens, manuſque concordent.* *Epiſt. 2. ad Nepot.*

Audiat ex S.Bernardo, *ſi ſapis concham te exhibebis, & non canalem, hic ſiquidem pene ſimul & recipit, & refundit; illa vero donec impleatur expectat, & ſic quod ſuperat undat, ſine ſuo damno communicat. Verum canales multos ho-* *Ser. 18. in Cant.*

die habemus in Eccleſia, conchas vero perpaucas: tanta charitatis ſunt, vt ante effundere quam infundi velint.

Quod autem ſpectat ad rationem & methodum prædicandi, cum multa multi dixerint, nihil melius aut conſultius nos hic præſtare poſſe exiſtimauimus, quam fontem illum adire, à quo riuum hunc deriuare ſtuduimus, Illuſtriſſimum inquam, Diuini Verbi præconem Franciſcum Saleſium, cui quondam ab ipſo Summo Eccleſię Paſtore in ſingulare ſapientiæ teſtimonium refertur dictum fuiſſe, *bibe aquam de ciſterna tua, & riui tui deriuentur foras.*

Lib. 1. epiſt. 31. De illius igitur eximij viri quadam epiſtola, in qua de optima concionandi ratione diſſerit, hæc quæ ſequuntur breuiter excerpſimus.

Omnis concionandi ratio ad quatuor præſertim capita reuocari poteſt, quis ſcilicet concionari debeat? quo fine? quid in concionibus proponere? qua ratione & forma illud enuntiare.

Quod ad primum attinet; nullus Verbi Diuini prædicandi munus debet aſſumere, cui non ſuppetat legitima miſſio, doctrina neceſſaria, & vita irreprehenſibilis: cum vero in Epiſcopis, non ſolum miſſio primaria & præcellens, ſed ipſius quoque miſſio-

nis

nis fontes miniſteriales reperiantur, hinc patet ab illis in quoſcumque alios, legitimam miſſionem, examine (ſi ipſis videatur) præmiſſo, deriuandam eſſe.

Doctrina ſi non eximia, ſaltem ſufficiens ſit, vita vero ita irreprehenſibilis, vt non ſolum à quolibet lethali vitio immunem ſe concionator ſeruet, ſed etiam à grauioribus venialibus ſollicitè caueat; imo & à quibuſdam actionibus, quæ licet ex ſe peccata non ſint, tamen in eo reprehenſioni ſunt obnoxiæ: *Nugæ*, inquit S. Bernardus, *in ore ſæcularium nugæ ſunt, in ore autem Sacerdotis blaſphemia*: Laicus quiſque venationi, ludo, alijſque eiuſmodi exercitijs liberè, & citra omnem reprehenſionem vacare poteſt, quæ tamen à Concionatore vix ſine ſcandalo eoque graui vſurparentur.

Cæterum, conſultiſſimum eſſet Concionatori nunquam ad populum edocendum exedram conſcendere, niſi poſt ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium celebratum, aut cum intentione celebrandi: dici enim vix poteſt, quantum dæmones perhorreſcant os illud quod ſanctiſſimum Chriſti corpus ſuſcepit: tunc ſiquidem cum Apoſtolo dicere poſſet, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* 2 Cor. 13.

Saltem ab omni peccato per con-

feſſionem expurgatus eſſe debet, ne
Pſ.49. illi exprobretur à Deo, *quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum, tu vero odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum*; nec obliuiſcatur illius Apoſtolici dicti, *Caſtigo corpus meum, &*
1.Cor.9 *in ſeruitutem redigo; ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*.

Quod ſpectat ad ſecundum, Concionator eundem ſibi finem præſtituere debet, ob quem Dominus è cælis in hæc inferiora diuinas veritates ho-
Ioan.10 minibus annuntiaturus deſcendit; *Ego*, inquit, *veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*, & ita cum Concionator ipſius ſummi præceptoris Chriſti locum teneat, omnium, quæ in Concionibus dicit, aut dicere intendit finis hic eſſe debet, vt iniqui à peccati morte reſurgant, & vitam gratiæ recuperent; & vt iuſti in vita ſpirituali proficiant, eantque de virtute in virtutem: ſicque quoties pulpitum, ſeu ambonem ad populum verba facturus aſcendit, apud ſemetipſum dicat, *Ego veni vt iſti vitam habeant, & abundantius habeant*.

Vt vero ſcopum hunc ſibi propoſitum pertingat, duo præſertim requiruntur; nimirum vt doceat, & moueat; id eſt, vt auditorum intellectum illuminet, & permoueat voluntatem;

vt virtutum decorem ac pulchritudinem, vitiorum horrorem ac fœditatem ob oculos ponat, vnde ſequatur illarum amor & praxis, horum vero deteſtatio & fuga: quod autem quidam exigunt, vt concionator etiam delectet auditores, ſi delectationem eam intelligant, quæ procedit ex cognitione veritatis, & amore virtutis, facilè conceditur: ſi verò aliam quæ ex mundana quadam & ſæculari eloquentia, ſermonumque artificioſa concinnatione, quæ ad demulcendas aures ſolummodo apta eſt, abſit hæc vaniloquentia omnis à concionatore Chriſtiano, qui Chriſtum crucifixum prædicaturus eſt; quique *ſectari debet non lenocinia Rhetorum, ſed veritates piſcatorum*; procul à ſacris exedris eiuſmodi *magiſtri prurientes auribus*. Sane finita concione non expedit audiri; O quam diſertus Orator! quam doctus! quam copioſus! audiatur potius; O quam pulchra eſt virtus! quam neceſſaria pœnitentia! quam magnus & timendus Deus! quam bonus & amabilis! 2. *Tim.* 4.

Quod ad tertium pertinet, quid ſcilicet proponi debeat in concionibus: *Prædica verbum*, inquit Apoſtolus, chariſſimum ſibi Timotheum inſtruẽs. Et ipſe veritatis magiſter Apoſtolos ſuos mittens: *Prædicate*, inquit, *Euangelium*; 2. *Tim.* 4. *Seſſ.* 5. *c.* 2. *de ref.*

gelium; & eius fidelis interpres Eccleſia in Concilio Tridentino, docet in concionibus, ea præſertim debere explicari, *quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: annuntiarique fidelibus cum breuitate & facilitate ſermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.*

Primum igitur locum in concionibus teneat Scriptura, cuius varij ſenſus exquiri & explicari poſſunt, litteralis ſcilicet, aut allegoricus, aut anagogicus, aut moralis: ita tamen vt nuſquam recedatur ab eo ſenſu quem tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum Sanctarum.

Scripturæ verbis iungantur Sanctorum Patrum ſententiæ, eæque præſertim quæ breues, conciſæ, acutæ ac fortes ſunt: qualis illa S. Auguſtini *qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te*: & iſta *qui pœnitentibus veniam promiſit, tempus pœnitenti non promiſit*: quibus pleraſque ſimiles apud S. Bernardum reperire eſt.

Adhibeantur præterea rationes morales, & argumenta; quæ vel ex proprij ingenij meditatione, vel ex ſanctorum Doctorum lectione peti poſſunt, nec non exempla & hiſtoriæ quædam ſelectæ, & ad mouendum

vel

vel perſuadendum, debitè applicatæ, eæ præſertim quæ in actis Sanctorum leguntur: interſeri etiam poſſunt ſimilitudines ſiue ex naturalibus rebus depromptæ, in quibus mirificus eſt S. Chryſoſtomus, & ad imitandum copioſiſſimus & aptiſſimus, vt in eius homilijs & orationibus videri poteſt.

Porro hæ ſiue authoritates, ſiue ratiocinia, ſiue hiſtoriæ aut ſimilitudines, non confuſè & promiſcuè, ſed apta & idonea ratione ac methodo diſponi & ordinari debent, quod & ipſi Concionatori percommodum, & auditoribus gratum & proficuum erit.

Hæc autem methodus clara ſit & perſpicua, non abſtruſa, & recondita, vt quibuſdam placet, qui operæpretium ſe facturos arbitrantur, ſi nullus dictorum rationem, ordinemve perſpicere queat: verum ad quid vlla loquendi ratio & methodus, ſi auditori abſcondita ſit & imperuia?

Vel igitur ſacra aliqua hiſtoria in concione exponenda eſt, puta Natiuitatis, vel Paſſionis Chriſti Domini, aut Aſſumptionis Deiparæ Virginis, vel aliquod Euangelium explanandum, vel vita alicuius Sancti enarranda, vel de virtute aliqua, aut de vitio diſſerendum.

Si aſſumatur ſacra aliqua hiſtoria

expo.ienda, illius præcipuæ circumſtantiæ expendendæ erunt, puta in Paſſione Chriſti quis patitur? quid patitur? quem ob finem? pro quibus? qua patientia? qua charitate? quo amore? Vel ex ſerie ipſius hiſtoriæ breuiter enarratæ, piæ aliquot conſiderationes erunt eliciendæ: v.g. quid inde diſcere oporteat, ad fidem ædificandam, ſpem augendam, charitatem inflammandam, mores informandos, &c.

Si Euangelium aliquod explanandum ſuſcipiatur, vel id fieri poteſt paraphraſticè, totum Euangelium percurrendo; vel, quod vtilius eſt, ſelectam aliquam illius ſententiam explicando: in ea autem ſententia videndum eſt, quid præſertim morale, & ad praxim audientium accommodatum proponi poſſit. v.g. ſi hoc Chriſti Domini effatum pertractetur, *quod vobis dico, omnibus dico, vigilate*, tria dici poterunt: primo quænam ſit ea vigilantia ad quam Chriſtus hortatur: 2. quam ſit cuiuis Chriſtiano neceſſaria & ſalutaris: 3. quibus modis infirmitas humana iuuari poſſit, ad vigilantiam illam debitè conſectandam.

Si vita alicuius Sancti enarranda ſit, varij ſunt modi procedendi, vel enim agi poterit, iuxta Apoſtoli dictum,

qua-

qualiter Sanctus ille erga Deum piè, erga ſeipſum ſobriè, erga proximum iuſtè vixerit: vel perpendendum erit, quid ille agendo, patiendo, orando præſtiterit; aut qua ratione contra mundum, dæmonem, carnem decertauerit; vel ſuperbiam, auaritiam, concupiſcẽtiam debellauerit, aut quas potiſſimum virtutes imitandas nobis reliquerit.

Si de virtute aliqua differendum ſit, primo illius naturam ſeu proprietates explicare oportebit; tum proponendæ erunt rationes, & motiua, quæ ad illam amplectẽdam inducere poſſunt: exinde ea, quæ ad faciliorem & perfectiorem eius praxim iuuant, erunt explicanda, quod etiam in contrario ſenſu intelligendum eſt ſi de aliquo vitio diſſeratur.

Quod denique ad quartum ſpectat, ad perfectam concionandi formam opus eſt actione libera, nobili, generoſa, ſincera, forti, ſancta, graui, & moderata.

Libera, vt excludatur actio illa quæ legibus quibuſdam ſcholaſticis compoſita, & veluti coarctata eſt.

Nobili, vt caueatur quorumdam ruſticitas, qui cum indecora corporis agitatione, & manuum comploſione, boatum potius quam vocem edunt.

expoꝛienda, illius præcipuæ circumſtantiæ expendendæ erunt, puta in Paſſione Chriſti quis patitur? quid patitur? quem ob finem? pro quibus? qua patientia? qua charitate? quo amore? Vel ex ſerie ipſius hiſtoriæ breuiter enarratæ, piæ aliquot conſiderationes erunt eliciendæ: v.g. quid inde diſcere oporteat, ad fidem ædificandam, ſpem augendam, charitatem inflammandam, mores informandos, &c.

Si Euangelium aliquod explanandum ſuſcipiatur, vel id fieri poteſt paraphraſticè, totum Euangelium percurrendo; vel, quod vtilius eſt, ſelectam aliquam illius ſententiam explicando: in ea autem ſententia videndum eſt, quid præſertim morale, & ad praxim audientium accommodatum proponi poſſit. v.g. ſi hoc Chriſti Domini effatum pertractetur, *quod vobis dico, omnibus dico, vigilate*, tria dici poterunt; primo quænam ſit ea vigilantia ad quam Chriſtus hortatur: 2. quam ſit cuiuis Chriſtiano neceſſaria & ſalutaris: 3. quibus modis infirmitas humana iuuari poſſit, ad vigilantiam illam debitè conſectandam.

Si vita alicuius Sancti enarranda ſit, varij ſunt modi procedendi, vel enim agi poterit, iuxta Apoſtoli dictum,

qua-

qualiter Sanctus ille erga Deum piè, erga ſeipſum ſobriè, erga proximum iuſtè vixerit: vel perpendendum erit, quid ille agendo, patiendo, orando præſtiterit; aut qua ratione contra mundum, dæmonem, carnem decertauerit; vel ſuperbiam, auaritiam, concupiſcētiam debellauerit, aut quas potiſſimum virtutes imitandas nobis reliquerit.

Si de virtute aliqua diſſerendum ſit, primo illius naturam ſeu proprietates explicare oportebit; tum proponendæ erunt rationes, & motiua, quæ ad illam amplectēdam inducere poſſunt: exinde ea, quæ ad faciliorem & perfectiorem eius praxim iuuant, erunt explicanda, quod etiam in contrario ſenſu intelligendum eſt ſi de aliquo vitio diſſeratur.

Quod denique ad quartum ſpectat, ad perfectam concionandi formam opus eſt actione libera, nobili, generoſa, ſincera, forti, ſancta, graui, & moderata.

Libera, vt excludatur actio illa quæ legibus quibuſdam ſcholaſticis compoſita, & veluti coarctata eſt.

Nobili, vt caueatur quorumdam ruſticitas, qui cum indecora corporis agitatione, & manuum comploſione, boatum potius quam vocem edunt.

Generoſa, vt excutiatur pueriliſ neſcio quæ timiditas aliquorum, qui quaſi ad magiſtros & patres, & non ad diſcipulos ac filios verba facere videntur.

Sincera, vt omnis affectatio & artificioſa compoſitio abigatur.

Forti, ne mollis, languida, & quaſi emortua videatur.

Sancta, ne quid mundanum vel aulicum præ ſe ferat.

Graui, vt omnis inepta geſticulatio, vel adulatoria ſermocinatio abſit.

Moderata, vt non ſit præceps nimis & conciſus, neque etiam nimis lentus aut tardus, ſed optimè temperatus dicendi modus.

Porro naturalis, ſimplex, & apertus orationis ordo tanquam optimus & ad finem propoſitum aptiſſimus ſeruandus eſt; itaut concio ipſa in ſuas partes diuidatur, & quæ primo, vel ſecundo ſeu tertio loco dicenda erunt, expreſſe declarentur, itaut populus ordinem illum obſeruare & intelligere queat.

In fine præſtat breuem veluti recapitulationem proponere eorum quæ animis audientium firmius inhærere debent: poſtque illam, paucis aliquot verbis ſpiritu & feruore animatis; totam orationem concludere.

Opti-

Optimus vero præparandæ concionis modus eſſet, præmiſſo aliquo ſtudio, ea quæ alijs dicenda ſunt, coram Deo attentè perpendere & deuote meditari; quod quidem ſi coram ſanctiſſimo Sacramento fiat, dici vix poteſt quanta, quamque mirabilis virtus, & efficacia inde hauriatur.

CAPVT XV.

De Catechiſtica inſtructione.

PRæter ſublime illud concionandi munus de quo egimus capite ſuperiori, eſt & aliud proprium & peculiare ipſius Sacerdotis officium, catechiſandi ſcilicet, & prima fidei Catholicæ rudimenta paruulis & ignaris tradendi; quod quidem licet paulo demiſſius videatur, non ideo tamen negligendum, immò tanto potiori ſtudio & affectu incumbendum illi eſt, quanto vberiores vt plurimum ex eo fructus animarumque prouentus colligi poſſunt, cum minori diſpendio humilitatis, quæ plerumque in exedris inter audientium plauſus periclitatur.

Sanè

Sanè vt innumera ſanctorum exempla omittamus, ipſe Chriſtus Dominus *in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi erant*, rudem populum, cæleſtis regni myſteria familiaribus alloquijs edocere, paruuloſque ad ſe venientes blandè excipere, & benignè erudire non dedignatus eſt. Et poſt paſſionem ſuam Apoſtolos in omnes mundi partes emittens, iuſſit illos *docere omnes gentes*, quod & ipſi ſummo ſtudio & labore perfecerunt, & catechiſando, id eſt, viua voce docendo, & explicando Chriſtianæ fidei veritates, orbem terrarum fœliciter Chriſti Domini imperio ſubegerunt.

Coloſſ. 2. Matth. 28.

Sed quod præcipuum & cuiuis Sacerdoti maximè perpendendum, eſt ſumma, vt non dicam penè extrema Eccleſiæ neceſſitas, quæ non ſine acerbiſſimo dolore videt etiam his temporibus plures animas defectu inſtructionis, à via ſalutis aberrare, & tandem in perditionis abyſſum deuolui. Quot enim putamus locos eſſe in terris vbi *paruuli petunt panem, & non eſt qui frangat eis*; quot regiones, in quibus populi fame & ſiti laborant, non quidem panis & aquæ, ſed Verbi diuini audiendi. *Meſſis* haud dubiè etiam nunc *multa, operarij autem pauci, rogemus ergo Dominum meſſis vt mittat operarios in meſ-*

Thren. 4. Luc. 10.

meſſem ſuam, & quamuis quiſque ſe ſeruum inutilem agnoſcere debeat, audeat tamen & diuinæ gratiæ auxilio innixus dicat *ecce ego, mitte me*.

Sacerdos igitur huic Apoſtolico catechiſandi muneri incumbere volens, hoc præſertim ſibi proponere debet, vt eo animo illud exequatur, quo Apoſtolici viri, immò quo ipſemet Christus Dominus id præſtitit: de il lo ſi quidem legitur in Euangelio, quod Nazarenos conciues ſuos in Synagoga inſtruens incepit ab illis Prophetæ verbis, quæ in ſe impleta eſſe teſtatus eſt; *Spiritus* inquit *Domini ſuper me, euangelizare pauperibus miſit me*, & ad diſcipulos Ioannis inter alia diuinæ ſuæ miſſionis indicia illud protulit, *pauperes euangeliſantur*, & de paruulis ad ſe concurrentibus quos Apoſtoli prohibere volebant, *ſinite* inquit *paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum*. *Luc.4.* *Matt.11.* *Marc. 10.*

Ex quibus patet virtutem Catechiſtæ maxime propriam eſſe feruentem diuinæ gloriæ, animarumque ſalutis procurandæ zelum, perfecta humilitate, affabilitate, manſuetudine temperatum: quo animatus, non iam quæ ſua ſunt quærat, ſed quæ Ieſu Christi; illiuſque proinde exemplo, ad pauperes inſtruendos & erudiendos, peculiari affectu feratur, & in

paruulis ad Chriſtum adducendis, imo & trahendis, operam & induſtriam ponat.

Lib. de catechiſand. ru. dib. c. 10 *Cogitemus* (inquit S. Auguſtinus, inſignem Eccleſiæ Carthaginenſis Catechiſtam erudiens,) *quid nobis prærogatum ſit ab illo, qui demonſtrauit nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.* Cogitemus, qua charitate, quo zelo Seruator ille hominum circuibat pagos & villas, ignarum & rudem populum nunc in littore, nunc in montibus, nunc in locis campeſtribus erudiens, quomodo ſe ad eorum qui audiebant captum demittebat, familiari loquendi modo vtens, eadem ſæpius repetens & inculcans, ſimilitudines & parabolas vulgares adhibens? qua patientia, quo amore, turbas comprimentes ſe ſuſtinebat? qua lenitate & manſuetudine illorum quos alloquebatur tarditatem & ſtupiditatem iuuabat, duritiem & contumaciam ferebat, & omnia omnibus fiebat, vt omnes redimeret, & ſaluos faceret?

En exemplum quod diuinus ille præceptor nobis propoſitum reliquit, vt ſequamur veſtigia eius: quod vt præſtare queat is qui Catechiſtæ officio debite fungi voluerit, debet in primis hoc apud ſe ſtatuere, vt quantum poterit, ſeſe ad captum vniuſ-

cuiuſ-

cuiuſque eorum quos inſtruit accommodare ſtudeat; *Quamuis enim* (vt loquitur S. Auguſtinus) *eadem omnibus debeatur Charitas, non eſt tamen eadem omnibus adhibenda medicina; ipſa certè charitas alios parturit, cum alijs infirmatur, ad alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit, alijs blanda, alijs ſeuera, nulli inimica, omnibus mater.* *Sup. cap. 15.*

Ad hoc autem maximè iuuabit ſi eorum quos inſtruit, ingenium agnoſcat, indolemque habeat exploratam, vt ea illis proponat, quæ eorum capacitati commenſurata eſſe exiſtimauerit, eaque methodo & ratione quæ ipſis poſſit eſſe vtilis ac proficua: *Tanquam paruulis in Chriſto* (inquit Apoſtolus Corinthios adhuc in fide Neophytos alloquens) *lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis.* *3. Cor. 3*

Præterea, crebra experientia compertum eſt non modo ſimplices & apertas explicationes, ſed etiam familiares interrogationes, in catechiſtica inſtitutione eſſe vtiliſſimas, immò pueros longè magis in eo diſciplinæ genere proficere, ſi ſæpe ac diuerſimodè interrogentur, quam ſi continuato & prolixo ſermone edoceantur.

De

De hoc etiam ipſe S. Auguſtinus ſupra memoratum Catechiſtam commonefaciens. *Interrogatione* (inquit) *quærendum, vtrum is qui catechiſatur, intelligat; & agendum pro eius reſponſione, vt aut planius & enodatius loquamur, aut quæ illi nota ſunt non explicemus latius, &c. Quod ſi nimis tardus eſt, miſericorditer ſufferendus eſt, breuiterque decurſis alijs, ea quæ maximè neceſſaria ſunt inculcanda ſunt.*

Sup. cap. 13.

Hæc autem interrogandi methodus magis adhuc proderit, quando plures catechiſantur, ſi explicatis breui ac ſimplici ſermone ijs quæ doceri debent, primo interrogentur ij quos ingenio meliores aduertit Catechiſta, eademque interrogatio alijs atque alijs verbis fiat: vt non tantum verba, ſed & ſenſus ab ipſis capiatur: exinde ab ijs qui minus ingenio valent eadem exquirat, nec in ijſdem ſæpius repetendis & inculcandis fatigetur: ac præſertim rudioribus & magis hebetibus animum addat, & ſi expedit pijs aliquibus munuſculis alliciat & excitet; ac demum ex inſtructione catechiſtica aliquem pietatis fructum colligere auditores ſuos ſemper edoceat, & ad id pias aliquas hiſtorias interdum adhibeat. In quibus omnibus ſupradictis iuuari poterit, libello quodam nuper à nobis gallico idiomate

mate edito, qui hoc titulo inſcriptus eſt.

Fidei ac Iuſtitiæ Chriſtianæ veritates præcipuæ ac magis neceſſariæ, clarè ac diſtinctè explicatæ; iuxta doctrinam Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, adiectis pluribus ſelectiſque ex hiſtoria Eccleſiaſtica exemplis.

PARS

PARS TERTIA.

De virtutibus quæ maximè Chriſtianum Sacerdotem decent.

CAPVT PRIMVM.

De ſtudio perfectionis cui Sacerdos præcipua cura incumbere debet.

CERTVM eſt ex ipſarum ſanctarum ſcripturarũ teſtimonio, ſtudium perfectionis omnibus & quibuſcumque ſacro Baptiſmate regeneratis maximè congruere, ideoque illis ſæpius commendari. *Eſtote perfecti* (inquit Chri-

Chriſtus Dominus vniuerſos Chriſtianos alloquens) *ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*; & Apoſtolus Paulus paſſim in Epiſtolis Chriſtianos *ſanctos* nuncupat, imo plerumque hac ſola *ſanctorum* nuncupatione, ipſos deſignat *omnibus ſanctis* (inquit) *qui ſunt in vniuerſa Achaia. Omnibus ſanctis qui ſunt Epheſi. Omnibus ſanctis qui ſunt Philippis*, & *ſalutant vos omnes ſancti, maximè autem qui de Caſaris domo ſunt*. Hoc ſcilicet tanquam indubitatum ſupponens, Chriſtianos omnes ſanctos eſſe debere; id eſt à peccatoribus ſegregatos, & Deo pœnitus dicatos: *Hoc enim eſt Chriſtianum eſſe*, (inquit S.Leo) *hoc baptiſmum ſuſcipere, nimirum renuntiare diabolo, & in nouitatem è vetuſtate tranſire, & terreni hominis imagine depoſita, caleſtem formam induere*. Matt.5. 2.Cor.1 Epheſ.1. Philip.1 & 4. Ser. 24. de paſſione.

Quod ſi ea eſt Chriſtianorum quorumcumque ad perfectionem conſectandam obligatio, qualis putas erit illorum qui ex ipſis Chriſtianis ſelecti, in ſortem Chriſti Domini vocati ſunt, eiuſque diuinis miniſterijs peculiari gratiæ dono deputati? *Vita Sacerdotis* (inquit S. Ambroſius) *praponderare debet, ſicut praponderat gratia. Cum enim augentur dona* (vt monet S.Gregorius) *rationes etiam creſcunt donorum*: vnde S.Bernardus *Sacerdos* (inquit) Lib. 3. Epiſt.25 Hom. 9. in Euangel.

Decla-mat. in hac verba (ecce nos &c.) *cæleſte tenet Officium, Angelus Domini exercituum factus eſt; tanquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur; inuenta quippe in Angelis prauitas, & diſtrictius iudicetur neceſſe eſt, & inexorabilius quam humana.*

Cum igitur Sacerdos peculiari quodam modo ſanctus eſſe debeat, ſicque præ alijs Chriſtianis ad conſectandam perfectionem arctiſſimè obſtrictus, tum ratione ipſius ſtatus Sacerdotalis, qui ad alios etiam ſanctificandos deſtinatus eſt; tum ratione diuinorum munerum quibus addictus eſt, ad quæ perfecte implenda, Dei ipſius ſanctitatem quantum homini fas eſt, in ſe tenetur exprimere, videndum eſt in quo conſiſtat hæc ſanctitas & perfectio Sacerdotalis; quæ quidem poteſt ad tria præſertim capita reuocari, quorum primum eſt vt maxima ſollicitudine & vigilantia caueat à quibuſcumque peccatis, etiam ijs quæ leuiora æſtimantur: *Non mediocris ſiquidem eſſe debet virtus Sacerdotalis*, vt loquitur S. Ambroſius, *cui cauendum non modo ne grauioribus flagitijs ſit affinis; ſed ne minimis quidem*, & de hac peccatorum deuitandorum cautela plenius in quarta huius libri parte agetur.

Sup.

Secundum eſt vt acquirendis & exercendis virtutibus, ijs præſertim

quæ

quæ muneri ſuo magis aptæ & congruæ videntur, ſedulo incumbat, in illiſque de die in diem proficere ac progredi ſtudeat; *Indefeſſum enim proficiendi ſtudium* (vt docet S. Bernardus, *& iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur*. Cum vero iuxta Chriſti Domini edictum, *perfectus tunc demum futurus ſit ſeruus, ſi ſit ſicut Dominus eius*; in eo autem Domino cuiuſcumque & virtutis & gratiæ Sacerdotalis plenitudo fuerit; imo de plenitudine eius nos omnes accepimus: ideo Sacerdos perfectionis ſtudioſus, in eo virtutum exercitio Chriſtum Dominum toto affectu affectari, eiuſque veſtigijs inhærere debet; vt ſic integer ac in nullo deficiens, alijs fidelibus dicere poſſit cum Apoſtolo, *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*.

Epiſt. 253. ad Abbat. Guarin.

1. *Cor.* 11.

Tertium denique eſt vt virtutes illas in gradu non mediocri aut vulgari, ſed excelſo & eminenti, ac (vt Philoſophi loquuntur) heroico, quales ſcilicet in Chriſto Domino fuerunt obtinere ſtudeat & enitatur: itaut Sacerdotis humilitas, eo vſque ſe demittat vt nullam reſpuat confuſionem & abiectionem, imo gloriæ diuinæ procurandæ cauſa quibuſcumque opprobrijs ſaturari gaudeat: obedientia vſque ad mortem perſeuerare parata ſit; charitas erga proximos quoſcumque,

etiam

etiam maxime aduerſantes & infenſos nullis arctetur limitibus, ſed eo vſque vrgeat, vt ſi opus ſit, optet eſſe anathema pro fratribus, & ſic de reliquis virtutibus, de quibus proinde in hac tertia huius libri parte nobis agendum eſt.

CAPVT II.

De delectu virtutum quæ Chriſtianum Sacerdotem maxime decent.

QVamuis virtutes, vt loquitur Sanctus Ambroſius, *connexa ſibi inuicem ſint, ac concatenata*; itaut quod recte dixit S.Gregorius, *vna virtus ſine alijs, aut omnino nulla ſit, aut imperfecta*, inde tamen non ſequitur omnes æquali gradu à quolibet iuſto poſſideri, *qui vnam virtutem habet* (inquit S.Hieronymus, *habet quidem omnes, ſed participatione, non proprietate*; ideſt, participat quidem omnibus, non tamen excellit in omnibus; vnde poſtea ſubdit, *neceſſe eſt enim vt ſinguli excellant in quibuſdam, vt in Salomone ſapientia, in Dauide animi manſuetudo, in Elia & Phinees Zelus, in Abraham fides*,

Lib.5.in Luc. *Lib. 1. mor. c. 36.* *Dialog. 1.aduerſus. Pelag.*

fides, in Petro, cui dictum eſt, Simon Ioannis amas me, perfecta dilectio, in Electionis vaſe ſtudium prædicandi, & ſic in cæteris.

Cum igitur ea ſit animi humani conditio, quamdiu mortalitatem illam circumfert, vt ſecundum legem ordinariam ſimul in omnibus virtutibus excellere nequeat; ſintque inter ipſas virtutes quædam, quarum ſtudium præ alijs magis conuenire videatur, habita ratione temporum, locorum, perſonarum, & ſimilium circumſtantiarum; hinc ſequitur cuilibet perfectionis ſtudioſo, ac præſertim Sacerdoti qui in eiuſmodi ſtudio præcellere debet, delectum habendum eſſe virtutum, in quibus ſine vllo reliquarum neglectu ſe peculiari cura exerceat.

Atque in primis, vt recte obſeruat Illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis, quædam virtutes ſunt, quarum vſus ad omnes vitæ Chriſtianæ partes extendere ſe debet, cæterarumque virtutum actionibus veluti condimento eſſe; rarò ſiquidem occurrunt occaſiones exercendæ magnanimitatis, magnificentiæ, fortitudinis, & ſimilium: ſed v.g. manſuetudo, modeſtia, humilitas tales ſunt, vt vix ſine illis, actus vllus humanus in genere moris omnibus ſuis numeris abſolutus eſſe

Philoth. part. 3. cap. 1.

I poſſit:

poſſit: & licet aliæ ſint virtutes excellentiores, iſtarum tamen praxis magis neceſſaria eſt, ac proinde peculiari ſtudio & affectu conſectanda.

Iam inter reliquas virtutes, vſus illarum Sacerdoti ſemper anteferendus eſt, quæ muneri ſuo magis conueniunt, non quæ magis animo arrident, ſic Apoſtoli, Verbi diuini prædicationem vt pote officio ſuo magis congruentem, menſarum miniſterio, & pauperum curæ prætulerunt: & haud dubiè inordinata eſſet v.g. pietas illa in Paſtore animarum, qui relicta gregis ſibi commiſſi cura, ſolitudinem ambire, & ſoli rerum diuinarum contemplationi vacare vellet.

Virtutes præterea quæ coram Deo excellentiores ſunt & ſolidiores eligendæ ſunt præ illis, quæ in oculis hominum maiorem fulgorem emittunt, & pluris vulgò æſtimantur: & ſic cæteris paribus melius & tutius eſt Sacerdoti, ad imitationem Domini ſui, pagos & villas circumire, ibique pauperes & ruſticanos fidei myſteria diuinaque præcepta edocere; aut in vmbris carcerum, vel Xenodochiorum ſeptis, captiuos & infirmos conſolari & inſtruere; quam in celebrioribus templis cathedras ambire, & in magna perſonarum nobilium frequentia doctas & diſertas conciones habere.

Do-

Docet nos etiam eiuſdem Chriſti Domini exemplum, virtutes illas præſertim præeligendas eſſe, non ſolum quæ maiorem demiſſionem & abiectionem coniunctam habeant, ſed etiam quæ naturalibus cuiuſque inclinationibus minus fauere videantur, & quæ ad ſuiipſius abnegationem magis iuuent. Poterat certè diuinus ille hominum Seruator, ſi libuiſſet, inter legitimum diuitiarum & deliciarum vſum ſalutem ipſorum hominum operari, poterat in regio palatio commodè naſci, vitamque regiæ dignitati congruentem & bonis omnibus affluentem ducere, non ſolum ſine vllo pietatis detrimento, ſed etiam cum ſumma laude virtutis; & tamen vt nos non verbis ſolum, ſed & exemplo ſuo inſtrueret, longè diuerſam ſibi virtutis viam deligere voluit, *non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*: *& cum diues eſſet, propter nos egenus factus eſt*; voluit eſſe *vir dolorum*; voluit *opprobrijs ſaturari*: vt vel hinc miniſtri eius diſcerent earum præſertim virtutum ſtudium aſſumere, quæ illos aptiores redderent ad id præſtandum, quod ipſe primum fecit, deinde docuit, cum dixit, *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*.

Matth. 20.
2.*Cor.*8
Iſa. 53.
Thren. 2.
Luc.9.

Vtiliſſimum præterea erit Sacerdo-

ti virtutis alicuius praxim,in qua peculiari ſtudio exerceatur ſibi aſſumere; non vt alias omittat, aut negligat; ſed vt animum exercitio eiuſmodi ſalubriter occupatum teneat: ſicque faciliùs ac feliciùs de virtute in virtutem progrediatur.

Quod ſi defectum aliquem in animo ſuo deprehendat, aut ſe cuipiam vitio agnoſcat obnoxium, tum maximè proderit oppoſitæ virtutis exercitium amplecti: ea ſiquidem ratione & debellabitur hoſtis, & nihilominus in virtutis via continuus fiet progreſſus.

Cæterum in iſto delectu præcipuè cauendum eſt ab errore multorum, qui res quaſdam in numero virtutum reponunt, quæ tamen nuſquam virtutes ſunt, (vt ſapienter monet idem Gebennenſis Antiſtes) cuiuſmodi ſunt extaſes, raptus, impaſſibilitates, inſenſibilitates, vniones deificæ, eleuationes, transformationes, & aliæ ſimiles, de quibus agitur in libris quorundam authorum, qui animum ad contemplationem vſque purè intellectualem, applicationemque eſſentialem ſpiritus, ac vitam ſupereminentem eleuaturos ſe pollicentur: hæc ſiquidem non virtutes, ſed virtutum quædam remunerationes ſunt, vel potius æternarum voluptatum prægusta-

tio-

tiones, quas Deus prout vult, & quibus vult elargitur: ad quas proinde eniti ſuperuacaneum eſt, cum nequeat opera vlla, aut induſtria humana obtineri; nec vllatenus neceſſariæ ſint ad diuini obſequij, amoriſque perfectionem conſequendam: prærterquam quod varijs illuſionibus, ſeductionibus, & fallacijs vt plurimum reperiantur obnoxiæ; interdumque eueniat, vt qui ſe ad Angelicam vſque perfectionem euectos arbitrantur, vix in piorum hominum numero recenſeri digni ſint: pluſque ſublimitatis in modo loquendi, quam ſolidæ virtutis, aut pietatis in ratione viuendi & operandi deprehendatur.

Sicut igitur nihil contemni, aut temerè cenſura aliqua notari debet, ita pro aliorum exaltatione Deo gratias agentes, humiliori quidem, ſed tutiori via progredi præſtat, &, vt loquitur Apoſtolus, *dignè ambulare vocatione qua vocati ſumus, cum omni humilitate, ſupportantes inuicem, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis.* *Epheſ. 4*

CAPVT III.

De fide, qua pollere debet Chriſtianus Sacerdos.

Serm. de fide, ſpe, & charitate.

CVm *fides* (vt loquitur S. Chryſoſtomus) *ſit origo iuſtitiæ, ſanctitatis caput, deuotionis principium, Religionis fundamentum, ſine qua nullus vnquam Deum promeruit, nullus faſtigium perfectionis aſcendit:* merito hanc inter virtutes ſacerdotis proprias primam reponimus, cum, vt ex antedictis conſtat, ipſe Sacerdos iuſtitia, ſanctitate, deuotione, religione, alijſque eiuſmodi virtutibus præcellere debeat, & ad ipſius perfectionis culmen præcipuo ſtudio eniti.

Epheſ. 6

Is certe qui non modo pro ſua, ſed etiam pro aliorum ſalute, *aduerſus principes & poteſtates tenebrarum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus,* pugnaturus eſt, *ſcutum fidei inexpugnabile* in omnibus debet aſſumere, *in quo poſſit tela nequiſſimi ignea extinguere.* Ille qui loquuturus eſt *ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum huius ſæculi nouit,* opus habet

1. Cor. 2

vir-

virtute illa, *quam veluti magnam lampadem* (vt Euſebij Emiſſeni verbis vtamur) *Chriſtus adueniens, errantibus viam monſtraturus, exhibuit, per quam poſſit Deus ignotus requiri, quæſitus credi, creditus inueniri.* Illi denique qui Deum peccatoribus iratum placare, eique proinde in diebus ſuis placere tenetur, neceſſaria eſt fides *ſine qua*, vt edixit Apoſtolus, *impoſſibile eſt placere Deo; ſine qua*, vt loquitur Sanctus Leo, *nihil ſanctum, nihil caſtum, nihil viuum vſquam eſſe poteſt.* *Hom. 2. de Symbol.* *Serm. 4. de Natiuit.*

Igitur hoc primum & præcipuum ſit ſtudium Chriſtiani Sacerdotis, fidem illam quam in Baptiſmo ſuſcepit & profeſſus eſt, ſinceram & illibatam tenere, eamque ab omni cuiuſuis hæreſeos labe & periculo, ab omni nota & colore non ſuo, ſartam tectam ſeruare, ac pro illius defenſione & integritate, ſi opus ſit, quodlibet etiam ipſius vitæ diſcrimen ſubire; nec non in ijs quæ fidem ſpectant, Eccleſiæ iudicio inconcuſsè ſtare, ac Pontificis Romani decretis humiliter & ſincerè obtemperare, abnegato proprio aut cuiuſuis alterius iudicio.

Audiat S. Bernardum ſapienter monentem, *nemini licitum eſſe in fide putare, vel diſputare pro libito, non hac illacque vagari per inania opinionum, per deuia errorum.* Et hinc diſcat, ſuoque *Epiſt. 190.*

exemplo alios edoceat, captiuare intellectum in obſequium Chriſti, omnemque proinde in materia fidei curioſam inquiſitionem abigere: *nec plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*. *Nobis ſiquidem* (vt loquitur Tertullianus) *Curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Euangelium: cum credimus, nihil deſideramus vltra credere; hoc enim prius credimus, non eſſe quod vltra credere debeamus, cedat proinde curioſitas fidei, cedat gloria* (*humana ſcilicet rationis aut doctrinæ*) *ſaluti*.

Lib. I. de præſcript.

Præterea ſicut aberrantes à vera fide, ad illius tramitem reuocare, illiſque manum adiutricem porrigere toto cordis affectu debet; ſic etiam in damnatis erroribus obſtinatos & contumaces auerſari, eorum amicitiam repudiare, conſortiumque & colloquium quantum poteſt deuitare Sanctorum exemplo tenetur; tum ad propriam cautelam, tum etiam ad aliorum exemplum, vt ſcilicet, hinc reliqui fideles diſcant, quo ſtudio, qua cura, & ſollicitudine ab eiuſmodi peruerſis hominibus cauere debeant: imitetur ſancti illius zelum qui de ſeipſo loquens: *Fateor* (inquit) *me nunquam hæreticis pepercisse; & omni egiſſe ſtudio, vt hoſtes Eccleſiæ, mei quoque hoſtes fierent*.

Hieron. l. 1. aduerſ. Pelag.

Et

Et quoniam ſicut reliquarum virtutum cœlitus infuſarum, ſic etiam fidei incrementum ſæpius repetiti eiuſdem actus à Deo promerentur; per illoſque non modo nouam diuinæ lucis acceſſionem ipſa recipit fides, ſed & firmiores in animo radices agit: idcirco curæ erit Sacerdoti crebros ipſius fidei actus quotidie elicere, putà cum mane ac veſperi oratio Deo deferenda, cum horæ canonicæ diurnæ ac nocturnæ perſoluendæ, cum animus quotidiana meditatione exercendus, cum aliquis Religionis cultus Deo exhibendus, cùm ſanctiſſimum Corporis Chriſti ſacrificium offerendum, cum pœnitentiæ tribunal adeundum, cum Sacramentum aliquod miniſtrandum, cum tentatio propulſanda, cum deuitanda aliqua peccandi occaſio, cum aliqua imminet tribulatio, ſeu aduerſitas, & alijs ſimilibus in caſibus qui quotidie frequentes occurrunt.

Confert etiam plurimum ad fidem conſeruandam & roborandam conſcientiæ mundities, & conſtantia in vitæ ſanctæ propoſito, bonorumque operum exercitatione; vt ſcilicet Sacerdos (iuxta Sancti Apoſtoli monitum) *militet militiam bonam, habeatque bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.* 1. Tim. 1.

Denique ad eiuſdem fidei profe-

ctum facit, ſi Sacerdos hanc, quam habet fidem alijs etiam communicare ſollicitus ſit, ſiue ignaros inſtruendo, ſiue infirmos in fide aſſumendo, vacillantes erigendo, ſanos confirmando, & quauis alia ratione Euangelio Chriſti collaborando; ſiquidem (vt ex S.Auguſtino rectè adnotauit Illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis, *munus diſtribuendi confert ad meritum recipiendi, & officium docendi præbet fundamentum diſcendi?*

CAPVT IV.

De ſpe & confidentia in Deum, cui Chriſti Sacerdos inniti debet.

Ser. de fide, ſpe & charitate. SPes, inquit Chryſoſtomus; *eſt futuræ pollicitationis religioſus aſſenſus, promiſſa gloriæ deuota intentio, ſanctorum deſtinata ſublimitas, bonorum expectatio futurorum*: & id quidem rectè, primum ſiquidem & præcipuum ſpei obiectum eſt, ipſamet vita & beatitudo æterna; *nihilque minus à Deo ſperari debet* (vt loquitur S.Thomas) *quam ipſemet Deus*: Deus, inquam, a nobis videndus, amandus, & per fruitionem beatificam poſſidendus:

2.2. qu. 17. a.2.

dus: *ſperamus enim in Deum viuum* : *Et cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt; & omnis qui habet hanc ſpem ſanctificat ſe ſicut & ille ſanctus eſt.* 1. Tim. 4. 1. Io. 2.

Quis vero hanc ſpei virtutem excolere & exercere potiori iure debet, quam is qui ſolemni ritu profeſſus eſt *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*, in quem Pſalmi locum optimè & appoſitè S. Auguſtinus, *Eligant ſibi*, inquit, *alij partes quibus fruantur terrenas & temporales: portio mea Dominus eſt: bibant alij mortiferas voluptates, pars calicis mei Dominus eſt.* Pſal. 15.

Quis, inquam, arctius *adhærere Deo, & ponere in Domino Deo ſpem ſuā*, quam ille qui *annuntiaturus eſt prædicationes eius in portis filiæ Sion?* quis magis *auxilium à Deo* ſperare, quam ille qui abdicatis ſæcularibus deſiderijs *non amplius reſpicere debet in vanitates & inſanias falſas.* Pſal. 72. Pſal. 39.

Certè quo ſæuioribus plerumque procellis in huius vitæ pelago impetitur Sacerdotis cymba, quam non ſecus littus, ſed in altum ducere præcipitur, vt in animarum capturam retia laxare poſſit; eo maiori ſedulitate confugere debet ad tenendam propoſitam ſpem, *quam*, vt loquitur Apoſtolus, *habemus ſicut anchoram animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad.* Heb. 6.

ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.

Porrò vt diuinæ huius virtutis praxi perfectiùs incumbat Chriſti Sacerdos, hæc quæ ſequuntur ſi libeat obſeruet.

1. Animam crebro à terra verſus cœlum erigat, & quæ ſint illic à Deo parata diligentibus ſe bona & præmia ſedulo recogitet, vt ſic deſiderium, ſpemque cœleſtis illius beatitudinis in ſe excitet & foueat; dicat itaque ſæ-

Pſal. 83 pius cum Propheta; *Quam dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

Lib. 3. de liber. arbitr. cap. vlt. *Tanta eſt certe pulchritudo & iucunditas lucis illius æternæ,* (inquit S. Auguſtinus) *vt etiamſi non liceret amplius in ea manere, quam vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitijs, ac circumfluentia temporalium bonorum, rectè, meritoque contemnerentur: non enim falſo, aut paruo affectu dictum eſt, quoniam melior eſt dies vna in atrijs tuis, ſuper millia.*

2. Non ſolum vitam & beatitudinem æternam, ſed etiam media omnia ad illam conſequendam requiſita, adeoque gratias omnes neceſſarias, & præcipuam omnium, finalem ſcilicet per-

perſeuerentiam ſperet ab inexhauſta Dei miſericordia, & largitate; *Quis enim vnquam ſperauit in Domino & confuſus eſt, aut inuocauit eum & deſpexit illum?* Nonne Chriſtus Dominus *ſemetipſum redemptionem pro nobis omnibus dedit*, vt ſit *propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi? nonne factus eſt nobis, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*. Et quamuis (vt Concilium Tridentinum docet) *nemo ſibi certi aliquid de perſeuerentiæ munere abſoluta certitudine polliceri queat, in auxilio tamen Dei firmiſſimam ſpem collocare & reponere debet: Deus enim niſi illius gratia ipſi defuerit, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere. Benedictus* igitur *vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit tanquam lignum quod tranſplantatur iuxta aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus & erit folium eius viride, nec aliquando deſinet facere fructum*.

Eccl. 2. *1. Tim. 2.* *1. Ioã. 2.* *Seſſ. 6. cap. 3.* *Ierem. 17.*

3. Quando in miniſterij ſui functionibus, laſſitudinem, faſtidium, aut aliquod animi deliquium perſentiet, ſpem tunc ſuam exſuſcitet, & in Deum erigat: *qui enim ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt Aquilæ, current & non laſſabuntur, ambulabunt & non deficiẽt*. *Iſa. 40.*

Si

4. Si interdum vt fert huius vitæ conditio, vrgeatur tentationibus, conflictetur ærumnis, & omni consolationis luce destitui videatur; tunc maximè ad protectionem, adiutoriumque Altiſſimi confugiat, *dicat Domino ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus ſperabo in eum*; memineritque diuini illius promiſſi, *quoniam in me ſperauit, liberabo eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum*. Appoſitè S. Chryſoſtomus ſpem dicit eſſe, *velut catenam auream & firmam, qua de cælo protenſa, ſubducimus animas noſtras, quæ breui ſurſum in illud ſummum faſtigium, eos qui ipſam fortiter manibus apprehendunt, euehit, ſeruatque ſupra perículoſiſſimos vitæ præſentis fluctus*.

Pſal 90

Lib. ad Theod. lapſ.

5. Sicut ad ſolum Deum tanquam ad fontem, principiumque totius boni ſpem omnem referre tenetur, ſic ad res creatas eam indebitè deflectere nuſquam debet, non itaque fidat in diuitijs cum ipſemet *præcipere teneatur diuitibus huius ſæculi non ſperare in incerto diuitiarum*; nihilque ſit, (vt monet D. Auguſtinus,) *tam inimicum ſpei, quam retro reſpicere, id eſt, in illis rebus quæ prælerlabuntur & tranſeunt ſpem reponere, retro reſpexit vxor Loth, & vbi reſpexit ibi remanſit, in ſalem conuerſa, vt prudentes condiret exemplo*. Non

1. Tim. 6.

ser. 29. de verb. Dom.

con-

confidat *in principibus, aut in filijs hominum in quibus non eſt ſalus: maledictus enim homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius, & erit tanquam myrica in deſerto.* *Pſ.145.* *Ier. 17.*

Neque etiam confidat in ſeipſo, non in doctrina, ingenio, virtute, nec in vllis corporis animiue dotibus; *Non ſumus* (inquit Apoſtolus) *fidentes in nobis ipſis, ſed in Deo, neque enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* *2.Cor.3*

6. Quod ſi diffidentiæ aut deſperationis tentatio aliqua animum pulſet, illique dæmon ſuadere nitatur v.g. Chriſtum Dominum pro omnibus mortuum non eſſe, vel morte ſua gratias ad ſalutem neceſſarias omnibus promereri noluiſſe; (contra quam tentationem, his periculoſiſſimis temporibus, propter praua dogmata irrepentia, ſollicitè animum præmunire debet Chriſti Sacerdos) huic igitur aut ſimili tentationi ingruenti, non modo ſcutum fidei, ſed etiam galeam ſalutis, ſpem ſcilicet, opponat, *eam firmiſſimam reponat in Deum viuum qui neminem vult perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti, qui vult omnes homines ſaluos fieri*, vt Apoſtolorum principes expreſſis verbis teſtantur. *2.Pet.3.* *1. Tim. 2.*

2.Cor.5 tur, qui etiam aperte docent *Chriſtum* Dominum *pro omnibus mortuum eſſe, dediſſe ſemetipſum redemptionem pro omnibus; veniſſe in hunc mundum peccatores ſaluos facere; eſſe lucem veram quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Meminerit ſe tum in baptiſmate, in ſacra ordinatione *non accepiſſe ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum Dei, qui quidem ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei, ſi autem filij & hæredes.*

1. Tim. 1.

Ioan. 1.

Rom. 8.

Serm. 3. de oct. panib. Denique cum ſancto Bernardo fidenter dicat; *Tria ſunt quæ ſic roborant & confirmant cor meum, vt nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propriæ vilitatis, nulla æſtimatio cæleſtis beatitudinis, ab altitudine ſpei deijcere poſſit, in ea firmiter radicatum: Tria igitur conſidero in quibus tota ſpes mea conſiſtit, charitatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis: murmuret iam quantum voluerit, inſipiens cogitatio mea dicens, quis enim es? aut quanta eſt gloria illa? quibuſue meritis obtinere ſperas hanc; & ego fiducialiter reſpondebo, ſcio cui credidi, & certus ſum quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax eſt in promiſſione, quia potens eſt in exhibitione, &c.*

CA-

CAPVT V.

De charitate & dilectione Dei, qua flagrare debet Chriſtianus Sacerdos.

CHaritas (vt docet S. Proſper,) *eſt recta voluntas, ab omnibus terrenis & præſentibus prorſus auerſa, iuncta Deo inſeparabiliter & vnita, ac igne quodam ſancti Spiritus, à quo eſt & ad quem refertur incenſa*, vel (vt cenſet S. Baſilius) *eſt aſſidua, & vltra vires, animi ad exequendam* Dei *voluntatem contentio, cum propoſito ac deſiderio gloriæ ipſius.* *Lib. 3. de vita cōtempl. cap. 13. In reg. breu q. 211.*

Ipſa eſt virtus (vt teſtatur D. Auguſtinus) *quam nemo vincit, cuius ignem nulli fluctus ſæculi, nulla flumina tentationis extinguunt; de hac dictum eſt, fortis eſt vt mors dilectio.* *In Pſal. 47.*

Quamuis autem hæc diuina virtus omnes creaturas rationales amandi Dei capaces reſpiciat, & quamuis Chriſtus Dominus vnumquemque hominum alloquutus ſit, cum in Euangelio edixit, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota* *Matth. 22.*

anima tua, &c. Nihilominus ex eodem Euangelio diſcimus ipſummet Dominum ſpeciale diligendi ſui mandatum diſcipulis, ac in eorum perſona cunctis Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus

*Ioan.*15 tradidiſſe, cum præcepit *vt manerent in dilectione ſua, ſicut ipſe in Patris ſui dilectione manebat*, cum eos *non iam ſeruos ſed amicos ſuos nuncupauit*; ac proinde verum ac perfectum amicitiæ amorem ab ipſis in ſe rependendum expetijt.

*Coloſ.*3. *Ibid. de nat. & grat. c.* 42. Certè cum charitas qua Deo adhæremus, vocetur ab Apoſtolo *vinculum perfectionis*: *cumque* vt docet Sanctus Auguſtinus, *ſit veriſſima, pleniſſima, perfectiſſima iuſtitia*: ſicut Chriſti Sacerdos ad plenimimam illam iuſtitiam, perfectionemque ſpeciali titulo eſt obligatus, (quod ex antedictis patet) ſic ad charitatem erga Deum præ cæteris Chriſtianis teneri cenſendus eſt: ſibique ille quod Sacerdotum omnium principi & patri à Chriſto Domino dictum pro ſuo modulo reputet, *diligis me plus his*.

*Ioan.*21 Nec ſine maxima ratione diuinus ille Seruator à quouis ſuorum Sacerdotum ampliorem charitatem, quam ab alijs fidelibus exigit, quandoquidem illum ſpeciali præ alijs dilectione ad miniſterij ſui honorem ſeligere, varijſque ad hunc finem gratijs cumula-

re

re voluit: *quemadmodum enim*, vt monet Apoſtolus, *diligi debet Deus, quia prior dilexit*: ſic magis diligi debet ab ijs, quos maioribus dilectionis ſuæ teſtimonijs præuenire dignatus eſt; quę quidem beneficia eo magis æſtimanda ſunt, quo & ex ſe maxima ſunt, & nihilominus in eum conferuntur qui ex ſe nihil eſt, imo qui ſæpe valde indignus eſt.

Verum antequam ad ipſius Charitatis praxim veniamus, pauliſper immoremur in conſideranda præcepti illius de diligendo Deo nobis impoſiti excellentia & ſuauitate. *Quid mihi es Domine?* (aiebat S. Auguſtinus, & cum eo quiuis merito dicere poteſt, imò debet,) *aut quid tibi ſum ipſe vt amari te iubeas à me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, minerisque ingentes miſerias; paruane eſt ipſa miſeria ſi non amem te?* *Lib. 1. confeſſ. cap. 5.*

Sed nunquid ſatis ſuperque erat, ſi Deus ſe à nobis amari permiſiſſet? nimis certe, ſi ad amorem ſui, imo ad amicitiam cum eo ineundam inuitaſſet; ſiquidem *nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. Sed infinita illa diuinæ bonitatis exuberantia ſibi minime ſatisfactum iudicabat, niſi ad amorem ſui non modo alliceret, non modo vrgeret, ſed præceptis ſuis quaſi quibuſ- *Pſ. 138.*

dam

dam charitatis funiculis & vinculis alligaret, attraheret; & ſic ſummi illius boni per amorem perfectum amplectendi, illique inhærendi felicem veluti nobis (ſalua tamen omni modo libertate) neceſſitatem imponeret.

Lib. de moribus Eccleſiæ cap. 8.

Audiuimus igitur, (vt S. Auguſtini verbis vtamur,) *quid diligere, & quantum diligere debeamus; eo eſt proinde omnino tendendum, ad id omnia conſilia noſtra referenda; bonorum ſumma nobis Deus eſt, Deus eſt nobis ſummum bonum; neque infra remanendum eſt nobis, neque vltra quærendum; alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt.*

Varijs autem modis in ſummum illud bonum per veræ charitatis amorem tendere poteſt Chriſti Sacerdos, præcipui & eius miniſterio conuenientiſſimi ſunt hi qui ſequuntur.

1. Vera charitas affectum noſtrum à quibuſcumq; rebus creatis abſtrahit, totumque transfert in ſolum Deum: vult enim Deus diligi ex toto corde, ex tota virtute, proindeque nihil amari debet niſi Deus, aut propter Deum; minus enim Deum amat, qui cum Deo aliquid amat quod propter illum non amat. Videat igitur Chriſti Sacerdos an ſit aliquid quod eius amo-

Luc. 14. rem cum Deo partiatur; an erga rem aliquam affectus ſit? memineritque

illius

illius dicti Euangelici, *qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; & qui non odit Patrem, &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus;* id eſt, qui affectum ſuum ab illis non abſtrahit, paratus omnia relinquere, ab omnibus ſeparari, ſi diuinus honor vel amor id exigat, omnia etiam propria deſideria, propriamque voluntatem abnegare, non poteſt perfectus eſſe Chriſti diſcipulus & miniſter.

2. Vera charitas nullam menſuram, nullum modum in amore ponit, Deum ſummè diligit, id eſt, eligit, præeligit, præfert omnibus & quibuſcumque rebus, ſine vlla comparatione, ſine vllis limitibus; pluris id quod Deo placitum eſt facit, quam omnes diuitias, omnia commoda, omnes dignitates & honores, pluris quam propriam vitam, ſalutem, felicitatem. Nullum præterea numerum, nullam menſuram in actibus diuini amoris præſcribit, eoſque creberrimos & intenſiſſimos quantum poteſt elicit. Cum vero plurimæ ſint & variæ occaſiones, in quibus Sacerdotem interioribus charitatis erga Deum exercitijs occupari conuenientiſſimum ſit, tum maxime cum perficit Sacrificium illud in quo Chriſtus Dominus ſeſe tanquã charitatis diuinæ hoſtiam inter puriſſimi

mi flagrantiſſimique ſui amoris flammas, tum ſuper altari, tum in ipſius Sacerdotis celebrantis pectore myſticè conſumit; quomodo enim fieri poteſt vt Sacerdos tunc in ſinu ſuo diuinum illum ignem geſtet, nec illius ardorem perſentiat.

Hom.30 inEuãg. 3. Vera charitas non tantum affectu, ſed etiam effectu ſe prodit; imo certius & ſolidius effectu quam ſimplici affectu; *probatio ſiquidem dilectionis* (vt ait S.Gregorius) *exhibitio eſt operis*. Si igitur Sacerdos explorare velit, an ex vera & perfecta charitate Deum diligat? videat in primis, an fideliter & exactè diuina præcepta exequatur? neque ſolum ea, quæ ipſi cum reliquis fidelibus communia ſunt, ſed illa pręſertim quę ſtatus ſui, muneriſque ſibi impoſiti ſunt propria? an leges Eccleſiaſticas, canonicaſque ſanctiones ſeruet circa habitum & tonſuram clericalem, bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſationem, reſidentiam, aliaque ſimilia à ſe obſeruanda. Item an ea ſollicitè deuitet, quę ab ipſo ſacri canones deuitanda præſcribunt. v.g aleas, venationes, luxus, comœdorum ſpectacula, ſuſpectas conuerſationes, negotiorum ſęcularium procurationes, & alia eiuſmodi. Vult ſiquidem Deus Eccleſiam audiri, eiuſque decretis obtemperari ab omnibus,

&

& quibuſuis fidelibus, quanto potiori ratione ab ijs, qui in ipſius Eccleſiæ clerum, ac veluti ſinum cooptati ſunt, alijſque exemplo præfulgere debent: proindeque Sacerdos qui decreta & canones Eccleſiæ negligit, diuinis legibus nuſquam ſatisfacit, nec proinde ipſum Deum ex vera charitate diligit; *qui enim habet mandata mea & ſeruat ea* (inquit Chriſtus) *ille eſt qui diligit me.* *Ioan.* 15

Neque ſolum obſeruatione legum diuinarum, Eccleſiaſticarumque probatur perfecta Dei dilectio, ſed etiam quorumcumque operum Deo placentium executione. *nunquam enim amor* Dei *otioſus eſt* vt docet S Gregorius, *operatur enim magna, ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt*; *imo*, vt loquitur S.Thomas, *diuinus ille amor operatur magna, & reputat parua; operatur multa, & reputat pauca? operatur diu, & reputat breue*, etſi *dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione*, (iuxta 70. interpretes) *ſi dederit omnem vitam ſuam in dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam; & videbuntur ei dies pauci præ amoris magnitudine.* *Hom.* 56 *in Euāg.* *Opuſc.* 61, *Cant.* 8.

Præterea ſi D.Chryſoſtomo credimus *ea eſt amantium lex vt ſe tum demum felices putent cum aduerſa pro his quos diligunt ſuſtinent*; vnde ſubdit, *quod qui vera charitate diligunt* Deum, *Hom.* 3. *in Epiſt. ad Philem.*

potius

potius ſe ad patientiam præparant, & cogitant, ac quærunt, qui pro Deo *tolerent, etiamſi pericula ſubeunda ſint grauiſſima, quam qua ratione illius ſuauitatem deguſtare mereantur; quamuis enim* Di*uini illius amoris ſuauitatem non negligãt, illius tamen ſuauitati ærumnarum tolerantiam anteponunt.* Et alibi, *Nihil eſt,* inquit, *tam horridum, tamque tremendum, quod hi, qui morbo, vel pœnis diſcruciantur non ſuperent, ſi diuino amore ſint incenſi? itaut neque ignis, neque ferrum, neque inopia, neque languor aliquis, neque mors, neque aliud quippiam eiuſmodi graue aut moleſtum appareat ei, qui ita erga* Deum *affectus ſit.*

Homil. 18. *de amore* Dei.

Rom. 8. Dicat ergo Sacerdos diuino amore percitus cum Apoſtolo, *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an perſecutio? an periculum? an gladius?* quantominus leuis aqua difficultas, contradictio repugnantia, aut quid ſimile, imo iſtæ occaſiones aliquid in miniſterijs Eccleſiaſticis pro Deo tolerandi, non modo ab ipſius dilectione non abducent, quin potius ad illam magis ac magis augendam ac perficiendam iuuabunt; proindeque ſæpius apud ſe proponat, nunquam ſe deſtituturum ab vllo pio opere quod Deo gratum eſſe perſpiciet, v.g. à quotidianæ meditationis praxi, ab inſtructione pau-

perum,

perum, alijſque charitatis aut religionis, ſeu alterius virtutis exercitijs, ob ſolam difficultatem vel repugnantiam, faſtidiumue; quin potius, quo magis aliquid in Dei obſequio aſperum aut difficile perſentiet, eo magis gaudebit, quod verum ac ſolidum probandæ ſuę erga Deum dilectionis modum nactus ſit: idque inhærendo ſanctorum Apoſtolorum veſtigijs, qui quidem *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* *Actor.* 5

CAPVT VI.

De intentione Diuinæ gloriæ, quam in omnibus Christi Sacerdos ſpectare debet.

NOn erit difficile Sacerdoti ex toto corde, & ex tota virtute Deum diligenti, omnia ſua, ſeque ipſum in eius gloriam referre, cum ad id non modo inclinet, ſed etiam impellat, & vrgeat perfecta charitas, quæ non quæ ſua ſunt quærit, nec ſibi ipſi viuit, ſed illi ſoli, cui ſe, ſuaque omnia debet.

Prou. 16 Et quamuis *omnia propter ſemetipſum operatus ſit Dominus*, omneſque proinde creaturæ rationis capaces illius gloriam primum quærere teneantur, Sacerdos nihilominus ad id præ cæteris peculiari ratione obſtringitur, vnde ab Apoſtolo vocatur *homo Dei*, id eſt, homo qui ſuus eſſe deſijt, & totus Dei eſt, totuſque in hoc poſitus vt Dei honorem, gloriam, regnum in omnibus propugnet & promoueat; vt ſcilicet *Eucher. epiſt. ad Valer.* ſacrum illud miniſterium *quod Dei munere ſumpſit, Dei deuotione conſumatur, atque id quod ab eodem indignus cœpit, eidem ſubiectus impendat.*

Debet præterea repetere animo ſolemnem illam precationem quam non ſuo tantum, ſed Eccleſiæ nomine ad Deum fundit, ac ſæpius per quamque diem repetit, non modo in diuerſis diuini Officij horis, ſed etiam altari aſtās, in tremendo ſacrificio, ſuper ipſo Chriſti Domini corpore: in qua quidem precatione, prima & præcipua petitio hæc eſt (*ſanctificetur nomen tuum*,) quibus verbis, id petit, quod in cœlis Angeli omnes, quod vniuerſi beati Spiritus indefeſſo affectu, inceſſabili voce inclamant; nimirum vt benedictio, & honor, & gloria, & claritas, & gratiarum actio, ab omni creatura Deo iugiter rependatur: Videat igitur, an tunc animus cum voce concordet

an ſincerè, & ex toto cordis affectu id in omnibus intendat, quod præ omnibus expoſcit? ne ſit ex illis, de quibus conquerens Chriſtus Dominus dixit, *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* *Mat.* 1

Addamus Sacerdotem, ratione miniſterij ſui Chriſto Domino propiorem effectum, eius veſtigia perfectius alijs conſectari debere; atqui diuinus ille hominum Saluator, hunc ſibi vnicum actionum & paſſionum ſuarum ſcopum ac finem propoſuit, gloriam ſcilicet Dei, vt illum per ſe glorificaret, & tum exemplo, tum meritis cunctos homines ad gloriam Deo deferendam excitaret & adiuuaret; vnde in ſacris litteris vocatur per excellentiam (*gloria Dei;*) & ipſe de ſeipſo dixit, *ego non quæro gloriam meam, ſed eius qui miſit me.* Sacerdos igitur diuinum hunc prototypum ſibi ob oculos ponens, ſtudeat illum in ſe exprimere, & eius exemplo ſe, ſuaque omnia in Diuinam gloriam referre, illiuſque augmentum in omnibus & vbique quantum in ſe eſt procurare. *Iſa. 60.* *Rom. 3.*

Vt autem hoc melius ac perfectius præſtet, in primis caueat ſibi ab omni praua & obliqua intentione, *vigilantique cura* (vt loquitur S. Gregorius) *per cuncta opera ſua intentionem ſuam penſet, vt nihil temporale in his, quæ* *Lib.* 28. *moral.* *cap.* 13.

 agit

agit appetat, totamque illam in æternitatis ſoliditate figat: ne ſi extra illud fundamentum actionis ſuæ fabrica ponatur, terra dehiſcente ſoluatur: & paulo poſt, *Baſes vniuſcuiuſque animæ ſunt intentiones; nam ſicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus innituntur; ita vita noſtra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione ſubſiſtunt*. Et S. Auguſtinus hoc idem argumentum tractans, dicit Dauidem contra inanem gloriam

Pſ. 118. pugnare, cum ait; *Auerte oculos meos ne*

In cap. 5 *videant vanitatem*: *non quia* (inquit

Matth. ille S. Pater) *ipſa laus humana culpanda ſit, nam quid tam optandum eſt hominibus, quam vt eis placeant, quæ debent imitari: ſed propter ipſam laudem operari, eſt vanitatem in ſuis operibus intueri; quandoquidem & ipſa ab hominibus laus homini iuſto quantacumque prouenerit, non ibi eſſe debet eius finis boni, ſed etiam ipſa referenda eſt ad laudem Dei, propter quam bona faciunt vere boni. Denique in eodem ſermone Dominus dixerat, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt, vbi finem poſuit in gloria Dei. Non ergo ſit finis boni noſtri operis in laudibus hominum, ſed ipſas laudes hominum corrigamus, & ad Dei laudes omnia referamus, à quo nobis datur quidquid in nobis ſine laudantis errore laudatur*. Et rurſus idem,

hoc

hoc ſi quaris vt glorificetur Deus, noli timere ne videaris ab hominibus; etiam ſic intus eſt eleemoſyna tua in abſcondito, vbi ſolus ille cuius tu gloriam quaris, videt hoc quarere.

Quod autem ille de eleemoſyna, hoc pari ratione de munere concionandi, alijſque functionibus Eccleſiaſticis, quæ vt plurimum palam & in aliorum oculis fiunt; in quibus proinde maxime cauere ſibi debet Chriſti Sacerdos ab vlla minus recta intentione, vnicamque in omnibus illis Dei gloriam intendere, & ad hanc intentionem eo modo concipiendam & dirigendam animum aſſuefacere; neque ſolum in præcipuis Religionis aut pietatis operibus, ſed & in quibuslibet alijs actionibus etiam indifferentibus hunc finem ſpectare, & iuxta monitum Apoſtoli *ſiue manducet, ſiue bibat, ſiue quid aliud faciat, omnia in gloriam Dei facere.* Quod conuenienter ab ipſo Sacerdote fieri poterit, ſi vitam ſuam, libertatem ſuam, facultates ſuas, conſilia ſua, actus ſuos, omnia denique ſua, & ſeipſum Deo offerat, & coram eo proteſtetur ſe neque agere aut pati, neque viuere, aut mori velle, niſi ad maiorem eius gloriam; idque non ſemel, non aliquoties, ſed ſingulis diebus, &, ſi fieri poſſet, ſingulis cuiuſque diei horis ac mo-

1.Cor. 10.

agit appetat, totamque illam in æternitatis ſoliditate figat: ne ſi extra illud fundamentum actionis ſua fabrica ponatur, terra dehiſcente ſoluatur: & paulo poſt, *Baſes vniuſcuiuſque animæ ſunt intentiones; nam ſicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus innituntur; ita vita noſtra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione ſubſiſtunt*. Et S. Auguſtinus hoc idem argumentum tractans, dicit Dauidem contra inanem gloriam

Pſ. 118. pugnare, cum ait; *Auerte oculos meos ne*

In cap.5 *videant vanitatem*: *non quia* (inquit

Matth. ille S. Pater) *ipſa laus humana culpanda ſit, nam quid tam optandum eſt hominibus, quam vt eis placeant, quæ debent imitari: ſed propter ipſam laudem operari, eſt vanitatem in ſuis operibus intueri; quandoquidem & ipſa ab hominibus laus homini iuſto quantacumque prouenerit, non ibi eſſe debet eius finis boni, ſed etiam ipſa referenda eſt ad laudem Dei, propter quam bona faciunt vere boni. Denique in eodem ſermone Dominus dixerat, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt, vbi finem poſuit in gloria Dei. Non ergo ſit finis boni noſtri operis in laudibus hominum, ſed ipſas laudes hominum corrigamus, & ad Dei laudes omnia referamus, à quo nobis datur quidquid in nobis ſine laudantis errore laudatur*. Et rurſus idem, *hoc*

hoc ſi quaris vt glorificetur Deus, noli timere ne videaris ab hominibus; etiam ſic intus eſt eleemoſyna tua in abſcondito, vbi ſolus ille cuius tu gloriam quæris, videt hoc quærere.

Quod autem ille de eleemoſyna, hoc pari ratione de munere concionandi, alijſque functionibus Eccleſiaſticis, quæ vt plurimum palam & in aliorum oculis fiunt; in quibus proinde maxime cauere ſibi debet Chriſti Sacerdos ab vlla minus recta intentione, vnicamque in omnibus illis Dei gloriam intendere, & ad hanc intentionem eo modo concipiendam & dirigendam animum aſſuefacere; neque ſolum in præcipuis Religionis aut pietatis operibus, ſed & in quibuslibet alijs actionibus etiam indifferentibus hunc finem ſpectare, & iuxta monitum Apoſtoli *ſiue manducet, ſiue bibat, ſiue quid aliud faciat, omnia in gloriam Dei facere*. 1.Cor. 10. Quod conuenienter ab ipſo Sacerdote fieri poterit, ſi vitam ſuam, libertatem ſuam, facultates ſuas, conſilia ſua, actus ſuos, omnia denique ſua, & ſeipſum Deo offerat, & coram eo proteſtetur ſe neque agere aut pati, neque viuere, aut mori velle, niſi ad maiorem eius gloriam; idque non ſemel, non aliquoties, ſed ſingulis diebus, &, ſi fieri poſſet, ſingulis cuiuſque diei horis ac mo-

mentis, ac præſertim initio cuiuslibet actionis, & in eiuſdem progreſſu & fine. Heu quam felix, quam beata Sacerdotis vita quæ hoc tenore procederet! quam fauſti & fortunati dies qui pura illa & ſincera diuinæ gloriæ intentione velut quadam cœleſti lampade illuſtrarentur! quam ſanctæ & meritoriæ actiones quæ ad hunc finem dirigerentur! quam denique pretioſa mors quæ hæc meditantem, hæc peragentem occuparet! quiſquis ita ſe geſſerit, verè cum Apoſtolo dicere poterit, *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus;* &, *mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

Galat. 2

Philip. 1

CAPVT VII.

De charitate proximi, quæ propria eſt Chriſtiani Sacerdotis.

Marc. 12.

SApienter omnino Scriba ille in Euangelio laudatus dixit, *diligere proximum ſicut ſeipſum, maius eſſe omnibus holocautomatibus & ſacrificijs;* in his ſiquidem animalium duntaxat caro & ſanguis immolatur, at vero in proximi dilectione, quæ propter Deū

con-

concipitur, ipſius hominis cor & voluntas offertur, & veluti Chriſti charitate conſecratur.

Quamuis autem diligendi proximi lex à Chriſto lata, æquè omnes creaturas ratiōne præditas reſpiciat, Sacerdotes tamen illa ſtrictiùs obligari, & ad perfectiorem illius praxim teneri, ex ipſo Euangelio conſtat, in quo Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos alloquens, & in eorum perſona Sacerdotes omnes inſtruens, hanc eis virtutem præ cæteris mandat, ipſumque mandatum pluries repetit, *quæ quidem mandati repetitio* (vt obſeruat S. Auguſtinus) *mandati commendatio eſt*, Additque in hoc præſertim ſuos cognoſcendos eſſe diſcipulos, *ſi dilectionem habuerint ad inuicem*: itaut ſecundum hoc Euangelicum axioma, verus Chriſti Domini diſcipulus & Sacerdos charitatis virtute, tanquã proprio & peculiari charactere dignoſci debeat: qua quidem deficiente, non iam meretur dici Sacerdos, ſed potius idolum Sacerdotis: habet quidem, vt ita loquamur, corpus Sacerdotij, quia indelebilem illius characterem gerit, ſed in eo non eſt Sacerdotalis ſpiritus, qui alius non eſt, niſi ſpiritus charitatis. Vnde Petrus Bleſenſis Sacerdotem alloquens, *ſine charitate* (inquit) *nihil es, ſine charitate Sacerdos dici potes, eſſe*

Tract. 83. in Ioan.

Ioan. 13

Ser. 41.

mentis, ac præſertim initio cuiuslibet actionis, & in eiuſdem progreſſu & fine. Heu quam felix, quam beata Sacerdotis vita quæ hoc tenore procederet! quam fauſti & fortunati dies qui purá illa & ſincera diuinæ gloriæ intentione velut quadam cœleſti lampade illuſtrarentur! quam ſanctæ & meritoriæ actiones quæ ad hunc finem dirigerentur! quam denique pretioſa mors quæ hæc meditantem, hæc peragentem occuparet! quiſquis ita ſe geſſerit, verè cum Apoſtolo dicere poterit, *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus*; &, *mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*.

Galat. 2
Philip. 1

CAPVT VII.

De charitate proximi, quæ propria eſt Chriſtiani Sacerdotis.

Marc. 12.

SApienter omnino Scriba ille in Euangelio laudatus dixit, *diligere proximum ſicut ſeipſum, maius eſſe omnibus holocautomatibus & ſacrificijs*; in his ſiquidem animalium duntaxat caro & ſanguis immolatur, at vero in proximi dilectione, quæ propter Deũ

con-

concipitur, ipſius hominis cor & voluntas offertur, & veluti Chriſti charitate conſecratur.

Quamuis autem diligendi proximi lex à Chriſto lata, æquè omnes creaturas ratione præditas reſpiciat, Sacerdotes tamen illa ſtrictiùs obligari, & ad perfectiorem illius praxim teneri, ex ipſo Euangelio conſtat, in quo Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos alloquens, & in eorum perſona Sacerdotes omnes inſtruens, hanc eis virtutem præ cæteris mandat, ipſumque mandatum pluries repetit, *quæ quidem mandati repetitio* (vt obſeruat S. Auguſtinus) *mandati commendatio eſt*, Additque in hoc præſertim ſuos cognoſcendos eſſe diſcipulos, *ſi dilectionem habueritis ad inuicem*: itaut ſecundum hoc Euangelicum axioma, verus Chriſti Domini diſcipulus & Sacerdos charitatis virtute tanquã proprio & peculiari charactere dignoſci debeat: qua quidem deficiente, non iam meretur dici Sacerdos, ſed potius idolum Sacerdotis: habet quidem, vt ita loquamur, corpus Sacerdotij, quia indelebilem illius characterem gerit, ſed in eo non eſt Sacerdotalis ſpiritus, qui alius non eſt, niſi ſpiritus charitatis. Vnde Petrus Bleſenſis Sacerdotem alloquens, *ſine charitate* (inquit) *nihil es, ſine charitate Sacerdos dici potes, eſſe*

Tract. 83. in Ioan.

Ioan. 13

Ser. 41.

non potes: Charitas certe (vt rectè monet S. Chryſoſtomus) *abſque martyrio facit Chriſti diſcipulos, martyrium autem abſque charitate id præſtare non poteſt.*

In Encom. S. Romani mart. apud Sur. tom. 6.

Sacerdos igitur ſeipſum excitare volens, ad hanc virtutem ſedulo conſectandam, perpendat, & attentè meditetur verba illa in Euangelio expreſſa, quibus Chriſtus Dominus eam diſcipulis commendauit: cogitet inquam diuinum illum hominum Saluatorem, iam Paſſioni proximum, & ex nimia erga nos charitate iam iam acerbiſſimos dolores toleraturum, ſanguinemque pro peccatis totius mundi effuſurum, ac in cruce moriturum, commendare Sacerdotibus ſuis hoc vltimum præceptum quod ſuum nominat, illiuſque executionem obnixè expoſcere, vt ſcilicet charitatem ſuam erga homines imitentur, vt amore ſui diligant eos, quos tantopere dilexit, vt pro ijs cruci affigi, & mori voluerit.

Vt vero huius diuinæ virtutis officia præcipua explere valeat, proximumque ſuum, id eſt; quemlibet hominem ſalutis æternæ capacem, eo quo conuenit modo diligat, tria præſertim ſibi obſeruanda proponat.

Primum eſt vt illum diligat propter Deum: quia (vt loquitur S. Gregorius) *ſi quis quemlibet amat, ſed propter*

per Deum non amat, charitatem non habet, ſed habere ſe putat. Vt enim perfecta iuſtitia ſit diligere proximum, (inquit S. Bernardus) *Deum in cauſa habere neceſſe eſt; alioquin proximum purè diligere non poteſt, qui in Deo non diligit.* Hom. 8. in Euãg. Lib. de diligendo Deo.

Qua ratione autem dignoſcere poſſit an proximum verè propter Deum diligat, hanc S. Gregorius ſupra citatus notam affert: *Ille propter Deum diligit, qui iam & eos diligere, à quibus non diligitur ſcit. Probari enim præſertim charitas per odij aduerſitatem ſolet.* Videat itaque Chriſti Sacerdos, an paratus ſit charitatis obſequia, & ſubſidia etiam ijs impendere à quibus nihil ſperare poteſt? imo à quibus plurimum oneris & incommodi expectandum ipſi eſt? puta pauperibus, imbecillibus, infirmis, rudibus, ijs etiam à quibus ne vllum quidem grati animi teſtimonium referre, ſed potius multam contradictionem, contumaciam, peruicaciam tolerare oporteat? An cum Apoſtolo verè dicere paratus ſit, *Ego autem libentiſſime impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris; licet plus vos diligens minus diligar?* An denique ex toto cordis affectu velit ſinceræ & indefeſſæ charitatis officia exhibere quibuslibet aduerſantibus, odientibus, perſequentibus, calum- Sup. Cap. 26

nianibus,&c. Sic enim euidenter perſpiciet, an verè in Deo, & propter Deum diligat.

Secundum eſt, vt proximum quem propter Deum diligit, ſicut ſeipſum diligat; id eſt, vt eadem bona quæ ſibi ipſi ex vera charitate optare & procurare debet, proximo etiam quantum potuerit procurare velit? *Quod enim agis tecum* (inquit S. Auguſtinus) *id agendum cum proximo eſt, hoc eſt vt perfecto amore diligat Deum; non enim eum diligis tanquam teipſum, ſi non ad id bonum ad quod ipſe tendis, adducere ſatagis.*

2. Cor. 2
Lib. de morib. Eccleſ.

Sicut ergo vera & perfecta charitas qua Chriſti Sacerdos erga ſemetipſum flagrare debet, ipſum excitat ad peccata commiſſa deflenda, eademque in poſterum deuitanda; item ad virtutes confectandas, & ea omnia præſtanda, quæ Deo grata, & accepta eſſe nouit, quæque ipſum æterna illius fruitione dignum reddant, ſic etiam vt proximum verè & perfectè ſicut ſeipſum diligat, debet illius peccatis ingemiſcere, illumque ad ea per pœnitentiam eluenda quantùm poterit excitare, conſilijs ſalutaribus iuuare, viamque edocere qua & à peccatis cauere, & bona opera beatitudinis æternæ meritoria exercere, ac ſic tandem ad Deum peruenire poſſit.

Hæc

Hæc eſt ſiquidem ſumma eorum bonorum quæ per charitatem & ſibi & proximo procurare valet, ad quæ cætera omnia quæ verè bona ſunt reducuntur; quæ enim ad æternam beatitudinem nihil conferunt, vera bona non ſunt, nec proinde ad Chriſtianæ charitatis officia pertinent.

Tertium denique eſt vt diligat, ſicut Chriſtus ipſemet dilexit; *Hoc eſt*, inquit, *præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*; en modus & menſura dilectionis erga proximum, ad quam verus Chriſti diſcipulus contendere debet, eamque ſibi ſedulo quantum in ipſo erit conſectandam proponere. *Ioan.* 15

Perſpiciat itaque, animoque perpendat, qualis & quanta fuerit illa Chriſti Domini erga ſuos dilectio? quo affectu, quo ardore, qua conſtantia eos vſque in finem dilexerit; & cum infinitæ ac ineffabiles ſint illius diuinæ charitatis perfectiones, tres præſertim inter cæteras peculiari attentione meditetur, ſibique ad imitandum proponat.

Primo etenim Chriſtus Dominus dilexit efficaciter, id eſt, non modo beneuolentiæ, aut compaſſionis affectus alioſque ſimiles impendit, & etiã interdum lachrymas eorum teſtes effudit: ſed præterea operibus & effecti-

Act.10. buſiuuit; *pertranſijt benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*, vt de illo teſtatur Apoſtolus; ſic Sacerdotis erga proximum charitas non affectiua ſolum, ſed & effectiua eſſe debet; *non*
3 Ioã.3. *diligamus*, inquit D. Ioannes, *verbo*, *neque lingua*, *ſed opere & veritate*. Videat igitur in quibus operibus & effectibus proximum iuuare valeat; nullamque ipſi benefaciendi occaſionem elabi ſinat.

Chriſtus præterea dilexit ſuauiter, & quod de ſe poſtea teſtatus eſt Apoſtolus, hoc ipſe Dominus prior adim-
1.Cor.9 pleuit; *omnia omnibus factus eſt*, *vt omnes ſaluos faceret*, fleuit cum flentibus, cum peccatoribus & publicanis manducauit, cum pauperibus & ſimplicibus è populo, tanquam cum filiolis mutauit vocem ſuam, ad eorum captum ſe demiſit, loquebatur illis in parabolis & ſimilitudinibus, ſermone vulgari & trito, vt vel minimus è turba facillimè dicta eius caperet & intelligeret.

Heu quis hæc ſerio recogitans non obſtupeſcat, Verbum diuinum, æternam ipſius Dei Sapientiam, ad hæc humillima charitatis officia ſeſe tanta ſuauitate demittere: nos vero qui ex nobis nihil ſumus, qui miniſterium nobis traditum multis peccatis inquinauimus, leuiuſculæ alicuius ſcientiæ

ven-

vento inflatos & diſtentos, in ſimilibus charitatis officijs Chriſti Domini imitationem faſtidire, nec in proximi infirmioris gratiam velle tantiſper nos demittere.

Hanc itaque prauam animi noſtri diſpoſitionem vel rubore ſuffuſi præ tanta Domini noſtri humilitate, ipſius exemplo conuicti corrigamus; *Induamuſque nos ſicut electi Dei ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*, *debemus ſiquidem nos firmiores, infirmorum imbecillitates ſuſtinere, & non nobis placere.* Coloſſ. 3 Rom. 15

Chriſtus denique dilexit fortiter, aquæ multæ charitatem eius extinguere non potuerunt; nec flumina illam obruere; non populorum peruicacia, non Iudæorum peruerſa æmulatio, non Phariſæorum calumniæ, & criminationes impiæ, non perſequentium ſæuitia & crudelitas, ab incœptis charitatis officijs, vel ſuſcepto ſalutis humanæ opere, vllo modo retardarunt: fortis fuit vt mors eius dilectio, imo fortior quam mors, cuius demum victrix ac triumphatrix extitit.

Diſcamus igitur ex diuini huius Saluatoris exemplo, fortes ac conſtantes eſſe in officijs charitatis: diſcamus quādo agitur de ſalute animarum procuranda, non parcere laboribus, non tre-

trepidare in periculis, non fatigari moleſtijs, non cedere contradictionibus, non ſuccumbere in perſecutionibus; *ſed in omnibus ſuperare eum qui dilexit nos*, & cum gratiæ eius ſubſidio in finem vſque perſeuerare.

Rom. 8. propter

Porro quoniam is qui charitatem inſpirat eandem in nobis ordinat, vt ordo ille charitatis à Chriſtiano Sacerdote ſeruetur, erga tria præſertim perſonarum genera, ſi nulla alia ſpecialis ratio ſubdit, hæc illi virtus exercenda eſt. Primo erga conſacerdotes ſuos, vt potè ſibi arctiùs in Chriſto deuinctos & coniunctos, quos idcirco peculiari affectu complecti, & quibuſlibet charitatis officijs iuuare & fouere debet, tum vt à malo retrahat, tum vt ad bonum promoueat. Secundo erga pauperes, eos maximè qui ſubſidijs ſpiritualibus magis deſtituti videntur, quales vt plurimum ſunt ij, qui commorantur in villis, pagis, alijſque eiuſmodi locis, in quibus raræ & quandoque nullæ catechiſticæ inſtructiones, & ſæpe craſſa & ſupina rerum ad ſalutem æternam pertinentium ignorantia; quibus proinde tanquam infirmioribus Chriſti membris, & opis alienæ indigentibus, ſubſidium præſtare, ſeque pro eorum inſtructione & ſalute impendere, non poteſt non eſſe acceptiſſimum illi,

qui dixit, *quodcumque vni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Tertio denique erga propriam familiam, ſingulaſque illius perſonas, quas & veritatibus fidei imbuere, & à peccato deterrere, & ad virtutem tum dictis tum exemplis prouocare ſpeciali ratione tenetur; *qui enim ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior*. *Matth.* 25. 1. *Tim.* 5.

CAPVT VIII.

De manſuetudine à Chriſtiano adhibenda in tolerandis aliorum defectibus.

NOn ſolum ſuauitate ad condeſcendendum alijs, ſed præterea etiam manſuetudine ad eorum defectus tolerandos, indiget Sacerdos Chriſtianus: idque eo magis, quo frequentiores in miniſterijs Eccleſiaſticis occurrunt illius virtutis exercendæ occaſiones: vnde & ipſemet Chriſtus Dominus, hanc præſertim in ſemetipſo imitandam propoſuit, cum dixit, *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; eandemque inter beatitudines etiam repoſuit; *beati mites*, *Matth.* 11.

quo-

In Pſal. 33. *quoniam ipſi poſſidebunt terram* : Ex quo S. Baſilius infert, manſuetudinem eſſe *omnium virtutum maximam*, idque non immeritò, cum enim inter quaſcumque virtutes charitas principatum teneat, *ipſius tamen charitatis veluti flos eſt manſuetudo*, vt ait illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis, qui aſſerit, *tunc demum perfectam eſſe charitatem*, *cum*(vt ex S. Bernardo refert) *non ſolum patiens, ſed etiã mitis & benigna eſt*. *Philot. part. 3. cap. 8.*

Quare S. Chryſoſtomus indubitanter affirmat, *manſuetudinem præ cæteris virtutibus nos Deo vicinos conformeſque facere* : obſeruatque Chriſtum Dominum, cum ad alias virtutes conſectandas excitaret, nuſquam hanc clauſulam addidiſſe, (*vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt*) niſi quando ad calumnias & perſecutiones cum manſuetudine tolerandas hortatus eſt : ex quibus patet hanc virtutem Sacerdoti Chriſtiano maxime cõgruere, qui(vt ex antedictis euidens eſt) non modo charitatis virtutem, ſed & charitatis ipſius perfectionem peculiari ſtudio affectari tenetur. *Hom. 19 in epiſt. ad Rom.* *Matt. 5.*

Præterea, cum (vt docet idem S. Chryſoſtomus) *nihil ſit ad conciliandos promerendoſque amicos infenſiſſimos, manſuetudine efficacius* quod & probat exemplo Iacob, Eſau fratrem ſuum ſibi maxime iratum, manſuetudine ſua *Hom. 58 in Geneſ.*

ſibi

ſibi non modo reconciliantis, ſed & deuincientis; additque, quod *ſicut rogum valde accenſum aqua iniecta reſtinguit, ita animum ira æſtuantem, verbum cum manſuetudine prolatum mitigat & placidum efficit*. Inde colligere poſſumus Chriſtiano Sacerdoti hac manſuetudinis virtute maxime opus eſſe, cum eius miniſterium præſertim in conciliandis & conuertendis hominum animis, per peccatum ſæpiſſime tum à Deo, tum à proximo auerſis & alienis, earumque paſſionibus, plerumque acribus demulcendis & mitigandis verſari vt plurimum ſoleat. *Sic Moyſes totius plebis ſibi mentes deuinxerat* (inquit S. Ambroſius) *vt plus eum pro manſuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur*. Certè, vt rectè monet S. Chryſoſtomus, *igne non poteſt ignis extingui, hoc enim eius repugnat naturæ, ſic nec furor furore alio demulceri vnquam poterit*. Lib. 2. off. c. 7. Sup.

Porro ad hanc virtutem tum acquirendam, tum in nobis perficiendam, varia media ſuggerunt Sancti Patres.

S. Cyprianus proponit Chriſti Domini exemplum, haud dubiè efficaciſſimum ſi ſedulò conſideretur. *Quanta* (inquit) *illius Diuini Seruatoris fuit in tolerandis Iudæis æquanimitas, quanta patientia? incredulos ſuadendo ad fidem flectere, obſequio ingratos fouere*, Serm. de Cœna Domini

con-

contradicentibus reſpondere leniter, ſuperbos ſuſtinere clementer, humiliter perſequentibus cedere. Et paulò infra, de eiuſdem Domini manſuetudine in tolerando proditore loquens: *Iudam,* inquit *voluit longa patientia ad extremum ſuſtinere, cibum cum inimico ſumere, hoſtem domeſticum ſcire, nec palam oſtendere, traditoris oſculum non recuſare,* &c. En paucis verbis in Chriſti Domini perſona exemplum ad hanc virtutem perſuadendam efficaciſſimum, & ſimul ad multiplicem illius praxim demonſtrandam aptiſſimum.

Lib. 5. moral. cap. 34. Duos alios modos ſuggerit nobis S. Gregorius, quorum primus præcedenti affinis eſt, vt quando videmus aliqua fore nobis ex parte proximi toleranda, cogitemus contumelias, probra, moleſtias, quas Redemptor noſter in paſſione ſua tanta manſuetudine pertulit. *Heu* (inquit S. Bernardus) *diuinus ille Saluator flagellis caſus, ſpinis coronatus, clauis confoſſus, patibulo affixus, opprobrijs ſaturatus, omnium tamen dolorum immemor, ignoſce illis, ait, quia neſciunt quid faciunt.* Et nos vnius verbuli paulo durius prolati aculeum ferre non poſſumus, quin continuo exardeſcamus in iras.

Serm. 4. de Paſſione Domini.

Sup. Alter ſeruandæ manſuetudinis modus eſt, (vt ait idem S. Gregorius) *vt*

vt cum alienos exceſſus aſpicimus, noſtra,
quibus in alijs exceſſimus; delicta cogi-
temus: conſiderata quippe infirmitas pro-
pria aliena nobis excuſat mala: patienter
namque illatam iniuriam tolerat, qui
pie meminit quod fortaſſe adhuc habeat,
in quo ipſe habeat tolerari. Hunc mo-
dum ipſe etiam Apoſtolus antea edo- *Galat.6*
cuerat, his verbis. *Fratres, etſi præoccu-*
patus fuerit homo in aliquo delicto, vos
qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite
in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum.

Porro cum hæc manſuetudinis vir-
tus præſertim in ira compeſcenda,
frænandiſque animi æſtuantis motibus,
adhibeatur; non tamen inde ſequitur
obiurgatorijs & increpatorijs verbis,
aut acriori correptione nuſquam vten-
dum eſſe; cum ipſa charitas ad pec-
catores arguendos, increpandos, &
corripiendos, non modo inuitet, ſed
& interdum obliget; vt infra expli-
cabitur: vnde S.Chryſoſtomus monet, In *pro-*
tunc placidè leniterque loqui diſcipulis *œm. ep.*
cum opus eſt acrimonia, non doctoris, ſed *ad Ga-*
corruptoris potius eſſe & hoſtis; hanc ob *lat.*
cauſam, & ipſe Dominus cum multa
placidè, manſuetéque locutus ſit diſcipu-
lis; nonnunquam tamen & auſteriorem
habuit orationem, nunc quidem illos bea-
tos prædicans, & collaudans, nunc rurſus
increpans & obiurgans. Neque enim (vt *In Pſal.*
alibi declarat) *ferire eſt ſemper & abſo-* 131.
lutè

lute atrocitatis, neque parcere manſuetudinis, ſed mitis eſt ille qui ferre poteſt, qua in ſeipſum peccata ſunt, & alijs factam iniuriam propulſare.

Nihilominus, quamuis exteriùs increpare, obiurgare, interdumque acriter corripere oporteat, id tamen ſemper in ſpiritu lenitatis, & manſuetudinis faciendum eſt; itaut eiuſmodi increpatio, obiurgatio, & acris correptio, non ex ira, aut alia animi commotione, ſed ex vera & perfecta charitate oriatur, quæ etiam acerbiora remedia nouit adhibere, quando ad proximorum ſalutē ea neceſſaria eſſe perſpicit.

Philot. part. 3. cap. 8. *Quare*, (vt ſapienter monet Illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis,) *ira motus quacumque de cauſa quantumlibet iuſta excitatus, ſemper eſt cohibendus, & comprimendus, nec vnquam deliberatè retinendus aut fouendus: ira enim viri, vt ait Apoſtolus, iuſtitiam Dei non operatur: verum quidem eſt malo reſiſtendum eſſe, vitiaque eorum qui noſtra cura ſubſunt, coercenda, idque fortiter & conſtanter; ſed tamen leniter & placidè; melius eſt enim*, vt ex S. Auguſtino ad Profuturum ſcribente ibidem refert, *iræ iuſtæ quantumuis modicæ aditum præcludere, quam quauis ratione aperire; quia ſemel admiſſa difficillime expellitur. Conſultius*

igi-

igitur eſt, vt paucis interiectis ibidem ſubdit, *dicere, qua ratione quis vitam cuiuſcumque ira expertem ducat, quam quomodo moderatè ac ſapienter iram adhibere valeat: & quando in nobis ex imperfectione aliqua aut fragilitate natura ſubito exoritur, praſtat citius illam reprimere, quam de illa componenda, aut moderanda in nobis ipſis velle deliberare.*

Ad hos autem repentinos iræ motus comprimendos, ſeruandamque in omnibus manſuetudinem, hæc quæ ſequuntur obſeruanda præſcribit: nimirum, vt vbi primo nos ira commotos aduertimus, omnes animi noſtri vires in nobis ipſis recolligamus, non quidem cum impetu & ardore, ſed placidè, ſuauiterque, & nihilominus ſedulo & diligenter: tum diuinæ gratiæ auxilium ſuppliciter inuocemus, & cum Apoſtolis tempeſtate iactatis inclamemus, *Domine ſalua nos, perimus*, ſperemuſque quod clementiſſimus ille Saluator paſſionum ventis & procellis imperabit, nutuque eius fiet tranquillitas magna. *Matt. 8.*

Quod ſi nihilominus erumpat aliquis iracundiæ actus, contrario lenitatis actu erga eandem perſonam quæ illo æſtu impetita eſt, erit illico reparãdus; tum demum pace ac tranquillitate animi recuperata, mãſuetudinis virtuti

ſe-

ſedulo ſtudendum erit, verba cum lenitate proferenda, actiones quæcumque placido ac quieto animo quantum fieri poterit, erunt obeundæ: *præſertimque hæc virtus manſuetudinis*, vt monet S Chryſoſtomus, *exercenda & in praxim reducenda erit, quando res nobis fuerit cum hominibus, ira commotis, aut natura rudibus, & agreſtibus: quando cum iis, qui ſunt ab ipſa manſuetudinis virtute alieniſſimi, tunc enim lenitatis perfectio maxime oſtenditur, illiuſque vberrimus fructus.*

In *Pſal.* 119.

CAPVT IX.

De eleemoſyna, aliiſque operibus miſericordiæ, quibus Chriſti Sacerdos incumbere tenetur.

NOn fert inſtituti, nobis in hoc opere propoſiti ratio, vt ea omnia in medium afferamus quæ tum in Scripturis, tum apud Patres reperiuntur, quibus eleemoſynæ excellentia, vtilitas, fructus, & quæuis alia commendatio, nec non ad eam elargiendam cunctis hominibus vel ab ipſo naturæ iure impoſita obligatio demonſtrari

ſtrari poſſet, vnde tamen pro Sacerdotibus alijſque viris Eccleſiaſticis ſuper hac re conuincendis, argumenta varia eaque à minori ad maius fortiſſima deducerentur.

Quatuor tantum circa rationem eleemoſynarum, vniuerſis clero Eccleſiæ aſcriptis obſeruatu neceſſaria, breuiter hic apponimus.

Primum eſt illos qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, ſtrictiſſimè obligari ad eroganda pauperibus, vel in pios vſus impendenda ea omnia, quæ ipſis poſt ſufficientem & moderatam pro ratione conditionis ſuſtentationem, ex reditibus Eccleſiaſticis ſuperſunt. Hæc eſt communis & recepta omnium Theologorum ſententia, quam fuſiùs hic perſequi ſuperfluum eſt, cum in eorum libris copioſiſſimæ illius probationes, & efficaciſſima argumenta legi poſſint. Quamuis vero doctores quidam, beneficiarios redituum Eccleſiaſticorum dominos eſſe negent, alij vero affirment; quicquid ſit de illo dominio, conueniunt omnes vnanimiter quoſcumque beneficia Eccleſiaſtica poſſidentes, ad eleemoſynam de ſuperflu s reditu um Eccleſiaſticorum erogandam, ſub lethalis culpæ reatu obligatos eſſe. *Viuant de altari*, (inquit S. Bernardus,) *non luxurientur, non ſuperbiant, non denique* *In decla mat. ſuper, ecce nos, &c.*

atten-

ditentur; patrimonia ſiquidem pauperum ſunt, facultates Eccleſiarum: & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non vtique domini & poſſeſſores, vltra victum accipient, aut veſtitum. Vnde appoſitè idem S. Pater ad quemdam virum Eccleſiaſticum ſcribens, *Quicquid*, inquit, *præter neceſſarium victum & ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*: & alio in loco, *Clamant nudi, inquit, conquerun-tur, & dicunt, noſtrum eſt, quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis*: & rurſum, *væ væ tibi, clerice, mors in olla, mors in delicijs eſt, ſumptus Eccleſiaſticos gratis habere te putas, cantando, vt aiunt, tibi prouenire videntur, bonum erat tibi magis fodere aut mendicare: peccata enim populi comedis.*

Epiſt. ad Fulcon.

Epiſt. ad Henricũ Senon.

In declamat.

Secundum eſt, Sacerdotes, alioſque viros Eccleſiaſticos, licet nulla beneficia obtinentes, ſi tamen aliundè, bonis temporibus affluant, ſtrictius ſemper ad eleemoſynam erogandam præ alijs perſonis laicis obligari: tum quia illis arctior ad charitatem, perfectionemque conſectandam obligatio incumbit; tum quia clericalem ſtatum amplectendo ſe, ſuaque omnia ſpeciali ratione Deo dicarunt, ipſumque ſæcularibus deſiderijs abdicatis, in-

por-

portionem, partemque hæreditatis ſuæ elegerunt: cum denique quia præcepto Euangelico, *lux eorum lucere debet coram hominibus, vt videant opera eorum bona, & glorificent Patrem qui in cœlis eſt*: Vnde vnumquemque illorum peculiari modo ſpectant hæc Prophetæ verba, *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris, &c. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua*. *Iſa. 58.*

Tertium eſt non modo eos qui pinguia, vt vocant, beneficia obtinent, vel ampla patrimonia poſſident, obligatos eſſe ad erogandam de ſuperfluis ſuis eleemoſynam, ſed & eos Sacerdotes, quibus non niſi modici prouentus ſuppetunt ad hanc miſericordiæ virtutem, ea qua poterunt ratione exercendam ſuo modo teneri: *Ne dicat*, inquit S. Chryſoſtomus, *quoniam pecunia mihi non fuit, hoc enim nihil eſt dicere: ſicut ſi aurum dare poſſes ita affectus eſto; potes miniſtrare pauperi, etiam hoc facito: vales conſilio, hoc omnibus maius eſt*: & alio in loco, *at non habes pecuniam, ſed potes viſitare agrum, vel incarceratum, dare poculum aquæ frigidæ, prabere duos obolos ſicut vidua; ingemiſcere iis qui affliguntur; nam hoc quoque eſt eleemoſyna*, &, vt ait S.Gregorius Nazianzenus, *Homil. 25. in Act.* *In Pſal. 127.* *Orat. de pauper. amer.*

zenus, *ſi nihil habes, collachryma, magnum eſt infortunato remedium, miſeratio ex animo collata.*

Sanè dici non poteſt quantum fideles ædificentur, cum vident Sacerdotem alioquin opibus copioſis deſtitutum, miſericordia tamen & charitate diuitem, egenorum & pauperum commiſerari, ipſoſque quibus poteſt modis ſolari, ſiue illos in ægritudine viſitando, ſiue conſilijs iuuando, ſiue pro ipſis ſubſidium aliquod ab alijs petendo, aut quiduis aliud præſtando, quo eis adiumento & ſolatio eſſe poſſit.

Quartum denique eſt, Sacerdotes, alioſque Eccleſiæ miniſterio addictos, ſicut cæteris fidelibus in huius virtutis praxi prælucere, ſic & ad hanc non vtcumque, ſed quam perfectiſſimè exercendam attentos eſſe debere.

Lib.2.de pœnitẽt, Atque in primis maximè cauere debent, ne ſint de numero illorum, qui, vt loquitur S. Ambroſius, *ad iactantiam ſolam, decorem largitatis affectant, vt eo ſe probatos vulgo velint, qui quidem,* vt paulo poſt ſubdit, *dum præſentis ſæculi mercedem requirunt, non recondunt in futurum, & quia hic percipiunt mercedem ſuam, illic ſperare non poſſunt.*

Epiſt.ad nepot. Caueant præterea ne ſint ex illis, *qui,* vt ait S. Hieronymus, *pauperibus pauxillum tribuunt, vt amplius accipiant,*

&

& ſub pretextu eleemoſynæ quærunt diuitias.

Vt igitur à Chriſtiano Sacerdote hoc fermentum Phariſaicum abſit: quotieſcumque elemoſyna ab illo eroganda eſt, id fiat humiliter, vt ſcilicet iuxta conſilium D.Chryſoſtomi, *ſuis apud Deum patronis potius munera offerre, quam egenis dona largiri videatur.* *Serm.de eleemoſyna.*

Fiat miſericorditer, ex animo ſuper proximi anguſtijs & miſerijs compatienti; *eſt enim eleemoſyna*, inquit idem D.Chryſoſtomus, *non dare opes, ſed cum miſericordia illas dare.* *Hom.13 in 2. ad Cor.*

Fiat liberaliter, *quomodo potueris eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude, qui enim parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, appoſitè S.Chryſoſtomus, *non dare*, inquit, *ſed cum copia dare eleemoſyna eſt.* *Tob.4.* *Hom.37 ad pop.*

Fiat ex prompto cordis affectu; *non ex triſtitia aut ex neceſſitate: Hilarem enim datorem diligit Deus. Neque enim*, vt monet S.Ambroſius, *ſatis eſt benefacere niſi id ex bono fonte, hoc eſt, ex bona voluntate proficiſcatur: plerique enim eleemoſynam tribuunt*, quod obſeruat S. Auguſtinus, *potius vt careant tædio interpellantis, quam vt reficiant viſcera indigentis: cum vero hilarem datorem di-* *Lib. 1. offic.* *In Pſal. 42.*

ligat Deus, ſi panem dederis triſtis, & panem, & meritum perdidiſti.

Lib. 1. offic. Fiat prudenter & cum diſcretione, *non enim per eleemoſynam opes profundendæ ſunt, ſed diſpenſandæ*, inquit S. Ambroſius, & D. Hieronymus ſanctam Paulam laudat, *quod ſingulis ſuam pecuniam diuidebat, ita ut ſingulis neceſſarium præſtaret, non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem*: quare ſapienter S. Gregorius monet Sacerdotes & Paſtores, *ne ijs tribuant quadam, quibus nulla; ne nulla, quibus quadam, ne multa, quibus pauca: ne pauca, quibus multa impendere deberent: ne præcipitatione hoc quod tribuunt, inutiliter ſpargant; ne tarditate ſua petentes nocivè crucient; ne in benè oblato munere, animus pluſquam decet hilareſcat, &c.*

In Epitaph.

In Paſtor.

Ad eandem quoque prudentiam & diſcretionem Chriſtianam & Eccleſiaſticam pertinet, vt eleemoſynas corporales auxilijs ſpiritualibus quantum fieri poterit iungant, & cum corporali ſolatio, animæ quoque ſubſidium procurare ſtudeant; eaſque eleemoſynas, quæ ſpiritualiter prodeſſe poſſunt, alijs ſolum corporis commodum ſpectantibus anteponant.

Porro huiuſmodi eleemoſynæ quæ ſpirituale proximi bonum promoueat, variæ, frequenteſque ſuppetunt occaſiones, v.g. ſi erogetur, ad captiuum

ali-

aliquem è Turcarum vel Saracenorum vinculis redimendum, ne ærumnis preſſus, Chriſti fidem eiuret; ad promouendam in terris infidelium Euangelij prædicationem; ad procurandam in pagis, villis, alijſque locis derelictis pauperum in rebus ad ſalutem pertinentibus inſtructionem; item ſi tribuatur eleemoſyna ad hoc vt puella ex imminenti proſtituendæ pudicitiæ periculo liberetur, & in tuto loco collocetur, (quod S. Nicolaus quondam feciſſe legitur) ſi ad hoc vt adoleſcens bonæ indolis, ſed pauper, litteris imbuatur, vt ſic vtilem aliquando in Eccleſia operam nauare poſſit, &c.

Denique fiat perſeueranter: *Neque enim* (vt monet S. Chryſoſtomus) *putemus omnia nos praſtitiſſe, ſi quando ſemel, atque iterum aliquid dederimus: per omnem quippe vitam id facere oportet; non enim ſemel tantum, ſed indeſinenter Deo placere debemus.* *In Praf. epiſt. ad Philipp.*

Quiſquis (inquit S. Gregorius) *copioſum in cœlis fructum deſiderat, ſeminare dum tempus eſt non omittat, vt manipulos in die meſſis cum lætitia colligat: bonum ergo facientes non deficiamus; tempore enim ſuo mittemus exultantes.* *Epiſt. ad Sauinel.*

CAPVT X.

De fraterna peccantium correctione à Chriſtiano Sacerdote facienda.

CVm charitas erga proximum bipartita ſit, & (vt S. Auguſtini verbis vtamur) *partim corpori, partim animæ hominis benefacere debeat is qui ex vera charitate hominem diligit; ad corpus quod pertinet, medicina nominatur, ad animam autem diſciplina: medicinam voco quicquid omnino corporis vel tuetur, vel inſtaurat ſalutem, &c. Quod autem attinet ad diſciplinam, per quam ipſi animo ſanitas inſtauratur, animi medicina eſt; & quantum Scripturis Diuinis colligi licet, in duo diſtribuitur, inſtructionem ſcilicet & coercitionem.*

Lib. de morib. Eccleſ. cap. 27.

Et de inſtructione quidem cum in ſecunda huius libri parte actum ſit, reſtat vt aliquid dicamus de ipſa coercitione, ſeu correptione peccantium, non quidem ea quæ publica authoritate fit à Prælatis, alijſque iuriſdictionem in foro exteriori obtinentibus, quæ non eſt huius loci; ſed quæ ab omnibus Chriſtianis, præſertimque

ab

ab ipſis Sacerdotibus, ex motiuo charitatis ad cõpeſcendos peccantes adhiberi debet, quæ etiam communiter *correctio fraterna* nuncupatur.

Et quidem quod ipſi Sacerdotes præ alijs perſonis Laicis ad illam correctionem teneantur; hinc patet, quod maiori & perfectiori charitate pollere debeant; (vt ſuperioribus capitibus demonſtratum eſt) cuius quidem actus maximè neceſſarius eſt peccantium correctio, quæ ad medendum pernicioſiſſimo hominis malo, peccato ſcilicet adhibetur; vnde Iſidorus: *Sacerdotes*, inquit, *pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant.* Et S. Proſper dicit, *illum cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt*, id eſt, Sacerdotem, *etiamſi ſanctè viuat, ſi tamen perditè viuentes arguere aut erubeſcat, aut metuat, cum omnibus qui eo tacente peribunt, periturum eſſe; nihilque illi prodeſſe non puniri ſuo, cum puniendus ſit alieno peccato.* Et S. Leo: *Sacerdos*, inquit, *qui alium, cum poteſt, ab errore non reuocat, ſeipſum errare demonſtrat.* E contra teſtatur D. Iacobus, *quod is qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via ſua, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Sicque non ſolum illi quem corripit, ſed ſibi quoque ac ſuæ ſaluti conſulit; nec dubium quin

Lib. 3 de ſumm. bon. c. 46

Lib. 1. de vit. cõt. cap. 20.

Epiſt. 93

Cap. 5

quin omnia, quæ de fructibus eximijs & ſaluberrimis eleemoſynæ corporalis in ſcripturis dicuntur, ad eleemoſynam ſpiritualem, quæ per correctionem præſtatur, potiori adhuc ratione pertineant.

Quare videndum reſtat, quomodo ipſa correctio fieri debeat, vt eo quo conuenit modo à Sacerdote fiat, effectumque ſuum, conuerſionem ſcilicet peccatoris, ſortiatur.

Primo igitur Sacerdos peccatorem, quemcumque correcturus, omnem iram, indignationem, amaritudinem, & aliam ſimilem commotionem, inordinatam ab animo ſuo eliminet: *neque enim in commotione Dominus*: imo *factus eſt in pace locus eius*:

2.Cor.3 *Et quia non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, idcirco gratiam illius tum ſibi, tum ei quem corripere intendit ſuppliciter expoſcat, poſtuletque vt ipſe Dominus ſit in corde ſuo,

2.Cor.5 Act.13. & in labijs ſuis, vtque in ore ſuo ponat *verbum reconciliationis & ſalutis*.

Optimum erit etiam, vt paulisper ſupra ſemetipſum reflectatur, & iuxta

Lib.2.de ſer. Domini in monte cap.30. monitum Apoſtoli, *ſeipſum conſideret*, vnde S. Auguſtinus: *Cum*, inquit, *aliquem reprehendere vel obiurgare neceſſitas coegerit; primum cogitemus vtrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus*,

mus, vel quo iam caruimus: & ſi nunquam habuimus, cogitemus & nos homines eſſe, & habere potuiſſe; ſi vero habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehenſionem aut obiurgationem non odium, ſed miſericordia precedat.

Et hoc eſt ſecundum, quod in correctione obſeruari maximè conuenit, ſcilicet, vt qui corripit *corripiat in miſericordia, & in ſpiritu lenitatis*, vt loquitur Apoſtolus, qui etiam monet *non oportere ſeruum* Dei *litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati*: vnde S. Ambroſius; *Plus*, inquit, *amica correptio proficit, quam accuſatio turbulenta; illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet, &c. Bonum quippe eſt vt amicum magis te qui corripitur credat, quam inimicum; facilius enim conſilijs acquieſcitur, quam iniuria ſuccumbitur*. Et S. Chryſoſtomus: *Vis*, inquit, *fratrem corrigere? lachryma, ora* Deum *ex corde, apprehenſum admone, conſule, exhortare, &c. Demonſtra charitatem erga peccatorem, perſuade ipſi quod conſulens & curans, non peruulgare volens, peccati ipſum commonefacis, comprehende pedes, oſculare, ne erubeſcas, ſi modo mederi vis.* *Pſ. 140. Gal. 6.* *Lib. 8. in Luc c. 11.* *Hom. 3. ad pop. Antioc.*

Requiritur inſuper vt correctio fiat cum prudentia & diſcretione; hæc

enim virtus maximè neceſſaria eſt, vt qui corripit finem ipſius correctionis aſſequatur; nimirum *vt lucretur fratrem ſuum*: proindeque ita ſe gerat, vt ab eo quem corripit audiatur, & is ab ipſo perſuadeatur.

Ad hanc autem prudentiam pertinet, tempus ad correctionem faciendam aptum aſſumere, illamque ſi ita magis expediat interdum vel differre, vel etiam penitus omittere. *Si enim*, vt loquitur S. Auguſtinus, *propterea quiſque obiurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia tempus opportunius inquirit, vel eiſdem ipſis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant, infirmos alios, & premant atque auertant à fide, non videtur cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis.*

Lib. 1. de ciuit. c. 9

Eſt etiam eiuſdem prudentiæ, modum ipſum correctionis diſponere, & eorum qui corrigendi ſunt maiori vtilitati accommodare: *Seniorem*, inquit Apoſtolus Timotheum diſcipulum ſuum ſuper hac re inſtruens, *ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate*: & idem Apoſtolus ad Titum ſcribens de modo quem in corripiendis Cretenſibus ſeruare debebat: *increpa illos durè*, inquit, quia ſcilicet ad eorum emendatio-

1. Tim. 5.

tionem iudicaret hanc duriorem increpationem fore magis proficuam, quæ tamen ad alios emendandos minus vtilis, imo fortaſſe nociua fuiſſet; nam, vt rectè obſeruat S. Gregorius, *non vna eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas aſtringit, ſæpe namque alijs officiunt, quæ alijs proſunt; quia medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit, & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat.* *In Paſtor. p. 3. cap. 36.*

Ad eandem quoque prudentiam pertinet interdum aliqua inſinuatione, & veluti circuitione, illius qui corrigendus eſt, animum leniter ſubire, ſi præſertim in aliqua dignitate, aut ſuperioritate conſtitutus ſit; & ſic illi ad emendationem quaſi viam ſternere & pleniorem, ac faciliorem reddere, quod in Rege Dauide à Propheta optimè & opportuniſſimè factum Scriptura teſtatur; qua de re S. Chryſoſtomus præclare & maximè appoſitè. *Accede*, inquit, *ad illum quem corrigere intendis, & paruum eius encomium effer, alijs quæ habet commodis & dotibus id componens, & tanquam aqua calida fouens laudibus, ac ſic vulneris acrimoniam demulcens: te quoque ipſum pronuntia miſerum; accuſa commune genus hominum: oſtende nos omnes eſſe in peccatis, veniam pete, dicens te maiora aggredi* Hom. 44. *in ep. 1. ad Cor.*

enim virtus maximè neceſſaria eſt, vt qui corripit finem ipſius correctionis aſſequatur; nimirum *vt lucretur fratrem ſuum*: proindeque ita ſe gerat, vt ab eo quem corripit audiatur, & is ab ipſo perſuadeatur.

Ad hanc autem prudentiam pertinet, tempus ad correctionem faciendam aptum aſſumere, illamque ſi ità magis expediat interdum vel differre, vel etiam penitus omittere. *Si enim*, vt loquitur S. Auguſtinus, *proptereà quiſque obiurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia tempus opportunius inquirit, vel eiſdem ipſis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant, infirmos alios, & premant atque auertant à fide, non videtur cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis.*

Lib. 1. de ciuit. c. 9

Eſt etiam eiuſdem prudentiæ, modum ipſum correctionis diſponere, & eorum qui corrigendi ſunt maiori vtilitati accommodare: *Seniorem*, inquit Apoſtolus Timotheum diſcipulum ſuum ſuper hac re inſtruens, *ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate*: & idem Apoſtolus ad Titum ſcribens de modo quem in corripiendis Cretenſibus ſeruare debebat: *increpa illos durè*, inquit, quia ſcilicet ad eorum emendatio-

1. Tim. 5.

tionem iudicaret hanc duriorem increpationem fore magis proficuam, quæ tamen ad alios emendandos minus vtilis, imo fortaſſe nociua fuiſſet; nam, vt rectè obſeruat S. Gregorius, *non vna eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas aſtringit, ſæpe namque alijs officiunt, quæ alijs proſunt; quia medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit, & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat.* *In Paſtor.p.3. cap. 36.*

Ad eandem quoque prudentiam pertinet interdum aliqua inſinuatione, & veluti circuitione, illius qui corrigendus eſt, animum leniter ſubire, ſi præſertim in aliqua dignitate, aut ſuperioritate conſtitutus ſit; & ſic illi ad emendationem quaſi viam ſternere & pleniorem, ac faciliorem reddere, quod in Rege Dauide à Propheta optimè & opportuniſſimè factum Scriptura teſtatur; qua de re S. Chryſoſtomus præclare & maximè appoſitè. *Accede*, inquit, *ad illum quem corrigere intendis, & paruum eius encomium effer, alijs quæ habet commodis & dotibus id componens, & tanquam aqua calida fouens laudibus, ac ſic vulneris acrimoniam demulcens: te quoque ipſum pronuntia miſerum; accuſa commune genus hominum: oſtende nos omnes eſſe in peccatis, veniam pete, dicens te maiora aggredi* Hom.44. *in ep. 1. ad Cor.*

quam vires tuæ ferant, ſed charitatem omnia audere; deinde conſulens hoc fac, non tanquam imperans, ſed vt frater. Cum his omnibus phlegmonem depreſſeris, & leueris dolorem qui accidit ex ſectione futuræ reprehenſionis, & ſæpe vſus fueris excuſatione, & rogaueris ne iraſcatur, cum eum his veluti faſcijs charitatis ligaueris, tunc plagam inflige, nec vulnus ſtrictius alligans, nec diſſoluens, vt neque illinc deſiliat, neque hinc deſpiciat. Addit paulo poſt; *Ne ſtatim adiungas ſupplicia propoſita ijs qui offendunt, & ſcandalum afferunt, ſed eius quoque aſſume teſtimonium dicens; non opus eſt vt hæc à me diſcas, tu ipſe ſcis, &c. Da etiam illi poteſtatem, dicens ego quidem hæc ſuadeo & conſulo, in tua autem poteſtate eſt vt perſuadearis, nec vim affero, ſed totum permitto libero tuo arbitrio.*

Sicut prudenter ac ſuauiter, ſic etiã fortiter & conſtanter huic charitatis operi inſiſtendum eſt, cauendumque maxime Sacerdoti, ne illum ab officio ſuo dimoueat timiditas aliqua naturalis, aut conſideratio temporalis, vel reſpectus humanus: quare ex parabola Euangelica illius qui incidit in latrones; à quibus ſpoliatus & vulneratus
Ser. 44. in Cãt. eſt, rectè infert S. Bernardus, *medico ſpirituali neceſſarium eſſe vinum feruidi zeli, cum oleo manſuetudinis;* & de illo zelo quoniam cuilibet Sacerdoti,

&

& Eccleſiaſtico viro, inter alias virtutes præcipuè neceſſarius eſt, capite ſequenti plenius agetur.

CAPVT XI.

De zelo quo Chriſtianus Sacerdos feruere debet.

ZElus eſt effectus amoris, inquit S. Auguſtinus, ac proinde charitatis, quæ eſt amor, vel potius amicitia quædam præcellens: ſicut autem ipſa charitas duplex eſt, vna, quæ Deum, altera, quæ proximum reſpicit, ſic etiam duplex eſt zelus, alter, quo Dei gloria quæritur, & repellitur id omne quod illi oppoſitum eſt aut aduerſum: alter quo verum proximi bonum procuratur, eiuſque malum quoad fieri poteſt auertitur. *In Pſal 118. Ser. 18.*

Is ergo dicitur Zelere pro Deo, (vt docet S. Thomas) *quando ea quæ ſunt contra honorem, vel voluntatem Dei repellere ſecundum poſſe conatur, iuxta illud, Zelatus ſum pro Domino exercituum*: & è contrario ea promouere quæ Deo placita honorificaque eſſe cenſentur. 8[2]. qu. .a.4.

Cum

Hom. 3. in Gen. *Cum vero* (vt aſſerit S. Chryſoſtomus) *nihil ita gratum Deo ſit, & ita cura, vt animarum ſalus, ſicut clamat Paulus dicens, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & iterum Deus ipſe ait; Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: & propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, & nos formauit, non vt pereamus, neque vt ſupplicijs nos torqueat, ſed vt ſaluet, & ab errore liberatis, regno frui nobis concedat.* Hinc ſequitur ipſi Deo maximè placitum & perhonorificum eſſe, ipſarum animarum ſalutem, quantum in nobis eſt, eius opitulante gratia cum zelo procurare. Vnde etiam idem S. Pater ſubdit: *talem igitur habentes Dominum tam miſericordem, tam benignum, tam manſuetum, tum noſtri, tum fratrum noſtrorum curam geramus; nam & hoc noſtra ſalutis argumentum erit & occaſio, ſi non ſolum pro nobis ipſis ſolliciti, ſed & proximo vtiles fuerimus, ipſum ad viam veritatis manuducentes.* Sup.

Porro quanto & quam feruido zelo tum gloriæ Dei, tum ſalutis animarũ exardeſcere debeat Sacerdos Chriſtianus, ſatis ſuperque conſtare poteſt, vel ipſius Chriſti Domini exemplo, cuius miniſtrum ſe, ac proinde ſectatorem, & imitatorem peculiari ſtudio profiteri tenetur: quis enim cogitatione

ne aſſequi, nedum ſermone explicare queat, quantus, & quam incenſus fuerit illius zeli feruor, quo diuinum eius pectus exarſit, cum ſolus, aſſumpto flagello, turbam illam negotiantium & negotiationibus ſuis templum Dei prophanantium eiecit, & omnia eorum mercimonia diſturbauit? Quod quidem non ſine ſtupore intuétes eius Diſcipuli, recordati ſunt quia de illo ſcriptum erat, vt obſeruat Euangeliſta, *Zelus domus tuæ comedit me*. Quis putas fuit ſacri illius cordis ardor? quod amoris incendium? cum ipſemet paſſionem ſuam & mortem acerbiſſimam præcogitans, qua vniuerſos homines redempturus erat, & de illa diſcipulis proloquens: *Baptiſmo*, inquit, *habeo baptiſari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur? ignem veni mittere in terras, & quid volo niſi vt accendatur*. *Pſal.68* *Luc.12.*

Hoc igne procul dubio toti erant accenſi & incenſi ſancti Apoſtoli, quando, *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti erant, pro nomine Ieſu contumeliam pati*. Huc eumdem ignem toto pectore hauſerat Beatus Paulus, quando ob eiuſdem Chriſti Domini nomen & gloriam, erat *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*, quando ipſe de *Act.5.* *2.Cor.11.* *Ibid.*

ſe

ſe dicebat, *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandaliſatur & ego non vror? non dixit*, vt rectè obſeruat Sanctus Chryſoſtomus, *& ego non moleſtia afficior, ſed dixit, & ego non vror, vrendi verbo ſummum dolorem oſtendere volens*. Quando idem ad Theſſalonicenſes ſcribebat, *nunc viuimus, ſi vos ſtatis in Domino*, quæ verba perpendens idem S. Chryſoſtomus, *vide, inquit, quantopere ſanctus hic Apoſtolus ſtudebat vt res fratrum rectè ſe haberent, qui nec viuere quidem ſe exiſtimabat, ſi illi non eſſent ſalui. Homo qui fuerat raptus ad tertium cælum, & delatus in Paradiſum, qui fuerat particeps myſteriorum ineffabilium, & tantam apud Deum aſſecutus fiduciam; illorum tamen bonorum ſenſum non valde accipiebat; niſi etiam vidiſſet fratres ſuos eſſe ſaluos.*

In Encom. S. Roman. Martyris apud Sur.

In cap. 3 Epiſt. 1. ad Theſſalon.

Et ipſemet S. Chryſoſtomus perfectus Apoſtoli Pauli affectator, quanto putas zeli ardore flagrabat, cum populum ſuum alloquens hæc de ſeipſo dicebat: *Vellem ſi fieri poſſet veſtris oculis oſtendere quam in vos habeo charitatem: nihil enim eſt mihi vobis iucundius, ne ipſa quidem lux: millies enim optarem ipſe eſſe cæcus, ſi per hoc liceret animas veſtras conuertere, adeo ipſa luce mihi eſt veſtra ſalus iucundior: quid enim me iuuant ſolares radij, quando quæ propter*

1. Hom. 3. in Act.

pter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas effundit tenebras.

Et paulo poſt, vlterius adhuc progrediens, & quaſi præ feruore ipſius zeli ſanctè excedens, *Implete*, inquit, *gaudium meum, liceat vobis ſalutem aſſequi: me autem propter vos reddere rationem? vobis dari ſalutem, me vero accuſari, quod munus meum non impleuerim? non enim curo vt per me ſalui ſitis, ſed vt ſalui ſitis quacumque ratione.* *Ibid.*

His igitur Christi Domini, ſanctorumque verbis & exemplis, Sacerdos tum ad concipiendum ſimilem zelum permoueri, tum etiam qua ratione conceptum illum zelum exerceat inſtrui & edoceri poterit: puta quo affectu, quo voluntatis ardore, conuerſionem peccatorum, bonorumque in virtute profectum, ac in omnibus diuini honoris incrementum optare & procurare debeat? qua animi magnitudine peruerſis impiorum conatibus obſiſtere, errores, & abuſus irrepentes funditus tollere, veram pietatem ac Religionem fouere, pia & ſancta conſilia promouere; eaque de cauſa nullis parcere laboribus, nullas refugere moleſtias; imo paratum ſe ſemper exhibere ad incommoda quælibet eo fine ſubeunda, ad tolerandas quaſcumque animi corporiſque anguſtias, denique ad vitam

ſi

ſi opus ſit, cum ſanguine profundendam.

Supereſt, vt aliquas eaſque maxime neceſſarias zeli illius conditiones expendamus: quarum Prima eſt, vt diſcretione ac prudentia regatur; alias ſimilis erit zelo illorum de quibus conquerebatur Apoſtolus dicens, *quod æmulationem Dei haberent, ſed non ſecundum ſcientiam: importabilis autem eſt zelus abſque ſcientia*, vt monet Sanctus Bernardus, qui recte addit, *vbi ergo eſt vehemens æmulatio, ibi maxime diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio charitatis. Semper quidem zelus abſque ſcientia minus efficax minuſque vtilis inuenitur, plerumque autem & pernicioſus valde ſentitur: quo igitur zelus feruidior, ac vehementior ſpiritus, profuſiorque charitas, eo vigilantiori opus eſt ſcientia, quæ zelum reprimat, ſpiritum temperet, ordinet charitatem.*

Rom. 10. Ser. 49. in Cant.

Secunda eſt, vt cum magna animi fortitudine iunctus ſit, *fortis enim eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*: *Durus eſt zelus*, inquit S. Ambroſius, *quem vita huius nulla vincit illecebra, durus ſicut inferi, per quem peccato morimur, viuimus Deo*, & Sanctus Chryſoſtomus deſcribens qualis ſit ille qui zelo eiuſmodi forti & conſtanti animatur, ſic loquitur; *Is qui illo igne Chriſti incenſus fuerit, tentationes ſic*

Cant. 8. Ser. 18. Hom. 52. in Act.

ſic contemnit, & flagella & carceres, quaſi in alieno corpore pateretur, vel quaſi adamantinum poſſideret corpus: quæ autem ſuauia ſunt in hac vita ridet, atque ad ea ſic afficitur, quaſi corpore mortuus eſſet. Sanè opus eſt animis, & pectore firmo, quando neceſſe eſt prauis hominum conſuetudinibus obluctari, peccatorum deſiderijs reſiſtere, minis non cedere, contradictiones ac perſecutiones interdum acerbiſſimas tolerare potius quam à veritatis, aut iuſtitiæ via vel minimum deflectere: hæc autem animi firmitas non in nobis quęrenda eſt, ſed ab eo ſuppliciter expoſcenda, qui quem voluerit poteſt ſpiritus ſui virtute roborare, ac *dare in columnam ferream & murum æreum, regibus, & principibus & populo terræ.*

Tertia zeli conditio proximæ affinis, eſt, vt cùm de gloriæ Diuinæ propugnatione & propagatione agitur in ſolum Deum reſpiciatur, nec vllatenus acquieſcatur carni aut ſanguini: ita ſe geſſiſſe teſtatur Apoſtolus, vbi Diuina reuelatione illuſtratus, prædicandi Euangelij miſſionem cælitus accepiſſet; & ita vniuerſis Diſcipulis ſuis faciendum eſſe præſcripſit ipſe Dominus, cum ait, *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Zelum qui ha-

Galat. 1

Luc. 14.

bent,

In Pſal. 118. Ser. 18. *bent*, inquit S. Ambroſius, *omnes ſibi inimicos putant, qui ſunt hoſtes Dei; quamuis patrem, matrem, fratres, ſorores, &c.*

Quanta vero ſit huius conditionis neceſſitas, hinc patet quod Sacerdotis zelo diuino exardeſcentis præcipui vt plurimum & maximè cauendi *inimici*, vt ipſemet Chriſtus monet, *ſunt domeſtici eius*, propinqui, affines, cognati, amici ſæculares, à quibus ſæpè in via Domini non minimam turbationem accipit. Quot enim in muneribus & dignitatibus Eccleſiaſticis videre eſt, alioquin probos, plurimiſque virtutibus ornatos, qui tamen amicorum precibus, propinquorum deſiderijs, familiæ commoditati & vtilitati, reluctari non valent, & ſic ſæpiſſime ad plurima contra officij ſui debitum permittenda, admittendaque, & interdum committenda vel inuiti pertrahuntur. (Matth. 10.)

Quarta denique veri zeli conditio eſt, vt malis quibus mederi non poteſt, ingemiſcat; & ſi nihil aliud valet, ſaltem cordis dolorem & lachrymas ſinceræ charitatis teſtes Deo offerat; ſic Regius Pſaltes dicebat, *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei*, & Sanctus Apoſtolus, *Triſtitia* inquit, *mihi magna eſt & continuus dolor cordi meo, optabam enim* (Pſ. 118. Rom. 9.)

enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, & ipſe Dominus Ieſus, *videns ciuitatem fleuit ſuper illam dicens, quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia ecce venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo*, &c. Sic igitur verus Diuinę gloriæ, humanæque ſalutis zelator, quando Maieſtatem diuinam peccatorum contumacia inhonorari, quando animas perire, inimicos Dei inſoleſcere, & mala augeri ac præualere videt, velut Angelus pacis amarè flet, ac in vmbra alarum Diuinæ protectionis ſe recondit, donec tranſeat iniquitas. *Luc. 19.*

CAPVT XII.

De Prudentia Chriſtiano Sacerdoti neceſſaria.

QVod in zelo, & correctione fraterna prudentiam ac diſcretionem requiri iam diximus, id etiam in pleriſque alijs, imo in omnibus virtutibus ſimiliter aſſerere debemus; cum ad prudentiam pertineat quarumcumque virtutum medium præſtituere,

tuere, eaſque in actibus ſuis dirigere: *Ser. 49. in cant.* *diſcretio ſiquidem*, vt ait S.Bernardus, *omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem, & etiam perpetuitatem*. *Ibid.* Quare inter alias virtutes Sacerdotis Chriſtiani proprias hanc merito reponimus, quæ, vt idem S.Pater loquitur, eſt *cæterarum virtutum moderatrix, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix, qua ſublata, virtus non iam virtus ſed vitium erit*.

Eſt autem Prudentia, iuxta mentem *Hom. 12 in Prou.* S.Baſilij, *eorum quæ agenda vel non agenda ſunt cognitio, quam ſi quis recte ſectatus fuerit numquam ab officio, virtuteque diſcedet, nunquam vitiorum peſtem incurret*. *Rom. 8.* Non enim hic agimus de falſa & adulterina prudentia, quam Apoſtolus vocat, *prudentiam carnis*, quæ nihil niſi humanum & temporale ſpectat, proprijſque commodis, propriæ vtilitati & ambitioni iugiter inuigilat, atque ad id humanis medijs, humano artificio adnititur. Hæc ſiquidem prudentia *mors eſt*, vt idem Apoſtolus teſtatur, quia *Deo inimica eſt*.

Sed loquimur de vera illa & ſupernaturali prudentia quam Dominus Diſcipulis ſuis in Euangelio commendauit, & columbinæ ſimplicitati ſociandam eſſe præſcripſit; dicimuſque Chriſtiano Sacerdoti virtutem hanc eſſe maximè neceſſariam; tum ad ritè obeun-

obeunda officia miniſterij ſui propria, tum ad vitandos innumeros propè defectus, qui, niſi prudentia moderetur ea quæ agenda ſunt, ſæpiſſimè incurruntur.

Sanè cum ad Sacerdotem pertineat dijudicare inter lepram & lepram, inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam; cum ipſius ſit, vt in Concilio Tridentino dicitur, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere: Cum eius labia cuſtodiant ſcientiam, & ab eius ore legem requirant alij fideles; cum inquam ipſius ſit in doctrina fidei & morum, ſeparare pretioſum à vili, verum à falſo, corruptum à ſano, heterodoxum ab orthodoxo, iuſtum ab iniuſto; quis non videt illum niſi vera ſerenâque & Euangelica prudentia polleat, non modo ſibi ipſi, ſed & alijs pluribus periculoſiſſimè nociturum eſſe: Sicut è contra, affulgente illius virtutis luce, non modo ſecurè ac tuto ſibi conſulere, ſed & ſalubriter alijs prouidere, manumque adiutricem vtiliter porrigere poterit. *Deut.* 17

Vt igitur Sacerdos qui velut alter Dauid nunc ingreditur ad Dominum, nunc egreditur ad populum, in om-

nibus

nibus vijs ſuis prudenter agat, hunc diſcretionis ac prudentiæ ſpiritum à Deo in primis ſuppliciter expoſcat: neque enim à proprij ingenij viribus, doctrina, aut ſola humana experientia eruenda eſt prudentia illa, ſed ex ipſo fonte ſapientiæ in excelſis haurienda: *optaui*, inquit hominum ſa-
Sap. 7. pientiſſimus; *& datus eſt mihi ſenſus; inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.*

Tum virtutis huius impedimenta tollere à ſe ſtudeat, quorum præcipua ſunt, paſſio, præcipitatio, pertinacia: adde etiam vitia omnia, præſertim vero ea quæ temperantiæ aduerſantur: nam paſſio obſcurat mentem, præcipitatio impellit in deuia pleraque, & abrupta, nec vlla præuiſione vti ſinit, pertinacia obſtruit aditum bonis conſilijs, & peccatum quodcumque tenebras in animam offundit.
Lib. 2. offic. cap. 12. Vnde præclarè S. Ambroſius *in acquirendis*, inquit, *conſilijs, plurimum adiungit vita probitas, virtutum prærogatiua, frugalitatis gratia: quis enim in cœno fontem requirat? quis ex turbida aqua potum petat?*

Deinde legem ipſam diuinam tanquam omnium conſiliorum ſuorum regulam ſibi præſtituat, ad cuius amuſſim omnis eius cogitatio, deliberatio, & reſolutio ſemper & vbique diriga-

rigatur: iuxta illud Pſalmiſtæ; *Teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tua*; ſeruus ſiquidem prudens non erit niſi ſit fidelis; *neque eſt prudentia ſine iuſtitia*, vt ait S. Ambroſius, *& pietas in Deum initium intellectus*. Vnde poſtquam Scriptura dixit, *pete à Domino vt vias tuas dirigat*, addit, *& conſilia tua in ipſo permaneant*. Quare hoc primum in quibuſcumque conſilijs, conſultationibus, deliberationibus, ſemper & vbique ſpectet, vt nihil diuinæ legi aduerſetur; imo vt omnia diuinæ voluntati concordent, vtque in omnibus id fiat, quod magis Deo placitum & honorificum eſſe dignoſcetur.

Pſ. 11[illegible]

Lib. 1. de offic. cap. 27.

Tob. 4.

Poſtea eorum, quæ agenda vel omittenda ſunt, inquiſitionem, & conſiderationem ſedulam, & pro ratione negotij conuenientem adhibeat: *Sapiens enim* (vt ait S. Ambroſius) *vt loquatur, multa prius conſiderat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore, & in ſummis quidem rebus* (inquit S. Gregorius) *citum non oportet eſſe conſilium*: in quibus *ſua prudentia inniti non debet, nec eſſe ſapiens apud ſemetipſum*. Nuſquam enim maius errandi periculum, quam cum pertinaciter quis propriæ ſententiæ adhæret, *hac ſiquidem in proprio ſenſu obſtinatio veluti lepra quædam eſt*, vt loquitur S. Ber-

Lib. 1. offic. cap. 10.

Lib. 2. epiſt. 6.

nardus, *eo perniciosior quo magis occulta, & quanto plus abundat, tanto ſibi quiſque ſanior eſſe videtur: hæc illorum eſt qui ſequentes errorem ſuum, & obſtinati in eo, nullis volunt acquieſcere conſilijs; hi ſunt vnitatis diuiſores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes ſibi, & magni in oculis ſuis.* Quare ſicut leuitas cordis, & ad credulitatem nimia facilitas admittenda non eſt, ſic etiam ea quæ ad aliud extremum vergit, pertinacia, & in proprio ſenſu obſtinatio ſollicitè deuitanda.

Quando igitur aliqua ratio ſubeſt ſibi ipſi ſuæque prudentiæ diffidendi, in rebus præſertim grauibus & arduis, tunc eiuſdem prudentiæ erit, ſapientum ac piorum adhibere conſilia: *qui enim ſapiens eſt audit conſilia, & vbi*
Prou. 12 *multa conſilia, ſalus* Porro quoad hoc, *amici tibi ſint plurimi, conſiliarius autem*
Eccleſ. 6 *vnus de mille*: delectu ſiquidem opus eſt, nam *amicus fidelis medicamentum*
Eccleſ. 6 *vitæ & immortalitatis; qui autem metuunt Dominum, inuenient illum.*

Demum vbi conſultum ac deliberatum diu ſatiſque eſt, vbi conſultatione ac deliberatione, cognita & perſpecta eſt diuina voluntas; ad execu-
2.2. qu. tionem ſine vlla dilatione veniendum
51. art. eſt: docet enim S. Thomas ſolere
3. ad 3. interdum accidere, vt quod rectè iudica-

dicatum eſt differatur, vel negligenter agatur, vel inordinatè, & ideo poſt virtutem quæ eſt bene iudicatiua, neceſſaria eſt finalis virtus principalis, quæ eſt bene præceptiua.

Scientia ergo noſtra (inquit S. Gregorius) *creſcat ad fortitudinem, vt cum videt quid agendum ſit, hoc agere per mentis fortitudinem poſſit; ne timore trepidet, & pauore collapſa non valeat bona peragere, quæ ſentit.* *Hom. 19 in Ezechiel.*

CAPVT XIII.

De modeſtia quæ Chriſtianum Sacerdotem decet.

MOdeſtia quæ dicta eſt *à modo ſciendi quod decet*, virtus eſt, quæ ex optima quadam animi diſpoſitione ortum ducens, exteriorem hominis habitum, geſtum, vniuerſoſque illius actus debitè componit, itaut exinde proximus ædificari poſſit. *Ambroſius lib. 1. offic. c. 18.*

Quantum autem hæc modeſtiæ virtus Sacerdotem Chriſtianum deceat, vel hinc patet, quod Chriſtus Dominus in primo ad Diſcipulos ſuos ſermone, hanc præſertim illis commendet: *Vos* (inquit) *eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem* *Matt. 5.*

poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo ſunt: ſic luceat lux veſtra coram hominibus, &c. Quibus verbis eos oculis omnium expoſitos, & veluti mundo, Angelis, hominibus ſpectaculum factos, admonet ita ſe exterius gerere, & tanta modeſtia, ſermones, actuſque ſuos componere, vt qui eos viderint ad Deum glorificandum excitentur.

Quod autem ipſe Dominus eos verbo docuit, hoc etiam exemplo confirmauit; tanta ſiquidem in eius vultu, habitu, inceſſu, & quocumque actu effulſit modeſtia, vt ſimul admirationem, reuerentiam, amoremque in ſe omnium prouocaret; certè infen-
Luc.4. ſiſſimi æmulatores, *mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius: & maieſtas quædam diuinitatis occulta*, vt
In cap.9 obſeruat S. Hieronymus, *in eius facie*
Matth. *relucebat, quæ illum videntes, ex primo etiam trahere poterat aſpectu.*

Ac demum S. Apoſtolus tanquam fortiſſimum argumentum ad permo-
2. Cor. uendos Corinthios adhibere volens:
10. *Obſecro vos* (inquit) *per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti*. Has ſcilicet virtutes illis proponens, & in medium adducens, quæ maximè in Chriſto dum inter mortales ageret, eluxerant; & quibus ipſe omnibus hominibus, ſed

maxi-

maximè diſcipulis ac fidelibus ſuis ſeſe & amandum & reuerendum exhibuerat.

His Chriſti Domini verbis, exemplisque adiungere poſſumus Eccleſiæ vocem, quæ in Concilijs, Sacerdotes, Clericoſque ad hanc modeſtiæ virtutem excolendam non modo hortatur, ſed & præ cæteris Chriſtianis peculiari ratione obſtrictos eſſe declarat. In Concilio Moguntiaco edicitur, vt *Clerici à vulgari vita ſecluſi, non vagis oculis, non effreni lingua, aut petulanti fluidoque geſtu, tumidoque greſſu incedant, ſed pudorem & verecundiam mentis, ſimplici habitu, inceſſuque oſtendant.* *Cap. 1. de vita Cleric.* In Concilio Tridentino declaratur, *ſic decere omnino Clericos vitam moreſque ſuos omnes componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, alijſque omnibus rebus, nihil niſi graue, moderatum ac Religione plenum præ ſe ferant.* *Seſſ. 22. cap. 1. de ref.*

Huc facit id quod ſanctus Ambroſius refert libro primo officiorum, vbi
„ Clericos ſuos alloquens. Meminiſtis
„ (*inquit*) filij, quendam amicum
„ cum ſedulis ſe videretur commen-
„ dare officijs; hoc ſolo tamen à me
„ non receptum, quod geſtus illius
„ plurimum dedeceret. Alterum
„ quoque cum in Clero reperiſſem,
„ iuſſiſſe ne vnquam præiret mihi, quia
„ veluti quodam inſolentis inceſſus

„ verbere oculos feriret meos : nec „ fefellit ſententia , vterque enim ab „ Eccleſia receſſit , vt qualis inceſſu „ prodebatur, talis perfidia animi de„monſtraretur : nam alter Arianæ in„feſtationis tempore fidem deſe„ruit ; alter pecuniæ ſtudio , ne iudi„cium ſubiret , Sacerdotem ſe no„ſtrum negauit : lucebat in illorum „ inceſſu imago leuitatis, & ſpecies „ quædam ſcurrarum præcurſantium.

Cum igitur ex his tum authoritatibus , tum exemplis conſtet , modeſtiæ virtutem in Sacerdotis , & cuiuſuis alterius Eccleſiaſtici viri actibus quibuſcumque elucere debere : videndum eſt qua ratione id fieri poſſit , quod vtique melius ac certius non perſpiciemus , quam ſi ſedulo attendamus ad ea , quæ ſancti Patres de virtutis huius praxi edixerunt.

In primis circa modeſtiam in veſtitu à Sacerdote Chriſtiano ſeruandam, „ monet S. Baſilius: Quod ſicut pecu„liari quidam in veſtitu eſt ornatus „ militis , alius Senatoris , itemque „ alius aliorum , vnde vt plurimum „ de dignitate eorum capitur conie„ctura ; ſic decorum eſt hominem „ ſacris miniſterijs addictum , in ve„ſtitu etiam præcipuum aliquid à „ cæteris ſeruare, per quod ab Apo„ſtolo traditum modeſtum illum ornatum

In Regul. fuſ. diſp. qu. 22.

„ natum conſeruet: *Et alibi diſtinctius* „ *id explicans*: Tunica, *inquit*, ſeu ve„ ſtis talaris cinctu appreſſa ſit corpo„ ri; & aſtricta; cinctus neque mulie„ brem in modum ilia exuperet, ne„ que prælaxus tunicam fluxam effi„ ciat. Vnum hoc ſit ſolummodo ve„ ſtitus propoſitum, operimentum „ vt exiſtat, ab æſtus, frigoriſue iniu„ ria corpus defendens: *& alio in loco,* „ calceamentum nihil præ ſe ferat cu„ rioſitatis, minimoque ſumptu para„ ri poſſit, & ad neceſſarium modo „ vitæ vſum ſit ſatis. *Epiſt. 1. ad Gregor.* *qu. ſup. citato.*

„ Vilis tunica, *inquit S. Hieronymus*, „ contemptum ſæculi probet, ita„ duntaxat, ne animus tumeat, ne „ habitus, ſermoque diſſentiant: *Et* „ *alibi monet*, ornatum vt ſordes pari „ modo fugiendas eſſe, quia alterum „ delicias, alterum gloriam redolet. *Epiſt. 4. ad Ruſtic.*

Circa modeſtiam in geſtu, inceſſu, & alijs exterioribus actibus ſeruan„ dam, ſic loquitur S. Ambroſius: „ Eſt etiam in ipſo motu, geſtu, in„ ceſſu tenenda verecundia, habitus „ enim mentis in corporis ſtatu cerni„ tur: hinc homo cordis noſtri ab„ ſconditus aut leuior, aut iactantior, „ aut turbidior, aut contra grauior, „ & conſtantior, & purior, & matu„ rior æſtimatur. *Lib. 1. offic. cap. 18.*

„ Inceſſus (*inquit S. Baſilius*) eſſe *Epiſt. 1.*

 de-

ad Gregor. „debet nec ſegnis, ne animum diſſo-
„lutum declaret, nec rurſus inſolen-
„ter incitatus, ne concitatos impetus
Ibid. „animi ſignificet.

„ *Circa riſum & cachinnos idem mo-*
„*net*, illud præſertim cauendum
„eſſe ab ijs qui pietati ſtudent, ne in
„riſum præter modum effuſi ſint, quia
„riſus immoderatus, intemperan-
„tiam quandam mentis ſignificat, &
„in immanes cachinnos prorumpere,
„& corpore ſubſultare, nequaquam
„eſt eius qui animo compoſito ſit,
„& compote ſui: *certè Scriptura monet*,
„quod fatuus in riſu exaltat vocem
„ſuam, ſapiens autem vix tacitè
„ridebit.

Lib. 1. of ſic. cap. 18. „ *Circa ſermonem*: Ne modum lo-
„quendi prætergrediaris (*inquit S. Am-*
„*broſius*) ne quid indecorum ſermo
„tuus reſonet: ſpeculum enim men-
„tis plerumque in verbis refulget:
„ipſum itaque vocis ſonum libret mo-
„deſtia, nec cuiuſquam offendat au-
Orat. de moderat. ſeruand. in diſput. „rem vox fortior. *Et S. Gregorius Na-*
„*zianzenus monet*, parcè ac moderatè
„de rebus diuinis loquendum eſſe,
„aitque modeſtiæ contrarium eſſe in
„diuinis diſputationibus principatum
„ac magiſterium ſibi vendicare, ac
„ſupra alios ſupercilium attollere, vbi
„humilitas non ſolum gloriam habet,
„verum etiam ſecuritatem.

Et

Et S.Proſper varia modeſtiæ officia ſimul congerens dicit, *illius virtutis eſſe, quod reuerentiam Senioribus exhibemus, æquales germanicus honoramus, iunioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus; quod præſtamus Seniori ſilentium; quod non attollimus immoderatum in collocutionibus ſonum; quod riſui prorumpere in cachinnum non permittimus.* *Lib.3.de vit. contemplat. cap. 20.*

Sanctus Baſilius ſimiliter Aſcetam, ac potiori adhuc ratione Chriſtianum Sacerdotem de modeſtia in omnibus ſeruanda inſtruens: *Oportet*, inquit, *eſſe corpore quietum, non ſordidum, ſed honeſtum, voce moderatum, ſermone compoſitum, in cibo potuquè minime turbulentum, ſed ſedatum potius & grauem, cum maioribus natu ſilere, non eſſe ad riſum procliuem, oculos habere ad terram deiectos, animum vero ad cœlum erectum.* *Serm. de Aſceſi.*

Denique S.Auguſtinus, *In inceſſu*, inquit, *ſtatu, & in omnibus motibus & geſtibus nihil fiat quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod deceat ſanctitatem: oculi etſi incurrant in aliquam fœminarum, figantur in nulla: non ſit notabilis habitus, nec affectetur veſtibus placere, ſed moribus.* *In Regul.*

Cum vero in omnibus & vbique Chriſtianus Sacerdos modeſtiam ſeruare debeat, tum maximè quando in Eccleſia ſacris operatur, aut diuinis

intereſt officijs; aut etiam quando cum perſonis Laicis verſatur, tunc enim iuxta monitum Apoſtoli, *ſeipſum præbere debet exemplum bonorum operum in integritate, in grauitate, verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil malum habens dicere de nobis.*

Tit. 2.

CAPVT XIV.

De caſtitatis Sacerdotalis *cuſtodia.*

Lib. de Virgin. cap. 13. CAſtitas (inquit S. Auguſtinus) *eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Et huius quidem virtutis merito & gratia*, vt loquitur *Lib. 6. inſtit.* Caſſianus, *carnales homines ſpiritualibus Angelis imitatione conuerſationis æquantur; & per hanc adhuc in terra degentes habent (iuxta Apoſtolum,) municipatum in cœlis; quod depoſita corruptela carnali habituros ſanctos promittitur in futurum, hic iam in carne fragili poſſidentes.*

Differunt quidem inter ſe homo pudicus *Epiſt. 42.* *& Angelus*, (vt obſeruat S. Bernardus,) *ſed fœlicitate, non virtute, etſi enim huius caſtitas fœlicior, illius tamen fortior eſſe cognoſcitur.*

Cum

Cum igitur Sacerdos ſit Angelus Domini exercituum, & ad Angelica miniſteria, erga Deum obeunda deſtinatus, eius proinde dignitati ac officio maximè conuenit, vt in illa virtute quæ Angelorum propria eſt, excellat; vtque non modo caſtitatem, ſed quantum poterit caſtitatis ipſius perfectionem aſſequi toto voluntatis ſtudio enitatur.

Sanè in varijs Concilijs Eccleſia tulit, ſæpiuſque confirmauit legem de continentia perpetua ab ijs ſeruanda qui ſacro aliquo ordine initiati eſſent; nec modo legem, ſed & ſolemne illius aſſeruandæ votum ipſius ſacri ordinis ſuſceptioni adnexum eſſe voluit; idque ratione tum infinitæ Sanctitatis ipſius Chriſti Domini, cui in Sacrificio propiores aſſiſtunt; tum ſacrarum ac prope diuinarum functionum quas exercent, tum etiam ſollicitudinis ac curæ præcipuæ quam Eccleſiarum incolumitati, fideliumque ſaluti procurandæ impendere debent: *qui enim ſine vxore eſt* (inquit Apoſtolus) *ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* 1 *Cor.* 7

Vt ergo virtutem hanc integram, illibatamque inter tot vitæ præſentis illecebras cuſtodire queant Sacerdotes.

tes, alijque ſacri Eccleſiæ miniſtri, hæc, quæ ſequuntur monita è Sanctorum Patrum libris ſelecta plurimum conferre poterunt.

In primis auſcultandus eſt D. Hieronymus ſic loquens, *Ecce magnis in hac vita inimicorum circumdamur agminibus; hoſtium plena ſunt omnia; caro fragilis, & cinis futura poſt modicum, pugnat ſola cum pluribus; non quærit diabolus homines infideles, & eos qui foris ſunt; & quorum carnes* Rex *Aſſyrius in olla ſuccendit, de Eccleſia* Chriſti *rapere feſtinat, eſca eius ſecundum Abacuc electa ſunt; Iob ſubuertere cupit, & deuorato* Iuda *ad cribrandos Apoſtolos expetit poteſtatem*. Quare hoc primum ſtatuendum apud ſe nullam hic ſibi pollicendam eſſe ſecuritatem, nullam pacem ſperandam inter tot & tam acerbos hoſtes, ſibi proinde inuigilandum, & media omnia ſedulo adhibenda quibus virtutis illius theſaurum, quem in vaſis fictilibus circumferimus ſaluum & illæſum cuſtodire valeamus.

Epiſt. 22

Cum vero (vt ait Scriptura) *nemo poſſit eſſe continens niſi cui* Deus *dederit*; *ac* (vt monet Caſſianus) *impoſſibile ſit hominem ſuis vt ita dicam, pennis ad præcelſa huius virtutis præmium euolare, niſi eum gratia* Domini *de terra cœno euexerit*. Idcirco iuxta Sapientis monitum,

Sap. 8. Lib. 6. Inſtitut. Sup.

tum, *adeundus eſt Dominus & ex totis præcordijs deprecandus*, idque exemplo S. Apoſtoli, qui cum ſtimulum carnis perſentiret, & ab Angelo Sathanæ colaphiſaretur, ſæpius Dominum rogauit vt diſcederet ab eo. Ad orationem igitur recurrendum eſt, orationi inſiſtendum, ſiue tentationis tempore, vt Deus opem ferat, ſiue extra tempus tentationis, ne in tentationem intrare permittat. .

Quod ſi nihilominus vrgeat aduerſarius, eiuſque infeſtatio perſeueret, exequendum erit id quod ſuadet Apoſtolus, *Reſiſtite*, inquit, *Diabolo, & fugiet à vobis*, ipſi proinde circumeunti, & quem deuoret quærenti fortiter in fide reſiſtendum, ac præſertim, ipſius tentationis, v. g. ſuggeſtionis alicuius immundæ ſubrepentis initio, colligendæ vires, & repellendus hoſtis, & (vt loquitur S. Cyprianus) *primis diaboli titillationibus obuiandum eſt, nec coluber foueri debet, donec in ſerpentem formetur. Nolo*, inquit Sanctus Hieronymus, *ſinas cogitationem creſcere, nihil in te babylonium, nihil confuſionis adoleſcat, dum paruus eſt hoſtis interfice*. Et hoc eo fidelius fortiuſque præſtandum eſt, quo ſolius cogitationis peccata, eaque occultiſſima, *nonnunquam* (vt monet Concilium Tridentinum) *animum grauius ſauciant*, &

Serm de ieiunio & tētat.

Epiſt. 22

Seſſ. 14. cap. 5.

& periculoſiora ſunt ijs quæ in manifeſto admittuntur.

Verum optimus in hoc belli genere pugnandi & vincendi modus eſt fugere; fugere inquam, non modo mulierum colloquia, conuerſationes, aſpectus, aliaſque illecebras eiuſmodi & occaſiones, de quibus poſtea in quarta huius operis parte plenius agetur: ſed etiam fugere tentationem, pugnamque ipſam quantum fieri poteſt detrectare, non defectu animi, ſed ſtudio humilitatis: *contra libidinis impetum*, (inquit Sanctus Auguſtinus) *apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam; nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.*

Serm. 2. Domi nic. 25. poſt Trinit.

Si ergo perſpicias v.g. te aliquem librum legendo, aut tabellam vel quid ſimile inſpiciendo, aut aliquid audiendo, vel parua aliqua temporis mora otiando, vel alia qualibet de cauſa, tentationibus contra caſtitatem impeti, citò depone librum, auerte oculos, occlude aures, laborem intermiſſum repete, & quamcumque ſimilem occaſionem quantumuis paruam ſollicitè deuita. Sic caſtus Ioſeph (vt notat S.Ambroſius) *ne ipſa quidem verba diu paſſus eſt; contagium enim iudicauit ſi diutius moraretur.*

Lib. de S. Ioſeph.

Denique ſenſuum, præſertimque oculorum mortificatio, carniſque caſtiga-

ſtigatio per ieiunia, vigilias, aliaſque ſimiles corporis afflictationes voluntarie aſſumptas (de quibus proxime ſequenti capite aliquid dicetur) optimus & ſaluberrimus erit caſtitatis ſeruandæ modus. Nec omittendum illud, quod ſapiéter obſeruat D. Chryſoſtomus, *animum ipſum feriri ac commoueri, non impudica tantum, ſed etiam pudica mulieris oculo*. Proindeque auſcultandum ſapientis monitum, *Virginem ne conſpicias ne forte ſcandaliſeris in decore illius*. Et ſancti Hieronymi conſilium nequaquam negligendum, qui ad Nepotianum ſuum ſcribens, in cuiuſque perſona vnumquemque Eccleſiæ miniſtrum admonens; *Officij tui eſt*, inquit, *non ſolum oculos caſtos cuſtodire, ſed & linguam; nunquam de formis mulierum diſputes, &c.* *Lib. 6. de Sacerd. cap. 5.* *Eccl. 9.* *Epiſt. ad Nepot.*

Optimè S. Carolus Borromæus ad perſonam quandam Eccleſiaſticam in eminentiſſimo gradu conſtitutam ſcribens, cum præter alias virtutes in hoc ſanctiſſimo ſtatu caſtimoniam & quidem ſingularem omnino exigi dixiſſet: adiunxit. *Hanc vero nunquam aſſequeris, niſi te carnis maceratione afflictaueris, ſenſus omnes compreſſeris, otium vt peſtem fugeris; denique niſi in huius doni pulcherrimi conſeruationem, quod Deus tibi cuſtodiendum dedit, omnem animi ac mentis tuæ vim intenderis:* *Epiſt. ad Anar. Batter. Card.*

mi-

mirum eſt enim quam facilè ab ijs deperdatur, qui in eius conſeruationem non inuigilant, nec aliam ob cauſam S. Paulus Timotheum quem ab infantia educauerat, ſacraſque litteras edocuerat, qui corpore erat imbecillo & infirmo, qui ieiunijs & aqua potu carnis petulantiam fregerat, tam ſerio monet vt ſeipſum caſtum cuſtodiat.

CAPVT XV.

De mortificatione Sacerdoti Chriſtiano pernece ſſaria.

MOrtificationis nomine intelligimus virtutem illam, quæ nos peccato prauiſque eius affectibus ac diſpoſitionibus quibuſcumque facit emori, vt Deo eiuſque voluntati viuamus, de qua quidem morte S. Bernardus, *Vtinam*, inquit, *hac morte frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis; vt non ſentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta; vt non obſtupeſcam ad ſenſum libidinis, ad æſtum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ ſtimulos, ad angores ſollicitudinum & moleſtias curarum. Moriatur anima mea morte iuſtorum, vt nulla illam illaqueet fraus, nul-*

Ser. 52. in Cãt.

la

la oblectet iniquitas; bona mors, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius.

Eſt autem hæc mortificationis virtus duplex. vt docet D. Auguſtinus, vna quæ corpus, altera quæ animum ſpectat; & vtraque Chriſtiano Sacerdoti perneceſſaria, *omnis enim qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet*, vt monet Apoſtolus; quis autem ad pugnandum in agone huius vitæ magis expoſitus & obligatus quam is qui ex officio & munere ſuo, non tantum pro ſe, ſuaque ſalute, ſed & pro alijs, ac etiam pro ipſa Eccleſia colluctari debet, *aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia in cœleſtibus. Ideoque* idem Apoſtolus formam illius virtutis in ſeipſo Chriſti militibus imitandam proponens; *Ego igitur*, inquit, *ſic curro non quaſi in incertum, ſic pugno non quaſi aerem verberans, ſed castigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.*

In ſerm. de Sanctis ſer. I de S. Ioan. Baptiſt.

1. Cor. 9

Sup.

Certe quod de alia perſona dixit idem Apoſtolus, hoc nos longe potiori ratione de quocumque Sacerdote dicere poſſumus; Sacerdos *qui in delicijs eſt, viuens mortuus eſt; nomen eſt illi quod viuat, ſed mortuus eſt.*

1. Tim. 5.

Apoc. 3.

Neceſſe eſt ergo illi ſi vita Chriſti viuere velit, vt iuxta monitum eiuſdem

dem Apoſtoli mortificationem Chriſti Ieſu ſemper in corpore ſuo circumferat, vt mortificet membra ſua ſuper terram, idque non modo ad edomandas quaſcumque prauas habitudines, ſeu naturæ corruptæ inclinationes, aut ad propriam voluntatem diuinæ voluntati perfectius ſubijciendam, progreſſumque in virtutibus faciendum: ſed etiam, *vt adimpleat in corpore ſuo quæ deſunt paſſioni Chriſti*, idque non modo pro ſe, ſuorumque peccatorum ſatisfactione, ſed etiam pro alijs, ſicq; ipſi Chriſto cõformis efficiatur, certiſſimam inde arrham educens quod ſi compatitur, etiam conglorificabitur.

Coloſſ. 1

Porro quæcumque huius virtutis excitatio & praxis poteſt maioris facilitatis gratia ad hæc duo verba reduci. *abſtine, ſuſtine*; quæ olim ab Ethnico Philoſopho prolata, iſtic à nobis in ſenſu Chriſtiano accipientur, itaut Sacerdos mortificationis ſtudioſus in hiſce duobus verbis probè intellectis, & ad praxim fideliter redactis, huius virtutis ſummam reperire poſſit.

Primum igitur hoc apud ſe firmiter ſtatuat, vt quandocumq; agetur non ſolum de peccato quocunq; vitando, ſed etiam de opere aliquo virtutis exercẽdo, v.g. de miniſterio aliquo Eccleſiaſtico exequendo, de pœnitente iuuando, de paupere inſtruendo, de Sacramẽ-

to aliquo miniſtrando: demum quoties aliquid peragendum occurrit, quod Deo gratum & acceptum eſſe cognoſcitur, & aliqua oblectationis, ſeu propriæ commoditatis aut vtilitatis illecebra obſtare & auertere perſpiciatur, tunc libentiſſimè ab illa quacumque vtilitate aut commoditate ſeu oblectatione abſtinendum eſt, vt opus illud bonum ſedulò ac fideliter perficiatur, idque amore illius qui vt noſtræ ſalutis opus abſolueret, immenſis cœli gaudijs & voluptatibus per tot annos quibus inter mortales vixit, ſeipſum abdicauit.

Et hoc eſt quod ipſemet Chriſtus Dominus in Euangelio ſæpius diſcipulos ſuos edocuit, cum ijs qui ſe ſubſequi vellent, abrenuntiationem omnium quæ ab ipſis poſſiderentur, abnegationemque ſuiipſius propoſuit, quæ abrenuntiatio alias in ſcripturis ablactationis nomine, aut etiam expoliationis deſignatur.

Certe in Concilio Turonenſi tertio edicitur, *Dei Sacerdotes abſtinere debere ab omnibus quæcumque ad aurium & oculorum pertinent illecebras, vnde animi vigor emolliri poſſe credatur.* *An. Domin. 811 can. 7.*

Quamuis autem ea quibus interdum abſtinendum erit parua videantur, ipſa tamen virtus per quam abſtinetur non eſt exigui apud Deum meriti. Certe

in

in ſcripturis laudatur Dauid, quod in ardentiſſima ſiti, aquam ſibi è ciſterna Bethlemica allatam bibere noluerit, eamque in terram effuderit; quam idcirco ipſe dicitur libaſſe Domino: vt oſtendatur, calicem aquæ frigidæ non modo in eleemoſynam porrectum, ſed & propter Deum abſtinendi gratia effuſum, mercede ſua coram Deo priuandum non eſſe.

Secundum, ad quod mortificationis praxim reduci diximus, eſt vt quandocumque ſimiliter agitur de peccato quocumque vitando, vel virtutis actu exercendo, aut quouis opere perficiendo quod Deo acceptum eſſe credatur; & idcirco aliquod corporis incommodum, aut animi tædium perpeti neceſſarium eſt, v. g. ſi vt ægroto ſpirituale aliquod ſubſidium aut ſolatium præſtetur, nox aliqua inſomnis ducenda ſit, aut incommodum aliquod fœtoris vel frigoris ſubeundum; ſi ad confeſſiones in Xenodochijs, aut carceribus excipiendas, aut rudes & ignaros in pœnitentiæ Sacramento iuuandos, aut diffidentes inter ſe reconciliandos, diſcordiaſque ſopiendas & ſedandas iras, alicuius opera deſideretur; variæque occurrant difficultates, animique moleſtiæ in his charitatis operibus tolerandæ, tunc virtutis illius de qua loquimur

par-

partes erunt, in his & ſimilibus quibuſuis caſibus, ad ſuſtinenda eiuſmodi & alia quæcumque acerba & moleſta, obfirmare animum; & non libenter modo; ſed etiam gaudenter aliquid pro illo perpeti, qui tot & tantos dolores noſtri cauſa ſuſcipere & experiri voluit.

Neque ſolum quando inſtat peccatum aliquod deuitandum, aut bonum opus exercendum id præſtare conuenit, ſed etiam huius virtutis exercendæ gratia expedit quandoque plurimorum Sanctorum exemplo, quibuſdam corporis afflictionibus ſponte ſuſceptis exerceri, tum vt ad vim aliquam nobis ipſis inferendam cum opus fuerit aſſueſcamus, memores illius effati, quoniam *regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*; tum etiam vt eo magis conformes efficiamur Chriſto Domino qui fuit *vir dolorum, ac ſciens infirmitatem*; ſiquidem, *quos Deus præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*. *Matth.* 11. *Iſa.* 53. *Rom.* 8.

CA-

CAPVT XVI.

De patientiæ virtute à Chriſtiano Sacerdote peculiari ſtudio conſectanda.

SIcut mortificatio ſpōte ſuſceptas, ſic patientia ab alijs illatas aut diuinitùs immiſſas animi corporiſue moleſtias æquo animo tolerare docet; quæquidem cuilibet Sacerdoti piè ac fideliter cunctas muneris ſibi impoſiti partes implere volenti nuſquam deerunt, *Omnes enim* (vt monet Apoſtolus) *qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*, ſuper quæ verba appoſitè S. Auguſtinus; *Si non pateris*, inquit, *pro Chriſto vllam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Chriſto piè viuere*. Et ipſemet Chriſtus Dominus; *Non eſt*, inquit, *ſeruus maior domino ſuo, ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur*, (&) *Amen dico vobis plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contriſtabimini*, &, *in mundo preſſuram habebitis*.

2. Tim. cap. 3. *In Pſal. 55.* *Ioan. 15*

En conditio eorum qui ſe veros Chriſti diſcipulos profiteri volunt, qui ſi officio ſuo debitè fungantur, ad calum-

lumnias, probra, inſectationes, perſecutiones, & alia quæuis aduerſa æquo animo toleranda paratos ſe exhibere debent: *quare* inquit S. Hieronymus, *& inuenies ſingulos ſanctos aduerſa perpeſſos, ſolus Salomon in delicijs fuit, & ideo forſitan corruit.* *Epiſt. ad Euſtoch. de cuſtod. Virgin.*

Et quid mirum ſi mundus illis aduerſaturus eſt, ſi eos odio proſequuturus, qui eius moribus contraire, eius axiomata conuellere, & vel ipſo renitente, homines ad eius abijciendas voluptates, diuitias parui faciendas, honores conculcandos continuo excitare & compellere debent? quid mirum ſi dæmon ſuſcepti aduerſus Eccleſiam belli pondus in eos vertat, & vrgeat, ipſoſque acerbiore ira impetat, quos pro ipſius Chriſti caſtris ſtare, & in eius Eccleſia excubias agere, reliquoſque fideles ab eius inſidijs inſultibuſque protegere conſpicit.

Quare merito ſibi dictum illud Apoſtoli applicare debent; *patientia vobis neceſſaria eſt vt voluntatem Dei facientes reportetis repromiſſionem*; neceſſaria, inquam, quia illa virtute deſtituti, velut milites abiecto clypeo, depoſitiſque armis, hoſtium quorumcumque inſultibus patent. Certe Diſcipulos ſuos Chriſtus alloquebatur cum dixit, *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Quæ verba expendens Illuſtriſſimus *Heb. 10. Luc. 21.*

Philot. part. 3. cap. 3. ſimus Epiſcopus Gebennenſis, *Magnum* (inquit) *bonum hoc eſt, animam ſuam poſſidere, & quo perfectior erit patiẽtia, eo etiam perfectior erit poſſeſſio ipſius animæ;* quæ vtiq; eſt margarita illa pretioſa, cuius cuſtodię pręcipua cura inuigilandum eſt, pro qua nullā condignam commutationem dari poſſe teſtatur Chriſtus Dominus; neq; prodeſſe, quod quis vniuerſum mundum lucretur, ſi animæ ſuæ detrimentum patiatur.

Heb.12. *Igitur per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.*

Atque in primis iuxta præfati præſulis monitum, nullæ ipſi patientiæ limites præfigendi ſunt, ſed extendere ſe debet ad toleranda omnia, & quæcumque aduerſa, quæ Deus immittere aut permittere voluerit. *In omnibus,* inquit Apoſtolus, *exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, &c.* Siue igitur tribulatio iuncta ſit honori vel ignominiæ; ſiue aliquid tolerandum à pijs vel ab impijs, propinquis aut alienis, æquè patienter tolerari debet; imò quo acerbior eſt ipſa tribulatio, eo patientia nobilior & perfectior.

2.Cor.6

Præ-

Prætereà non ſolum aduerſa quæcumque, ſed & illorum acceſſoria omnia æquo animo ferre conuenit; ſi v.g. Deus morbum aliquem immittat, non modo ipſe morbus, ſed & eius incommoda quæcumque patienter ſuſtinenda ſunt; vt puta quod in tali loco, vbi omnium penuria ſit, quod inter tales perſonas, quibus oneri eſſe oporteat: & eodem modo de alijs quibuſcumq: aduerſis ſentiendum eſt; neque enim ſine peculiari diuinæ prouidentiæ nutu iſta euenire credenda ſunt: *Examinandis ſiquidem nobis*, vt loquitur Sanctus Cyprianus, *atque explorandis diuerſi importantur labores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur.* *ſer.3. de bon.pat.*

Addamus & illud, quod qui verè patiens eſt, nuſquam conqueritur, *nec*, vt ait S. Baſilius, *patientiæ ſuæ retributionem quærit ab homine*; adeoque nec plangi ab alijs appetit; & ſi cauſa morbi, vel doloris ſit aperienda, id nudè ac ſimpliciter eatenus facit, quatenus ad inquirendum aut adhibendū remedium requiritur. *in admonit. ad fil ſpirit.*

Quod ſi Sacerdos perſequutionem aliquam patiatur propter iuſtitiam, puta quia muneri ſuo deeſſe non vult; quia peccatoribus neſcit adulari, aut eorum delictis conniuere; tantum abeſt vt idcircò à tramite patientiæ, deflectere debeat, quin potius ad eam

N exer-

exercendam occaſio eiuſmodi maximè opportuna ſit. *Hæc eſt enim gratia* (vt edixit Apoſtolorum Princeps) *ſi*
1.Petr.2 *propter Dei conſcientiam, ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte: quæ enim eſt gloria, ſi peccantes & colaphiſati ſuffertis; ſed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum: in hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, qui cum malediceretur non maledicebat, &c.*

Quibus quidem poſtremis verbis ſanctus Apoſtolus ſaluberrimum & efficaciſſimum ad patientiæ virtutem medium ſuggerit, ſcilicet ſedulam &
ſup. attentã Paſſionis Chriſti Domini conſiderationem: ſi enim vt monet præfatus Gebennenſis Antiſtes ipſum diuinum Saluatorem calumnijs impetitum, vulneribus laceratum, doloribus immerſum, triſtitia, tædio, angore, ad mortem vſque oppreſſum, oculis fidei conſpiciamus, agnoſcemus procul dubio mala noſtra quæcumque illa ſint, neque quantitate, non qualitate eius paſsionibus vllo modo cõparari, nedum æquiparari poſse; noſque nullatenus vnquam eius amore toleraturos, vel minimam partem eorum, quæ ille amore noſtri ferre,

ac

ac perpeti dignatus eſt.

Pro concluſione demum audiamus, & animis noſtris infigamus hoc ſanctiſſimum Apoſtoli monitum. *Recogitate*, inquit, *eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes: nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes, & obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur, dicens, Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit, & omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.*

CAPVT XVII.

De paupertatis affectu, qui Chriſtiano Sacerdoti maxime competit.

QVantum alienus eſſe debeat Chriſti Sacerdos, & quiuis ſacris eius miniſterijs aſcriptus, à cupiditate diuitiarum, & quo ſtudio, & affectu

paupertatem à Chriſto Domino in Euangelijs laudatam aſſectari, ſatis ſuperque euincunt ea quæ protulit beatus Apoſtolus ad chariſſimum ſibi Timotheum ſcribens, ac in eius perſona quoſuis ſacerdotes admonens.

1. *Tim.* 6. *Nihil* (inquit) *intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid poſſumus: Habentes autem alimẽta, & quibus tegamur, his contenti ſimus, nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem: Radix enim omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem ò homo Dei hæc fuge: ſectare vero iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.*

Quibus quidem verbis multa, & præclara, tum ad paupertatis illius ſtudium excitandum, vitijque oppoſiti radices quaſuis extirpandas, argumenta; tum ad eiuſdem virtutis praxim debitè conſectandam documenta proponit.

Nihil (inquit) *intulimus in hunc mũdum*, in quo ſcilicet *tanquam aduenæ*
1. *Pet.* 2. *& peregrini* verſamur, cuius proinde bonis tranſeundo vti, non inhærendo
1. *Cor.* 7 frui oportet; imo *qui vtuntur tanquam non*

non vtantur; præterit enim figura huius mundi.

Nihil etiam hinc auferre poſſumus: Homo enim cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Sed relinquet alienis diuitias ſuas. imo ſæpe, *theſaurizat, & ignorat cui congregat.* Pſal. 48 Pſal. 38

Quare habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſimus, paucis ſiquidem natura contenta eſt, paucioribus adhuc gratia; *neque enim in abundantia hominis vita eius, & melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas*: & quod ſpectat ad ea quæ vitæ ſuſtinendæ neceſſaria ſunt, *ſcit pater cœleſtis, quia his omnibus indigemus,* & ſi ex noſtra parte modica aliqua cura adhibẽda eſt, abſit ſollicitudo; *nolite ſolliciti eſſe* (inquit Chriſtus Dominus *argumentum ſiquidem vera in animo paupertatis* (vt loquitur Albertus Magnus) *eſt nullam ſollicitudinem habere de tranſitorijs, ſed ſimpliciter & ſecure ſe Deo committere*. *Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa nociua, quæ mergunt homines in interitum*: tremenda prorſus verba, quæ vix credi poſſent, niſi ab ipſo veritatis ſpiritu aſſerta forẽt: non enim dixit, qui volunt aliena rapere, aut vijs minus rectis & æquis Luc. 12. Pſal. 36 Matt. 8. in Parad. diſ. Anim, cap. 5

ad opes peruenire: ſed qui volunt quibuslibet modis etiam licitis diuites fieri: v.g. Sacerdotes alijque Clerici, qui beneficia ambiunt, qui bonis Eccleſiaſticis diteſcere; cupiunt, hi maximè ſibi cauere debent ne incidant in tentationem & in laqueum diaboli, & in deſideria illa nociua quæ mergunt homines in interitum.

Radix enim omnium malorum cupiditas, præſertim in Eccleſia, Radix omnium inordinationum, omnium corruptelarum, omnium ſcandalorum, omnium abominationum & deſolationum: hinc Simoniarum & confidentiarum lues, hinc ſacramentorum indigna contrectatio, & indignior diſpenſatio; hinc vniuerſi prope rerum ſacrarum abuſus. Euelle à Sacerdotibus, & ab vniuerſo clero cupiditatem, & omnium illorum malorum & quorumcumque aliorum radicem abſtuliſti.

Ep.103. *Quare ò homo Dei hæc fuge*; *ſi ſapis* (inquit S. Bernardus) *ſi habes cor, deſine ea ſequi, quæ & aſſequi miſerum eſt; beatus vtique qui poſt illa non abijt, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant*; beatus verè *qui poſt* Eccl, 31 *aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia theſauris; quis eſt hic & laudabimus eum?*

Vt vero talis euadas ò homo Dei, ò Sa-

Sacerdos & miniſter Chriſti, vt hanc cupiditatem radicitùs ex animo tuo euellas; *ſectare iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem*: ſectare virtutes illas omnes, quæ virum Eccleſiaſticum decent: *Veræ ſiquidem* (vt loquitur S. Bernardus) *diuitiæ ſunt, non opes, ſed virtutes, quas ſecum conſcientia portat, vt in æternum dites fiat. Illæ proinde diuitiæ ambiendæ ſunt*, inquit S. Proſper, *quæ nos ornare pariter poſſint, & munire; quas nec acquirere poſſumus inuiti, nec perdere; quæ nos contra hoſtiles impetus armant, à mũdo diſterminant, Deo commendant, ditant animas noſtras atque nobilitant, nobiſcum ſunt, intra nos ſunt.* *Serm. 4. in Ad. uent.* *Li. 2. de vit. Act. c. 13*

Et hoc quidem virtutum ſtudium ſi feruens ſit, multum confert ad eiuſmodi cupiditatem euellendam ex animo, ſi iam radices aliquas miſit; aut ad eundem animum aduerſus illam præmuniendum, ſi nondum ſit eius laqueis irretitus: *Auaritia enim* (vt docet ſanctus Gregorius) *non ſolet euenire illis qui viriliter currunt in via Domini, quibus dicitur, viriliter agite, & confortetur cor veſtrum: ſed his maximè qui effœminato greſſu gradientes, per blandimenta ſæculi reſoluuntur.* *Lib. 20. mor. c. 16.*

Neque verò ſatis eſt Chriſtiano Sacerdoti non appetere opes, ſed & eaſdem generoſo animo contemnere

debet, exemplo primorum illorum Christianorum, qui non ad manus, ſed ad pedes Apoſtolorum pecuniam ex venditis bonis collectam afferebant; *Vt ſcilicet oſtenderent*, inquit S. Hieronymus, *diuitias eſſe calcandas*. Ideoque lōgè pluris æſtimare debet cum Chriſto pauperem eſſe, quam quorumcūque mundi theſaurorum poſſeſſorem; cum Chriſto inquam, *qui*, vt loquitur Apoſtolus, *cum eſſet diues propter nos egenus factus eſt*; qui de ſeipſo loquens, *vulpes*, inquit, *foueas habent & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*.

Epiſt. ad Demetriad.

2. Cor. 8

Vt igitur hanc Chriſti paupertatem toto affectu conſectetur, ſæpè animo recolat & attentè perpendat verba illa, quæ ſolemniter protulit cum in clerum admiſſus eſt (*Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*) neque enim ioco, aut figurato aliquo loquendi modo, hæc dicenda ipſi Eccleſia præſcripſit; ſed vt talem ſe ore profiteretur, qualis corde animoque eſſe deberet. Proindeque cum Dominum in partem & portionem ſuam elegerit, nullæ aliæ ipſi extra Dominum partes aut portiones iam quærendæ ſunt, *quia* vt ait ſanctus Hieronymus, *cum iſtis Dominus pars eius fieri non dignabitur*. Et certè *quid vltra quærit, cui omnia vnus conditor ſit?* vt rectè loquitur S. Prosper

Ep. ad Nepot.

Li. 2. de vit. act. c. 16

ſpes, *aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit?*

Sit ergo pauper ſpiritu, & ideò, vt monet Gebennenſis Antiſtes, *neque diuitias in animo, nec animum in diuitijs habeat*: & ſi quidem illæ affluant, cor non apponat, imò eas ſibi tanquam Chriſti œconomo diuinæ prouidentiæ nutu creditas agnoſcat, ſtrictamque de earumdem diſpenſatione rationem, vſque ad vltimum quadrantem coram ſupremo iudice reddendã eſſe cogitet. Quare illas non tanquam ſuas, ſed tanquam Chriſti opes exiſtimet, & quæ ad proprium vſum neceſſaria ſunt, quaſi quotidianum panem, quotidianamque eleemoſynam ex illius clementiſsimi Domini manu ſingulis diebus accipiat; neceſſaria, inquam, ſiue quoad victum, ſiue quoad veſtitum & ſupellectilem domeſticam, quæ quidem omnia in Chriſti Sacerdote & miniſtro ipſiuſmet Chriſti paupertatem ſpirare, & præ ſe ferre debent: quæ verò ſuperſunt, in opera charitatis, & Religionis fideliter impendat, prout ipſi Domino gratum magis & acceptum eſſe perſpiciet. *Philot. p.3.c.14*

Cæterum vt verè pauper ſit ſpiritu, pauperes amet, amor enim amantes aut inuenit pares, aut facit: & ſi affectu ſincero diligit pauperes, ipſorum

debet, exemplo primorum illorum Chriſtianorum, qui non ad manus, ſed ad pedes Apoſtolorum pecuniam ex venditis bonis collectam afferebant; *Vt ſcilicet oſtenderent*, inquit S. Hieronymus, *diuitias eſse calcandas*. Ideoque lõgè pluris æſtimare debet cum Chriſto pauperem eſſe, quam quorumcũque mundi theſaurorum poſſeſſorem; cum Chriſto inquam, *qui*, vt loquitur Apoſtolus, *cum eſſet diues propter nos egenus factus eſt*; qui de ſeipſo loquens, *vulpes*, inquit, *foueas habent & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*.

Epiſt. ad Demetriad.

2. Cor. 8

Vt igitur hanc Chriſti paupertatem toto affectu conſectetur, ſæpè animo recolat & attentè perpendat verba illa, quæ ſolemniter protulit cum in clerum admiſſus eſt (*Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*) neque enim ioco, aut figurato aliquo loquendi modo, hæc dicenda ipſi Eccleſia præſcripſit; ſed vt talem ſe ore profiteretur, qualis corde animoque eſſe deberet. Proindeque cum Dominum in partem & portionem ſuam elegerit, nullæ aliæ ipſi extra Dominum partes aut portiones iam quærendæ ſunt, *quia* vt ait ſanctus Hieronymus, *cum iſtis Dominus pars eius fieri non dignabitur*. Et certè *quid vltra quærit, cui omnia ſuus conditor fit?* vt rectè loquitur S. Proſper

Ep. ad Nepot.

Li. 2. de vit. act. c. 16

ſper ? *aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit?*

Sit ergo pauper ſpiritu, & ideò, vt monet Gebennenſis Antiſtes, *neque diuitias in animo, nec animum in diuitijs habeat*: & ſi quidem illæ affluant, cor non apponat, imò eas ſibi tanquam Chriſti œconomo diuinæ prouidentiæ nutu creditas agnoſcat, ſtrictamque de earumdem diſpenſatione rationem, vſque ad vltimum quadrantem coram ſupremo iudice reddendã eſſe cogitet. Quare illas non tanquam ſuas, ſed tanquam Chriſti opes exiſtimet, & quæ ad proprium vſum neceſſaria ſunt, quaſi quotidianum panem, quotidianamque eleemoſynam ex illius clementiſsimi Domini manu ſingulis diebus accipiat; neceſſaria, inquam, ſiue quoad victum, ſiue quoad veſtitum & ſupellectilem domeſticam, quæ quidem omnia in Chriſti Sacerdote & miniſtro ipſiuſmet Chriſti paupertatem ſpirare, & præ ſe ferre debent: quæ verò ſuperſunt, in opera charitatis, & Religionis fideliter impendat, prout ipſi Domino gratum magis & acceptum eſſe perſpiciet. *Philot. p.3.c.14*

Cæterum vt verè pauper ſit ſpiritu, pauperes amet, amor enim amantes aut inuenit pares, aut facit: & ſi affectu ſincero diligit pauperes, ipſorum

conſortium conuerſationemque non reſugiat, imò potius expetat, eos libenter inuiſat, aut inuiſentes ſe amanter excipiat, cum ipſis benignè colloquatur, eoſque ſiue beneficio, ſiue conſilio, ſiue alia quacumque ratione iuuare & ſolari ſtudeat. Imò ſi ſeſe offerat occaſio, ipſis pauperibus inſeruire & miniſtrare non dedignetur, Chriſtumque in illis agnoſcens, libenter infra illos ſe demittat.

Quod ſi aliquando ipſe iacturam aliquam bonorum incurrat, ſi incendijs, eluuionibus, bellorum iniuria, aut quacumque alia de cauſa damnum incidat; hoc non modo patienter, ſed & gaudenter accipiat, illoſque imitetur, *qui* vt teſtatur Apoſtolus, *rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt, ſcientes ſe habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* *Heb.* 10.

Porro quæ huc vſque dicta ſunt, quamuis eos præſertim Sacerdotes ſpectet qui copioſam habent huius mundi ſubſtantiam, non tamen ideo negligenda ſunt illis, quibus res domeſtica tenuis & exigua eſt: cauere enim debent ne alicuius neceſsitatis obtentu radicem illam omnium malorum cupiditatem in animo ſuo foueant: *Ne* (quod pluribus contingere teſtatur Caſſianus) *cupiditatis illius vitiũ, quod erga res pretioſas exercere non poſ-*

poſſunt, circa viles materias retineant. Ne nimis anxiè quærant ea quibus opus habent, ne auidiùs oblata accipiant, ne diligant munera, aut ſequantur retributiones; ſed etſi interdum aliquid deſit, ſi minus commodè ſe habeant, in hoc gaudeant quod Chriſto Domino ſimiles magis efficiantur, quod eius ſâctę familiæ œconomiā tenuē & pauperem affectari queant, ſeque beatos æſtiment, quod ab innumeris curis & ſollitudinibus liberi exiſtant, ſicque expeditiores ac promptiores ad miniſterium ſuum exequendum eſſe poſſint.

CAPVT XVIII.

De humilitate, quam peculiari cura Chriſtianus Sacerdos affectari debet.

OMnibus quidem Chriſti fidelibus neceſſaria eſt humilitas: cum, (vt docet S.Hieronymus,) *ſit prima Chriſtianorum virtus præcipuaque conſeruatrix, & quaſi cuſtos aliarum virtutum:* Sed maximè, præ cunctis alijs, *Ep. ad Celam.*

requiritur in Chriſtiano Sacerdote, tum ob dignitatem ſtatus, *quanto enim quis maior eſt*; vt monet Sapiens, *tanto magis humiliare ſe debet.* Tum ob ſublimitatem virtutum, quæ in eo reperiri debent: *nam qui cogitat magnam fabricam conſtruere celſitudinis*, inquit D. Auguſtinus, *prius de fundamento cogitet humilitatis; & quantum quiſque vult imponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum.* Tum denique, quia hanc præſertim virtutem diſcipulis ſuis, cunctiſque proinde Sacerdotibus, Chriſtus Dominus commendauit, ac in ſe præ alijs imitandam propoſuit: etenim non alios, quam diſcipulos ſuos alloquebatur, quando propoſito ante oculos eorum paruulo, dixit: *Amen dico vobis niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cælorum; quicumque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum.* Et rurſus alias, *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur: vos autem non ſic, ſed quicumque voluerit eſſe maior inter vos ſit veſter miniſter, & qui præceſſor eſt, veluti miniſtrator*, &c. *ecce ego in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat.*

Eccl. 3. *Ser. 10. de verb. Dom. 3* *Mat. 18* *Luc. 22*

Denique ſeipſum proponens tanquam perfectum huius virtutis exemplar,

plar, *Diſcite*, inquit, *à me quia mitis ſũ*, Mat. 11.
& humilis corde. A me, inquit, diſcite
vt obſeruat S. Bern. *non ad doctrinam*
Patriarcharum, non ad Prophetarum li- epiſt 42.
bros ego vos mitto: ſed me vobis exẽplum, ad Hẽr.
me formam humilitatis exhibeo. Seuen.

Et hæc Chriſti Domini verba perpendens ſanctus Auguſtinus, *Huccine*
redacti ſunt, inquit, *omnes theſauri ſa-* Li. de
pientiæ, & ſcientiæ abſconditi in te, vt hoc ſanct.
pro magno diſcamus à te, quoniam mitis virg.
es & humilis corde? itane magnum eſt eſ- c. 35.
ſe paruum, vt niſi à te qui tam magnus es fieret, diſci omnino non poſſet.

Iam quod ſpectat ad huius virtutis
praxim, obſeruanda eſt sãcti Ambroſii Li. 7. ep.
doctrina; *multi habent humilitatis ſpe-* 42. ad
ciem, qui, vt ait S. ille Pater, *virtutem* Cõſtãt.
non habent: multi eam foris prædicant, & intus impugnant; ad fucum præferunt, ad veritatem abiurant, ad gratiam negant: eſt enim qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo: & eſt qui nimium ſe ſubmittit, ab humilitate multa.

Quare ſapienter monet ſanctus Hie- Ep. ad
ronymus, *Humilitas illa conſectanda* Celant.
eſt non quæ oſtenditur, atque ſimulatur geſtis corporis, aut fracta voce verborum, ſed quæ puro cordis affectu exprimitur: aliud eſt enim virtutem habere, aliud virtutis ſimilitudinem: aliud rerum umbrã ſequi, aliud veritatem, multo deformior

eſt

eſt illa ſuperbia, quæ ſub quibuſdam humilitatis ſignis latet, neſcio enim quomodo turpiora ſunt vitia, quæ virtutum ſpecie celantur.

Porrò vt in huius virtutis praxi aliquis ordo ſeruetur: Chriſti Sacerdos in primis ſummam erga Deum, quoties aliqua religionis officia perſoluenda ipſi ſunt, tenere debet humilitatem: qua & infinitam Dei maieſtatem reueréatur, & ſeipſum coram eo quam profundiſſimè demittat, dicatque cum

Pſal.38 Propheta, *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te,* vel cum alio, *loquar ad*

Gen.27. *Dominum meum cum ſim puluis & cinis.*

Præterea vt omnes animæ ſuæ facultates, præſertimque voluntatem ſuam diuinę voluntati quam perfectiſſimè ſubmittat: ita vt in omnibus & ſingulis actibus ſuis, non niſi cum

Ier. de ſub iect. volunt. abſolutiſſima illius ſupremi dominij dependentia, operetur: *Totius enim humilitatis ſumma* (vt loquitur ſanctus Bernardus) *in eo videtur conſiſtere, ſi voluntas noſtra diuina, vt dignum eſt, ſubiecta ſit voluntati, ſicut ait Propheta, nonne Deo ſubiecta erit anima mea.* Quod tamen obſtare non debet quin iuxta monitum Chriſti Domini, cum fecerit omnia quæ præcepta ſunt, humiliter & ex corde dicat, *ſeruus inu-*

Luc.17. *tilis ſum, quod debui facere, hoc feci.*

Erga

Erga ſeipſum eandem humilitatis virtutem in praxim rediget, ſi non modo ab omni, & quacunque vanitatis aura diligentiſsimè ſibi caueat, ſed etiam *veriſſima ſui agnitione* (vt loquitur Sanctus Bernardus) *ſibi ipſi vileſcat*: ſi vel minima cuiuſcumque miniſterij Eccleſiaſtici functione, minimo officio & obſequio, nimis honoratum ſe arbitretur; tantum abeſt vt eiuſmodi miniſteria tanquam infra ſe poſita deſpiciat: ſi non quas per diuinam gratiam virtutis actiones exercuit, ſed in quot & quantos defectus eandem gratiam in vacuum recipiendo incurrit, ſibi frequenter ob oculos ponat: demùm ſi ratione præteritorum delictorum, quibus toties & tam grauiter diuinam læſit maieſtatem, ſe omni & quocumque bono indignum, omni & quocumque malo dignum, &, vt loquitur ſanctus Bernardus, *dignum ſe omni dedecore & contemptu, dignum omni extremitate, & inferioritate, dignum etiam ſupplicijs & plagis, ex ſincero cordis affectu, coram Deo agnoſcat, & fateatur*: proindeque ſiue ex illo, ſiue alio ſimili motiuo omnes & quaſcumque humiliationes, abiectionesq; non modo æquanimiter, ſed & libenter, amanterque ſuſcipiat, & amplectatur; dicatque cum Apoſtolo, *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs,*

Tract de grad. hu mil.

ſer. 42. in cant.

1. Cor. 12.

ſer. 26 in Cant. *in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto; verus ſiquidem humilis,* vt docet S. Bernardus, *vilis vult reputari, non humilis prædicari, & gaudet de contemptu ſui.*

Luc. 14. Erga proximum denique exercebit humilitatem, ſi iuxta placitum Chriſti Domini, *in nouiſſimo ſemper loco recumbat*, ſaltem ſecundum affectum, & præparationem voluntatis. Si iuxta S. Apoſtoli monitum *omnes ſibi ſuperiores arbitretur* : idque ſumma ratione, cũ propria vitia & peccata notiſſima ſibi ſint, aliorum non item. Vnde S. Chryſoſtomus ſapienter & appoſitè dixit, *honorem à nobis exhibendum eſse, non eis tantum qui ætate nobis ſunt maiores, vel etiam æquales; non eſt enim humilitas aliquid officij neceſſitate præſtare: vera autem eſt, quando concedimus ijs qui nobis videntur eſse minores, & eos veneramur qui nobis minus digni videntur. Quod ſi rectè ſapimus, nullos etiam nobis minores eſse arbitrabimur, ſed nos excelli ab omnibus hominibus æſtimabimus: & hoc dico non de nobis, qui innumeris immerſi ſumus peccatis, ſed etiam ſi quis ſibi plurimorum bene geſtorum conſcius ſit, niſi apud ſe ſentiat, quod omnium ſit poſtremus, nulla ei futura eſt vtilitas ex omnibus ſuis bonis operibus.*

Philip. 2 · Homil. 33. in Geneſ.

Ser. 26 Optimè S. Bernardus, *Non eſt* (inquit) *pe-*

periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes minorem quam ſis, hoc eſt quam ſe veritas habeat; eſt autem grande malum, horrendumque periculum, ſi vel modicè plus vero te extollas, ſi vel vni, videlicet in tua cogitatione, te præferas, quem forte tibi parem veritas iudicat, aut etiam ſuperiorem: quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid ſcis o homo, ſi vnus ille quem forte omnium viliſſimum atque miſerrimum reputas, melior te in mutatione dextera Excelſi, in ſe quidem futurus ſit, in Deo vero iam ſit? & propterea Dominus non mediocrem, non vel penultimum, non ipſum ſaltem inter nouiſſimos eligere locum nos voluit, ſed recumbe (inquit) *in nouiſſimo loco.* *in Cãt.*

CAPVT XIX.

De Obedientia Superioribus Præpoſitiſque Eccleſiaſticis à Chriſtiano Sacerdote deferenda.

OBedientia iuxta D. Thomæ doctrinam) eſt virtus moralis, efficiens 2.2. qu. 104. ar.

ciens hominem promptum ad exequendam voluntatem vel præceptum ſuperioris: & hæc obedientia duplex eſt, alia enim eſt quæ debetur Deo ſuperiorum omnium ſupremo, eiuſq; legibus quæ procul dubio quibuſuis alijs legibus ac præceptis hominum abſolutè præferendæ ſunt: alia, quæ hominibus in legitima poteſtate conſtitutis, eorumque mandatis & decretis deferenda eſt.

Et de prima quidem non eſt opus hic multis agere, cum cuique vel ſolo naturæ lumine certo certius ſit, Deo aliquid præcipienti obtemperandum eſſe, quod vel ipſi impijſſimi confeſſi ſunt, *iuſtum* ſcilicet *eſſe mortalem hominem eſſe ſubditum Deo*.

2.Mac.9

Hoc ſolummodo de Chriſtiano Sacerdote dicimus, debere illum ſicut alijs virtutibus, ſic præſertim obedientia quam perfectiſſima, erga quemcumque diuinæ voluntatis nutum, alijs fidelibus prælucere, vt eius non verbis modo, ſed maximè operibus exemplíſque ad virtutem tantopere neceſſariam efficacius excitentur. *Sacerdotes ſiquidem*, vt loquitur S. Chryſoſtomus, *magis videntur promittere obedientiam Deo, præcipuè per hoc ipſum, quod ſpecialiter in Dei miniſterio conſtituuntur*.

Hom. 40 in Matt.

Quod vero ad illam obedientiam ſpe-

ſpectat, quam ſuperioribus, & præpoſitis ſuis Eccleſiaſticis Sacerdos exhibere tenetur, quoniam frequentius in illam peccatur; imo quoniam in ea tempora deuenimus, in quibus vix à plerisque Sacerdotibus, & Eccleſiæ miniſtris, ad eiuſmodi obedientiam vlla fiat attentio, ideo neceſſarium duximus in expendendis ijs, quæ ad virtutem illam ſpectant, paululùm immorari.

Atque in primis dicimus Sacerdotes, & quoſcumque alios clero Eccleſiæ aſcriptos, ad obedientiam Superioribus ac Præpoſitis ſuis Eccleſiaſticis exhibendam, non modo ipſius Eccleſiæ ſanctionibus, ſed & ipſa Diuina lege obligari, *Obedite* (inquit Apoſtolus) *præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes; gemitus ſiquidem ille* (inquit S. Chryſoſtomus) *quauis vltione durior eſt*: quod maximè notandum. Addit idem Apoſtolus *hoc enim expedit vobis*: ſuper quæ verba S. Baſilius, *hoc*, inquit *quod dicitur non expedire, maximi cuiuſdam & valde pœnitendi detrimenti, quod ægre correctionem admittat ſignificantiam habet*. *Heb. 13.* Homil. *34. id ep. ad Heb.* *in conſtitut. c. 23*

Quamuis autem hæc Apoſtoli verba cũctos fideles ſpectent, ad clericos

tamen alioſq; viros Eccleſiaſticos ſpeciali modo pertinere dignoſcuntur, propter maiorem illorum cum prælatis, ſuperioribuſque ſuis in ſacra hierarchia connexionem, & ab ipſis in ſancto miniſterio dependentiam, eoſque proinde ad obedientiam præ cæteris laicis longe arctiùs obſtringi.

Sanè S. Clemens Papa, quoſcumque Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconoſque, ac reliquos Clericos Epiſcopis ſuis inobedientes, *non ſolum infames, ſed & extorres à regno Dei, & conſortio fidelium, & à limitibus ſanctæ Dei Eccleſiæ alienos declarat.* *Epiſt. 3.*

Et ſanctus Pius item Papa, *ſi quis Sacerdotum* (inquit) *vel reliquorum Clericorum ſuo Epiſcopo inobediens fuerit, &c. mox curiæ tradatur.* *Epiſt. 2.*

His diuinis, Eccleſiaſticiſque legibus adiungi poteſt & ſolemnis illa obedientiæ ac reuerentiæ promiſſio, quam Sacerdos ſtatim poſt ordinationem in manibus Epiſcopi emittit, vt quaſi funiculo triplici nullatenus abrumpendo, ad ſacram illam ſubiectionem & obedientiam ſe aſtrictum eſſe intelligat.

Hinc ſequitur, vnumquemque Sacerdotem (quod de reliquis etiam Clero Eccleſiæ aſcriptis dici debet) in ijs quæ ad fidei doctrinam, morumque ac miniſteriorum ſacrorum di-

diſciplinam ſpectant, primùm Pontifici Romano, tanquam Chriſti Domini vices in terris agenti, ſupremoque proinde Eccleſiæ Capiti & Paſtori, veram perfectamque obedientiam ac ſubiectionem debere : exinde proprio Epiſcopo & Prælato, quem *vt animæ parentem* à quolibet Clerico ſuſcipi, obſeruari, & amari vult S. Hieronymus : ac demum alijs ſibi ſecundum canonicas ſanctiones legitime præpoſitis ; vnicuique habita ratione dignitatis ac poteſtatis quam in Eccleſiaſtica hierarchia obtinet. *Epiſt. ad Nepotian.*

Cogitet proinde quilibet Sacerdos aut Clericus, diligenterque apud ſe perpendat, coram ſupremo Iudice ſuper illa obedientia præpoſitis ſuis Eccleſiaſticis exhibenda, ſe prope diem examinandum; ſibique reddendam fore rationem v. g. quam ſincera & humili demiſſione, ſupremo Pontifici, errores aliquos fidei aduerſos proſcribenti & damnanti obtemperauerit ; intellectumque ſuum in obſequium Chriſti, vicarij ſui ore loquentis captiuauerit. Item, quam libenti & prompto animo Pontifici ſuo & Prælato modeſtiam & honeſtatem vitæ Clericalis tenendam, habitum Eccleſiaſticum, tonſuramque deferendam, reſidentiam in beneficijs ſeruandam, aliaque ſimilia iniungenti,

obedientem ſe ac ſubditum præbuerit. Demum quam exactè leges ſanctioneſque canonicas, ſiue totius Eccleſiæ generales, ſiue cuiuſque prouinciæ aut diœceſis particulares ſeruauerit.

Neque vero, quæ de obedientia Eccleſiæ prælatis, à Sacerdotibus aliiſque Clericis exhibenda dicta ſunt, vllatenus præiudicant ſubiectioni, fidelitatique quæ Regibus, Principibuſque debetur, in ijs quæ temporalem regnorum prouinciarumque adminiſtrationem ſpectant; cum Apoſtolus qui Præpoſitis Eccleſiaſticis obediendum & ſubiacendum eſſe docuit, idem etiam edixerit *omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe oportere; ſiue regi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis.*

Rom 13 *vide Bellarm. t. 2 lib. 1. de Clericis c. 28.*

Neque tantummodo ipſi Sacerdotes & Clerici, regum, principumque ſæcularium legibus obtemperare tenentur, in ijs quæ legi diuinæ ſacriſque canonibus minime repugnant, ſed etiam vt ipſemet Apoſtolus præſcribit, alios fideles admonere debent, *principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe, neminem blaſphemare &c.*

Tit. 3.

Orat. ad Ciues Naziã.

Appoſitè & optimè S. Gregorius Nazianzenus, *Subijciamur* (inquit) *tum*

Deo,

Deo, tum alij alijs, tum ijs qui imperium in terra gerunt: Deo quidem omnibus de cauſis, alij autem alijs propter charitatis fœdus; principibus denique, propter ordinem, publicaque diſciplinæ rationem, idque tanto etiam magis, quanto clementioribus, moderatioribuſque illis vtimur.

CAPVT XX

De imitatione Chriſti, cui peculiari ſtudio Sacerdos incumbere tenetur.

POſt enumeratas in præcedentibus capitulis, & vtcumque explicatas virtutes illas, quæ Chriſtianum Sacerdotem maxime decent; vt eorum omnium quæ dicta ſunt, aut etiam dicenda ſuperſunt, compendium faciamus, omneſque virtutes Sacerdotales ſub vnum veluti aſpectum ponamus,& facillimam ſimulq;perfectiſſimam eas in praxim reducendi rationem quaſi oculis ipſis ſubiiciamus? in hoc vltimo huiuſce tertiæ partis capitulo virtutum illarum abſolutiſſimum prototypum, Dominum ſcilicet Ie-

Ieſum cunctis Sacerdotibus imitandum, & in ſemetipſis exprimendum proponemus: quò ſcilicet in omnibus operentur iuxta exemplar quod illis in myſtico illo monte demonſtratur.

Quamuis autem ipſe Dominus Ieſus *venerit quibuſcumque hominibus magiſterium, & adiutorium ad capeſſendam æternam ſalutem*, vt loquitur S. Auguſtinus, Apoſtolorum tamen, ac diſcipulorum ſuorum peculiari quadam ratione ſe Magiſtrum eſſe profeſſus eſt. Vnde ad eos dixit, *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*, & alio in loco, *vos vocatis me Magiſter &, Domine, & bene dicitis, ſum etenim*: quomodo vero magiſterium illud erga ipſos exercuerit, oſtendens ſubdit, *exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*.

ep. 3. ad Voluſiā

Ioan. 13

Hæc ſi quidem diuini illius Magiſtri ratio, & methodus fuit, vt prius faceret, deinde doceret: prius opere, poſtea ſermone diſcipulos ſuos inſtrueret; imo vtrumque iungeret, ſimulque & faceret & doceret: vt poſtea ſeipſum etiam in hoc diſcipulis imitandum proponeret, ipſiſque efficacius dicere poſſet, *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*.

Matt. 5

Neque ſolum diuino huic Magiſtro imitando ſtudere tenentur Sacerdotes, quia ipſius Chriſti diſcipulorum ſucceſ-

ceſſores ſunt, hæredeſque virtutum, ſed etiam propterea quod ad illius imitationem alios inducere debent, eoſque veluti *parturire, donec in ipſis Chriſtus formetur*: ideoque poſuit eos Dominus *paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis* Chriſti, *vt occurrant omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*: hoc autem præſtare nuſquam poterunt, niſi prius in ſeipſis eundem Chriſtum quam perfectiſſimè efformauerint, vt alijs poſtea vnuſquiſque illorum dicere cum Apoſtolo valeat, *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Galat. 4 Eph. 4. Phil. 3.

Certè hoc cuncti fideles à quolibet Sacerdote expetere, & expectare videntur, vt ſcilicet perfectam in ipſis nanciſcantur imaginem charitatis, manſuetudinis, aliarumque Chriſti Domini virtutum, vnde ipſi ædificentur, & ad ſimilium virtutum praxim excitentur: quod ſi hoc in ſacerdotibus minimè reperiant, vitiaque virtutibus illis contraria deprehendant, vt plurimum ſcandaliſantur, virtutem faſtidiunt, in vitia ſimilia facilè corruunt, putantque ſibi licere ea, quæ à quouis Sacerdote fieri animaduertunt.

Addamus & Sacerdotes in pleriſque miniſterij ſui functionibus, Chriſti

vices agere, Chriſti nomine loqui, proindeque conueniens, imo neceſſarium eſſe, vt non ſolum ſermone, & lingua, ſed & opere, ac exemplo ipſius Chriſti perſonam exhibeant, vt verè cum Apoſtolo dicere queant, *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſtus?*

2. Cor. 16

§ Vt igitur Sacerdos hoc præſtet, cum, vt ait Sanctus Baſilius, *omnis actio Saluatoris, regula ſit pietatis excolendæ, virtutiſque obeundæ*, debet ipſius Chriſti vitam, tanquam vitæ ſuæ normam, & regulam ſibi præſtituere, ſingulaſque eius actiones, tum quæ Dei cultum, tum quæ proximi ædificationem, tum quæ ipſius vitæ neceſſitatem ſpectant intellectu & affectu apprehenſas proprijs ſuis actionibus applicare, & quantum licebit commenſurare.

Serm. de renunt.

Debet præterea ad ipſius Chriſti charitatem, patientiam, humilitatem, cæteraſque virtutes attendere, eaſque per ſedulam imitationem veluti ſuas facere, *expoliantes ſcilicet veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis*, *qui enim*, vt ait S. Hieronymus, *conuerſationem Chriſti imitatur, vniuerſaſque eius virtutes in ſe exprimit, vt ſit manſuetus, ſicut ille fuit manſuetus & hu-*

humilis corde, & ponat animam ſuam pro amicis, ſicut ille poſuit pro ouibus ſuis: verberatus non reſpondeat, maledictus non remaledicat, ſed vincat in humilitate ſuperbiam: iſte indutus eſt nouum hominem, & dicere cum Apoſtolo poteſt, viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.

Neque ſolum leuiter, & ſtrictim ipſas Chriſti actiones virtuteſque inſpicere, ſed ſedulo meditari, &, vt loquitur Apoſtolus, *recogitare;* quemadmodum ſi pictor tabellam aliquam ſibi propoſitam imitari & exprimere vellet, frequenter tum in ipſam tabellã, tum in opus ſuum oculos inijceret; ſic & verus Chriſti imitator ſeſe gerere debet: *Idcirco enim Dei filius*, vt ait Sanctus Baſilius, *naturam noſtram ſuſcepit; vt in ſe velut in quadam tabula, veram virtutem depingeret, eamque nobis tamquam archetypum, imitandam proponeret:* *ſiquidem*, vt loquitur S. Gregorius Nyſſenus ipſius S. Baſilij frater, *ſua quiſque vita pictor eſt, artifex huius operis eſt voluntas, colores ſunt virtutes, exemplar vero Chriſtus eſſe debet.* *ſer de re nunt.* *ep. 1. de perf. Chriſt.*

Porro inter ipſas Chriſti Domini virtutes, præſtat eas in ſe præſertim delineandas imitandaſque deligere, quæ cuiuſque muneribus, functionibuſque magis accõmodatæ, aut cuiuſ-

que diſpoſitioni magis vtiles aut neceſſariæ videntur: verbi gratia, is cui animarum cura commiſſa eſt, ipſius Chriſti Domini vigilantiam, manſuetudinem, zelum inter labores moleſtiaſque indefeſſum, &c. attendat, vt eas imitetur: is qui choro, Eccleſiaſticiſque officijs, & publicis Religionis obſequijs depûtatus, eundem Chriſtum in templo orantem, vel alijs Religionis actibus & muneribus incumbentem ſibi ob oculos ponat, & veluti præeuntem ſubſequatur. Is qui ambitionis aut vanæ gloriæ vento pulſatur, Chriſtum in vita abſcondita mundi oculos refugientem, aut in paſſione humiliatum, & opprobrijs ſaturatum aſpiciat; qui auaritiæ tentatione, diuitiarumque deſiderijs inutilibus & nociuis impetitur, eundem Chriſtum pauperem, & egenum propter nos factum attendat; qui otia & vitæ commoda ſectari ſe deprehendit, ipſummet Chriſtum circumſpiciat, nunc propriis manibus laborantem & in ſudore vultus ſui pane veſcentem; nunc villas & pagos, & caſtella circumeuntem & oues oberrantes quærentem, in ipſa inquiſitione & circuitione ſæpiſſimè fatigatum; nunc in montibus ſub dio pernoctantem & orantem; ac demum in paſſione ſua, ſpinis, flagellis, clauis, lanceis, perſoſ-

foſſum, lacerum, confixum, cruentatum: & ſic de alijs.

Hæc eſt igitur ſumma totius perfectionis Sacerdotalis, Chriſtum Dominum affectari, Chriſti veſtigijs inhærere, Chriſtum induere, Chriſtum viuentem, loquentem, operantem, patientem in ſe quantum fas eſt exprimere, & alijs reuerendum, amandum, imitandumque in ſe proponere: vix cogitari, nedum dici poteſt, quanta ſit huiuſmodi conformitatis cũ Chriſto in ipſo Sacerdote efficacia & virtus; quanta ædificatione qui eiuſmodi eſt, cunctas miniſterij ſui functiones obeat, quanto & quam vberi fructu procurandę animarum ſaluti incumbat; proximiſque ſuis ad bonum cuiuſque ſpirituale operam impendat: & quanta eius miniſterio & labore diuinus honor in dies accipiat incrementa: neque enim vllus maiorem Deo gloriam, aut Eccleſiæ vtilitatem in hac vita mortali afferre poteſt, quam qui Chriſtum Dominum ipſius Paternę glorię ſplendorem, melius & perfectius Deo, & mundo exhibet.

PARS QVARTA.

De tentationibus quibuſdam, & occaſionibus periculoſis, aduerſus quas Sacerdos Chriſtianus peculiari ſtudio ac ſollicitudine præmunire ſe debet.

CAPVT PRIMVM.

De tentationibus in genere quibus Sacerdos impetitur, earumque remedijs.

FILI accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, inquit Sapiens, verbis illis veluti claſſicum canens omnibus quidem fidelibus, ſed maximè ijs, qui ſe ſeruituti & miniſterio Dei ſo-

ſolemni conſecratione mancipatunt. *Iob. 7.*

Cum enim *militia ſit vita hominis* *Cant. 6.*
ſuper terram, & ipſa Eccleſia in terris poſita ſit *quaſi caſtrorum acies ordinata*, in qua Sacerdotes alijque Chriſti miniſtri velut primipilarij milites in ſacri illius exercitus fronte conſtituuntur; non mirum ipſis videri debet, ſi primos hoſtium inſultus acrioreſque impetus ſuſtineant, *quia*, vt recte monet ſanctus Gregorius, *quanto magis eos ſibi oppoſitos diabolus conſpicit, tanto amplius expugnare contendit.* *Lib. 24. mor. c. 13*

Præterea cum ipſi Sacerdotes in militia Chriſti alios inſtruere, rationemque in pugna illa ſpirituali tenendam illos edocere debeant; quomodo id præſtare poſſent, niſi propria ipſi experientia erudirentur, varijſque tentationibus probarentur: *qui enim* (vt loquitur Sapiens) *non eſt tentatus, quid ſcit?* Vnde & ipſe Chriſtus *Eccl. 34* dux & Imperator noſter *tentari voluit per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: in eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.* *Heb. 2.*

Sicut igitur gubernatorem nauis tempeſtas, Athletam ſtadium, militem acies, magnanimum calamitas; ſic Chriſti miniſtrum tentatio probat, vt cum probatus fuerit accipiat coronam vitæ. Quam quidem coronam, vt ait S. Auguſtinus, *S. Baſil. ora. de Pat.*

in Pſ. 60 *accipere non poteſt, niſi vicerit, nec vincere poteſt, niſi certauerit, nec poteſt certare, niſi inimicum & tentationes habuerit.*

Quamuis autem, vt docet S. Thomas, cuiuſque tentationis ordo à Deo ſit, id eſt, quamuis ipſe Deus pro infinita ſua ſapientia & clementia tentationes ipſas ordinet ad maius bonum eorum qui tentantur, dummodo gratiæ ſuæ non deſint: quia tamen anceps & periculoſa ſemper eſt illa colluctatio, tum ratione propriæ infirmitatis & imbecillitatis, tum etiam propter infenſiſſimos hoſtes quibuſcū nobiſcum luctandum eſt, qui non ſolum aperto (vt dicitur) marte, ſed ſæpiſsimè, occultis inſidijs agunt, & in Pſ. 39 *ſemper magis timendi ſunt*, inquit D. Auguſtinus, *cum fallunt, quam cum ſæuiunt*: ideo Chriſti Sacerdos qui ex officio ſuo pro aliorum ſalute dimicare tenetur, multo magis propriam ipſe ſalutem tueri debet; & propterea præſidia omnia, & auxilia ſedulo conquirere, quibus contra hoſtium illorum impugnationem tutus & ſecurus eſſe, occaſioneſque omnes in tentationem inducentes ſollicite deuitare valeat.

De, quibus quidem cum ſpeciatim nobis agendum ſit, inſequentibus huius quartæ partis capitibus; hic ſolum

quæ-

quædam remedia generalia aduerſus quaſcumque tentationes vitiorumque illecebras breuiter proponentur.

Atque in primis Chriſtiano Sacerdoti auſcultandum eſt monitum Chriſti Domini, qui diſcipulos ſuos alloquens, & in eorum perſona quoſuis Eccleſiæ ſuæ miniſterio addictos: *Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem*: quibus verbis duo proponit veluti muniminum genera. Primum eſt, vigilantia, qua ſuper ſeipſos, actuſque ſuos quoſcumque exteriores & interiores inuigilent, ne ſcilicet in factis, dictis, aut cogitatis, aliquid admittant, quod tentationi aditum præbeat, eoſque in diſcrimen peccandi adducat; ideoque debent attendere ſibi ipſis, ſemetipſos inſpicere, diiudicare, quotidianumque examen conſcientiæ inſtituere, quo vel proprij cordis occultiſſima ſibi cognita ſint & perſpecta. *Mat. 26*

Quoniã vero ſine ope cæleſtis gratiæ quantacumque vigilantia non ſufficit, ideo non modo vigilandum, ſed & orandum eſſe docet Chriſtus, *vt etiam vigilantes tentationis procella non vincat*. Per orationem ſiquidem Deo coniuncti & vniti cum Propheta dicere poſſumus, *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo?* & per eandem orationem, auxilium diuinæ gra- *S. Proſp. l. 2. de voc. gẽt.* *Pſal. 26*

tiæ contra inſultus hoſtium poſtulantes, illud facilè impetramus ab eo qui dixit, *petite & accipietis*, &, *ſi quid* Io.n.16 *petieritis patrem in nomine meo dabit vobis*.

Porro diuina ope inuocata & exorata, manus etiam operi admouenda eſt, viriliter contra hoſtes decertandũ, Iac. 4. tentationi obſiſtendum: *Reſiſtite diabolo*, inquit Apoſtolus, *& fugiet à vobis*, fœlix haud dubiè conditio huius belli licet alioquin periculoſi, *in quo* Phil.p.1 (vt rectè adnotauit, & ex his verbis collegit Gebennenſis Antiſtes) *certi ſumus de victoria, dummodo contra hoſtes pugnare, ipſorumque inſultibus reſiſtere velimus*.

Hom.13 in Matt. Prçterea fugiendas eſſe tentationis occaſiones cuiuis notum eſt, *qui enim oramus*, inquit D. Chryſoſtomus, *ne intremus in tentationem, ſane tentationis occaſiones quærere non debemus*: prçſertim ipſo Spiritu ſancto commonente, Eccl.3. quod *qui amat periculum peribit in illo. Quantum igitur poſsumus, à lubrico recedamus*, vt rectè Philoſophus Sen.ep. 117. antiquus dixit, *qui in ſicco quoque, parum firmiter ſtamus*.

Neque ſolum ab exterioribus tentationis occaſionibus, ſed & ab interioribus earũdem cauſis ſollicitè ſibiipſi cauendum eſt: quis eſt enim qui cum Apoſtolo non dicat *ſentio legem*

in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, & quod adhuc periculoſius eſt, *ſæpe tunc maxime oppugnaris*, vt monet Sanctus Hieronymus, *cùm te oppugnari non ſentis*. Quare (vt idem pergit) *noli ſecurus eſſe, noli credere, licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet vix ſumma elementi ſpiritu terga criſpentur; magnos hic campus montes habet, intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis*. Rom. 7. ep. 1. ad Hel.

Denique aduerſus quædam tentationum genera, ſaluberrimum eſt monitum Apoſtoli dicentis: *omnia probate, quod bonum eſt tenete*, &, *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Ipſe etenim Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis, & quid mirum ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ.* 1. Theſſ. 5. 1. Ioã 4. 2. Cor. 11

CAPVT II.

De tentatione ambitionis, præſertim in appetitione beneficiorum, munerumque Eccleſiaſticorum.

AMbitio, vt docet S. Thomas, *eſt inordinatus honorum & dignitatum appetitus*: cum quis ſcilicet honores & dignitates appetit, verbi gratia, Sacerdos aut quiuis alius clero aſcriptus, beneficia vel officia Eccleſiaſtica, ad quæ tamen idoneum ſe minimè cognoſcit; vel quando eadem appetit, non vt referat ad diuinam gloriam, ſed vt propriæ gloriæ cupiditatem expleat.

2.2.q. 131.

Quam vero periculoſa ſit in Sacerdotibus alijſque Eccleſiæ miniſtris eiuſmodi ambitionis tentatio, hinc patet, quod non modo eos impetat, qui ſe alijs cupiditatibus & vitijs mancipaſrunt, ſed illos etiam qui virtutis, ac pietatis ſectatores ſe profitentur. Plurimos ſiquidem reperire eſt in Clero, vitæ alioquin, vt videtur, ſatis probatæ, nec vllis vitijs obnoxiæ, quos tamen, vbi vel leuiſſima aliqua ambitionis aura afflauerit, vbi aliqua beneficij cuiuſuis captandi, aut dignitatis Eccleſiaſticæ obtinendæ ſpes affulſerit, conti-

timuò videas velut è ſtatu ſuo dimoueri, & peſtifero illo flatu, plerumque in abrupta ſimoniarum aut confidentiarum propelli, aut certè procelloſo mundanæ vanitatis ſpiritu exagitari, & tandem lethalis alicuius noxæ ſcopo alliſos miſerrimo naufragio perire.

Vnde S. Ambroſius: *hoc ipſo*, inquit, *pernicioſior eſt ambitio, quod blanda quædam eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, hos facit ambitio criminoſos.* Lib. 1. in Luc. c. 4.
Etenim, vt monet Sanctus Cyprianus, *etiam in ſinu Sacerdotum ambitio dormit, ibi ſub vmbra recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat.* ſer. de ieiunio & tent.

Idcirco Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos alloquens, & in illis omnem Eccleſiæ ſuæ Clerum erudiens, ab hoc ambitionis vitio eos præſertim deterruit: *Scitis*, inquit, *quia reges gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos; non ita erit inter vos, ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſse, erit veſter ſeruus.* Mat. 20

Et alia occaſione coram ipſiſmet diſcipulis acriter in Phariſæos ambitione tumentes inuectus eſt. *Dilatant*, inquit, *phylacteria ſua, & ma-* Mat. 23

magnificant fimbrias; amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi. Et exinde poſtquam ab eiuſmodi faſtu diſcipulos ſuos dehortatus eſt; plurima eaque horrenda anathemata in ambitioſos illos Phariſæos, veluti cæleſtia quædam fulmina vibrat: quæ vtinam perſpiciant, & attentè perpendant ij „ qui Phariſæorum ambitioſa conſilia „ æmulantur: qui, vt loquitur ſan„ctus Gregorius, intra ſanctam Ec„cleſiam per ſpeciem regiminis, glo„riam affectant honoris, videri do„ctores appetunt, tranſcendere cæ„teros concupiſcunt; atque atteſtan„te veritate, primas ſalutationes in „foro, primos recubitus in cœnis, pri„mas in conuentionibus quærunt ca„thedras: qui ſuſceptum curæ Paſto„ralis officium miniſtrare dignè tanto „magis nequeunt, quanto ad hoc „humilitatis magiſterium ex ſola ela„tione peruenerunt.

In paſt. p.1.c.1.

Vt igitur contra hanc ambitionis peſtem, antidotum aliquod hic proponatur; auſcultandum eſt in primis monitum Sapientis ſic loquentis: *Noli quærere à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris; duriſſimum ſiquidem iudicium his qui præſunt fiet, exiguo enim facile conceditur miſericordia: potentes*

Eccl 7.

tes

tes autem potenter tormenta patientur. Item Apoſtoli ſimiliter dicentis: *Nolite pluresfieri magiſtri, fratres mei, ſciẽtes quoniam maius iudicium ſumitis.* *Tanto certè quiſque grauiùs corruit,* inquit Sanctus Gregorius, *quanto antequam caderet altiùs aſcend t,* & vt loquitur Iſidorus, *quanto quiſque in ſuperiori conſtitutus eſt loco, tanto in maiori verſatur periculo; & quanto ſplendoris honore excelſior, tanto ſi delinquat peccator eſt maior.* Sap.6 Iacob.2. Expoſ.in pſ.60. Li.3.de ſum.bon. c.31.

Age ergo, inquit Sanctus Bernardus, *quoniam iudicium graue his qui præſunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur; aſcendat ſuperbia tua ſemper, ſequere regem tuum, omne ſublime videant oculi tui, feſtina multiplicare præbendas; inde ad Archidiaconatus euola, demum aſpira ad Epiſcopatus, ne ibi quidem requiem habiturus, quoniam ſic itur ad aſtra. Quò progrederis miſer? an vt ab altiori gradu, caſus ſit grauior? neque enim ſic paulatim decides, ſed tanquam fulgur in impetu vehementi, quaſi alter ſathanas ſubito deijcieris.* in declamat.ſup. Ecce nos &c.

Quare quiſquis honorum, dignitatum, munerumque Eccleſiaſticorum appetitione titillatur, perpendat feriò formidandam illam diuini iudicij ſtateram, ab humani iudicij bilance longè diuerſam; perhorreſcat

ſcat illam ſupremi iudicis vocem, *appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens*; cogitet quid de ipſis muneribus, ac dignitatibus, in vltimo vitæ ſuæ termino conſtitutus, ſentiet? quem tunc ex illis fructum recepturus eſt? & ſi ſapit, ſi propriæ ſalutis curam agit, *magis eligat abiectus eſſe in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum*.

Dan. 5.

Pſal. 83

Ac demum ob oculos ſibi ponat exemplum illius: *qui*, vt loquitur Apoſtolus, *cum in forma Dei eſset, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens; humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis*. Quę quidem verba perpendens. Sanctus Bernardus, *Erubeſce*, ait, *ſuperbe cinis: Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te praponis authori? &c. quoties hominibus praeſse deſideras, toties Deum tuum praire contendis.*

Phil. 2.

ſerm. 1. in Miſſus eſt.

CA-

CAPVT III.

De luxu in veſtibus, ſupellectili, aliiſque rebus à Chriſtiano Sacerdote maximè cauendo.

AD tentationem ambitionis, proximè accedit luxus in veſtibus, ſupellectili, alijſque quotidianæ vitæ expenſis: qui quidem luxus eo culpabilior cenſetur in Sacerdote, & quouis alio Eccleſiæ miniſtro, quo per illum Chriſto perfectionis totius exemplari diſſimilior efficitur.

Quid enim diuinus ille Saluator, tum per ſe, tum per Apoſtolos ſuos ſæpius ingeſſit, quam mundi gloriam ſpernere, faſtum ſæculi calcare, vitæ ſuperbiam fugere, ſuperfla abijcere, paupertatem ſectari: & vt doctrinam firmaret exemplis, ipſe naſci voluit in ſtabulo, reclinari in præſepio, vilibus pannis inuolui, totaque vita, domo, lectulo, omnique ferè humano ſolatio deſtitui: *Vulpes*, inquit, *foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Mat. 8.

Sa-

Sane Catholica Eccleſia ſupremi illius Paſtoris veſtigijs inhærens; nihil fere inſtantius in Concilijs commendat Sacerdotibus & Clericis, quam frugalitatem & parcimoniam in veſtitu, ſupellectili, alijſque vitæ neceſſarijs: nihil acrius arguit, quam ſuperfluitatem, exceſſum, ac luxum in iiſdem.

In Concilio Agathenſi ſancitum fuit, *ne liceat Clericis vti veſtimentis, aut calceamentis, niſi quæ religionem deceāt; & ſi qui illorum comam nutriant, etiam inuiti ab Archidiacono tondeātur*. In Concilio Matiſconenſi, *vt nullus Clericus ſagum aut veſtimenta ſecularia, nec niſi quæ Religionem deceant induere præſumat, quod ſi poſt hanc definitionem clericus, aut cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus fuerit; à ſeniore ita coërceatur, vt triginta dierum incluſione detentus, aqua tantum & modico pane ſingulis diebus ſuſtentetur*.

an. 506. can. 20. an. 581. can. 5

In Quini ſexta Synodo, *vt nullus eorum qui in Cleri catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non conuenientem induat, neque in ciuitate degens, neque iter faciens; ſed vtatur veſtibus, quæ Clericis attributa ſunt: ſi quis autem tale quid fecerit, vna ſeptimana ſegregetur*.

can. 27.

In Concilio Niceno ſecundo edicitur, *omnem iactantiam & ornatum corporalem eſſe à Sacerdotali ſtatu, & or-*

can. 16.

ordine alienum, &c. item omnem virum Sacerdotalem cum moderato, & honeſto indumento verſari debere; & quicquid non propter vſum, ſed oſtentatorium ornatum aſſumitur, in nequitia reprehenſionem incurrere.

In Concilio Rhemenſi ſub Eugenio Tertio prohibetur clericis, *ne in ſuperfluitate veſtium, aſpectum offendant intuentium, quorum forma & exẽplum eſſe debent; ſed potius vt luxum illum ita ſuis actibus condemnent, vt amorem innocentiæ conuerſatione demonſtrẽt.* can.2

Demum in Concilio Tridentino, omnibus & quibuſcumque Eccleſiaſticis etiam Superioribus & ſublimioribus, quanto magis inferioribus, præſcribitur: *vt non ſolum modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint; verum etiam in quocumque vitæ genere, ac tota domo caueant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, & vanitatum contemptum præ ſe ferat.* ſeſſ. 24. c.1.de ref.

,, Verum dicunt aliqui, vt obſeruat
,, & ſibimet obijcit ſanctus Bernardus,
,, num de veſtibus cura eſt Deo, &
,, non magis de moribus? at forma
,, hæc veſtium deformitatis mentium
,, & morum indicium eſt: quid enim
,, ſibi vult quod Clerici aliud eſſe,
,, aliud videri volunt? id quidem minus

li 3. de conſ.c.5

„ nus caſtum, minuſque ſincerum ;
„ nempe, habitu milites, quæſtu Cle-
„ ri, actu neutrum exhibent; nam
„ neque pugnant vt milites, neque vt
„ Clerici euangelizant, cuius ordinis
„ ſunt? cum vtriuſq; eſſe cupiunt, vtrũq;
„ deſerunt, vtrumq; confundunt: Vnuſ-
„ quiſq; inquit Apoſtolus, in ſuo ordi-
„ ne reſurget; iſti in quo? an qui ſine
„ ordine peccauerunt, ſine ordine
„ peribunt?
„ Væ qui opulenti eſtis in Sion (in-
Amo. 6. „ quit Propheta) & confiditis in monte
„ Samariæ, Optimates, capita popu-
„ lorum, ingredientes pompaticè do-
„ mum Iſrael, qui dormitis in lectis
„ eburneis, & laſciuitis in ſtratis ve-
„ ſtris, bibentes vinum in phialis, &
„ optimo vnguento delibuti, & nihil
„ patiebantur ſuper contritione Io-
„ ſeph.

Heu quam timendum eſt, ne qui in myſtica Sion, id eſt, in Eccleſia Chriſti, adhuc pompas ſæculi ambiunt, qui mundi cultum, & luxum exquirunt, aliquando pœnitentiam nimis ſeram agant, & præ anguſtia ſpiritus ingemiſcentes dicant, *quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt*
Sap. 5. *omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, &c.*

Vt igitur hoc infœlicitatis præcipi-
tium

ium deuitare queat Chriſti Sacerdos, & quiuis alius clero Eccleſiæ aſcriptus, ſeriò cogitet, & apud ſe perpendat, quantum ſtatus ſui ſanctitati repugnet hæc pomparum ſæculi aſſectatio; quam indignum & turpe ſit illum qui gloriari nullatenus debet, *niſi in cruce Domini Ieſu Chriſti*, mundanæ gloriolæ auram ex vano aliquo exteriori apparatu venari? Sed quam iniuſtum & inhumanum, ea quæ pauperibus debentur, quæ eorum victui neceſſaria ſunt, in ſuperfluos & vanos vſus impendere: *Clamant nudi & dicunt, noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quicquid inaniter expenditur: & nos etiam Dei plaſmatio, & nos Chriſti ſanguine redempti ſumus; noſtris neceſſitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus veſtris.* Gal.6. S. Ber. ep. ad Henr. Seno.

Cogitet, inquam, & perpendat, quod ſicut de reliquis omnibus, ſic etiam de bonorum temporalium vſu & expenſa coram ſupremo Iudice rationem redditurus ſit; idque vt ipſemet edixit *vſque ad nouiſſimum quadrantem*; quem igitur tunc fructum habiturus eſt, in illis in quibus nunc ipſi eſt erubeſcendum?

Heu quot opera charitatis exercere, quot pietatis ac Religionis conſilia promouere, quot animas è diaboli faucibus eripere, & Chriſto lucrari

potuiſſet, vel mediocri aliqua parte tot inutilibus expenſis ſubtracta? Neque verò luxus in magnis duntaxat expenſis caueri debet, ſed & in ijs omnibus in quibus aliqua ſuperfluitas mediocritati & parſimoniæ Clericali oppoſita reperiri poteſt: nec exigui coram Deo meriti eſt, ſibi interdum parua quædam minus neceſſaria ſubtrahere, eaque pijs vſibus applicare.

CAPVT IV.

De vanæ gloriæ illecebris à Chriſtiano Sacerdote fugiendis.

NOn ſolum in exteriori apparatu, & ſæculari pompa, ſed in pleriſque aliis rebus, & etiam in ipſiſmet pietatis, ac Religionis exercitiis inanis gloriæ illecebra Chriſtiano Sacerdoti præcauenda eſt; & quidem eo maiori ſollicitudine: *quo*, vt monet Caſſianus, *Cœnodoxia ſeu vana gloria*
li. 11. *ſpiritus multiformis, varius, atque ita*
inſt. c. 1. *ſubtilis eſt, vt quibuslibet perſpicaciſſimis oculis non dicam caueri, ſed peruideri deprehendique vix poſſit.* Et *ſæpe*, vt poſtea
cap. 4. ſubdit, *cui ſub ſpecie nitidæ veſtis,*

ſtis, cænodoxiam non potuit diabolus generare, pro ſqualida & inculta conatur inſerere. Quem ſcientia & elocutionis ornatu nequiuit extollere, grauitate taciturnitatis illudit. Si ieiunet palam, gloria vanitatis pulſatur: ſi illud contemnenda gloria cauſa co texerit, eodem vitio elationis obtunditur. Quid plura? *omnia vitia ſuperata marceſcunt* (vt idem inferius loquitur) *& deuicta per ſingulos dies infirmiora redduntur, hoc vero deiectum acrius coaleſcit: cætera genera vitiorum eos tantum impugnare ſolent, quos in certamine ſuperarint; hoc vero ſuos victores acriùs inſectatur, quantoque fuerit validius eliſum, tanto vehementius victoria ipſius elatione congreditur.* cap. 4. cap. 6.

Sanè Dominum Ieſum videmus in Euangelio peculiari cura diſcipulos ſuos de vitio hoc præcauendo commonefacere: *Attendite*, inquit, *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem*: & alibi ieiunia, orationes, eleemoſynas, aliaque bona opera ſollicitè ab huius vitij tentamétis cuſtodienda præcipit: & Phariſæos, ſcribaſque inanis gloriæ affectatores acriter reprehendit: ac demum diſcipulos ab excurſione aliqua Apoſtolica redeuntes, & de poteſtate ſibi in dæmones tradita exultantes, ac dicentes, *Domine etiam in nomi-* Mat. 6. Luc. 10.

potuiſſet, vel mediocri aliqua parte tot inutilibus expenſis ſubtracta? Neque verò luxus in magnis duntaxat expenſis caueri debet, ſed & in ijs omnibus in quibus aliqua ſuperfluitas mediocritati & parſimoniæ Clericali oppoſita reperiri poteſt: nec exigui coram Deo meriti eſt, ſibi interdum parua quædam minus neceſſaria ſubtrahere, eaque pijs vſibus applicare.

CAPVT IV.

De vanæ gloriæ illecebris à Chriſtiano Sacerdote fugiendis.

NOn ſolum in exteriori apparatu, & ſæculari pompa, ſed in pleriſque aliis rebus, & etiam in ipſiſmet pietatis, ac Religionis exercitiis inanis gloriæ illecebra Chriſtiano Sacerdoti præcauenda eſt; & quidem eo maiori ſollicitudine: *quo*, vt monet Caſſianus, *Cœnodoxia ſeu vana gloria* li. 11. inſt. c. 1. *ſpiritus multiformis, varius, atque ita ſubtilis eſt, vt quibuslibet perſpicaciſſimis oculis non dicam caueri, ſed peruideri deprehendique vix poſſit. Et ſæpe*, vt poſtea ſubdit, cap. 4. *cui ſub ſpecie nitida veſtis,*

ſtis, cœnodoxiam non potuit diabolus generare, pro ſqualida & inculta conatur inſerere. Quem ſcientia & elocutionis ornatu nequiuit extollere, grauitate taciturnitatis illudit. Si ieiunet palam, gloria vanitatis pulſatur: ſi illud contemnendæ gloriæ cauſa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur. Quid plura? *omnia vitia ſuperata marceſcunt* (vt idem inferius loquitur) *& deuicta per ſingulos dies infirmiora redduntur, hoc vero deiectum acrius coaleſcit. cætera genera vitiorum eos tantum impugnare ſolent, quos in certamine ſuperarint; hoc vero ſuos victores acriùs inſectatur, quantoque fuerit validius eliſum, tanto vehementius victoriæ ipſius elatione congreditur.* cap. 4. cap. 6.

Sanè Dominum Ieſum videmus in Euangelio peculiari cura diſcipulos ſuos de vitio hoc præcauendo commonefacere: *Attendite*, inquit, *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem*: & alibi ieiunia, orationes, eleemoſynas, aliaque bona opera ſollicitè ab huius vitij tentamẽtis cuſtodienda præcipit: & Phariſæos, ſcribaſque inanis gloriæ affectatores acriter reprehendit: ac demum diſcipulos ab excurſione aliqua Apoſtolica redeuntes, & de poteſtate ſibi in dæmones tradita exultantes, ac dicentes, *Domine etiam in* Mat. 6. Luc. 10.

nomi-

nomine tuo dæmonia ſubijciuntur nobis,
Luc.20. ſerijs verbis increpauit, ipſiuſque dæmonis infœlici, ob impiam elationem; caſu ob oculos poſito, compeſcuit.

Nec ſolum verbis, ſed & exemplis ad peſtem illam vanæ gloriæ præcauendam inſtruxit, vnde & plurima facta & miracula ſua ſilentio tegi voluit, & ijs quos à varijs languoribus, dæmonumque vexationibus exemerat, non modo prohibuit, ſed &
Matt.5. *comminatus eſt*, ne id vllatenus euulgarent.

Cum vero Chriſtiani omnes his Chriſti Domini documentis & exemplis inſtrui ac profectum facere debeant, tum maximè Sacerdotes alijque Eccleſiæ miniſtri, qui ſicut ex munere ſuo maxima quædam & præclara opera pro animarum ſubſidio & ſalute exequi debent, ita crebrioribus gloriæ alicuius inde captandæ occaſionibus, maioribuſque proinde periculis exponuntur.

erm.45 in cant. *Væ autem ijs*, inquit ſanctus Bernardus, *qui bene de Deo & ſentire, & eloqui acceperunt, ſi conuertant ad inanem gloriam, quedad lucra Dei acceperunt erogandum: ſi alta ſapientes, humilibus non conſentiant*; *Non efficiamur*
Gal.5. in conſt. c.11. *ergo inanis gloriæ cupidi*; imò vt monet ſanctus Baſilius, *fugiamus inanem gloriam*,

gloriã, dulcem ſpiritualiũ operũ expilatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimã bonorum noſtrorum depredatricem, eandemque mellis illitu, fraudis veneni ſui coloratricem, & mortiferi poculi porrectricem.

Vt autem peſtiferi huius vitij illecebras non modo fugere, ſed & effugere queat Chriſti Sacerdos, hæc quę ſequũtur remedia ſi libuerit impendat.

In primis Apoſtoli monitum perpendat, & ſecum attentè meditetur: Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Et ſanè quidem (vt rectè loquitur S.Bernardus) Vnde tibi gloria ò homo? ò putide puluis, vnde tibi? de vitæ ſanctitate? ſed ſpiritus eſt, qui ſanctificat; ſpiritus, non dico, tuus, ſed Dei: & ſi prodigiis, aut ſignis effulgeas? in manu tua fiũt, ſed virtute Dei. An blanditur popularis fauor, quod verbum bonum, & bene fortè depromſeris? ſed Chriſtus donauit os & ſapientiam: nam lingua tua, quid niſi calamus ſcribæ? & hoc ipsũ mutuo accepiſti, talentum creditum eſt, repetendum cum vſura. *1.Cor.4* *ſerm.13 in can.*

Pręterea eiuſdem S. Bernardi monitũ alterũ auſcultetur: *Nihil,* inquit, *de* *in form. hon.vit.*

de te vnquam loquaris, quod laudem impertet, quantumcunque familiaris ſit ille cum quo loqueris: imo potius plus labora celare virtutes, quam vitia.

Familiare ſiquidem eſt huic vitio, lingua propria tanquam aptiſſimo inſtrumento vti; nihilque dulcius videtur quam opera egregie facta, labores pro Dei honore ſuſceptos, laborumque ipſorum fructus narrare: ſed nihil periculoſius, & ſæpè nihil pernicioſius: quamuis enim illud interdum alijs ad ſimilia opera prouocandis, aut ad Deũ glorificandum excitandis conferre poſſit, tamen niſi præſentiſſimæ cautelæ adhibeantur, intentioque ad Deũ ſolum erecta ſedulo teneatur, periculũ vndequaque imminet; in lubrico gra- deris, in medio laqueorum pertranſis, proindeque ſollicitè caue tibipſi, quiſquis de teipſo loqui cupis; & niſi vrgeat, aut ſuperioris id exigentis authoritas, aut euidentiſſima proximi vtilitas ſeu neceſſitas, hoc tibi, quod olim ſanctiſſimo viro, cælitus dictum puta, *fuge, quieſce, tace.*

in vita S. Arsẽ. in vit. pat.

Neque ſolum ſilentio rectè facta tegenda ſunt, ſed & quantum fieri poterit occultanda; ac ſemper ſecretum virtuti quærendum. Et ſi tale opus ſit quod aliorum oculos latere non valeat, quodque ad ædificationem proximi palam fieri expediat; in eo caſu,

ſu, vt monet Sanctus Gregorius, *ita fiat opus in publico, vt tamen intentio maneat in occulto: vt & de bono opere proximis prabeamus exemplum, & tamen per intentionem qua ſoli Deo placere quærimus, ſemper optemus ſecretum.* *hom. in Eu*

Denique ad illam vanitatis vmbram effugandam, optimum remedium erit, diuinæ præſentiæ lucem ſæpius, imo ſemper expetere, & cum Propheta continuo apud ſemetipſum dicere, *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* Vnde Sanctus Baſilius propoſitæ ſibi quæſtioni, *quomodo quis poſſet captandæ humanæ laudis vitium declinare*, ſapienter & appoſitè reſpondit, *ſi ſibi certo perſuaſerit vbique Deum adeſſe; ſiquidem nemo eſt qui cum in oculis Domini ſit, cum illius dedecore, conſeruo ſuo malit gratioſus eſſe quam Domino.* *Pſal. 1* *in reg. breu. q. 34.*

CAPVT V.

De reſpectibus humanis à Chriſtiano Sacerdote diuinæ voluntati poſtponendis.

HIC lapis eſt offenſionis, hæc petra ſcandali, in quam ſæpiſſimè non ſolum è populo Chriſtiani, ſed etiam è Clero Sacerdotes alijque Eccleſiæ miniſtri impingunt. Hæc nimirum humanorum reſpectuum tentatio, & Petrum Apoſtolici collegij principem ad negationis trinæ præcipitium adegit, & reliquos Apoſtolos ad fugam tempore Paſſionis compulit, & primarios Iudæorum in Chriſtum credentes ab ipſius Chriſti confeſſione deterruit: *Propter Phariſæos enim non confitebantur,* Ioan. 12 *vt è Synagoga non eijcerentur, dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam* Dei.

Et quot ſunt hodie in Eccleſia Sacerdotes, Paſtores, Doctores, alijque qui ſine pudore, ſiue timore, ſiue fauore, ſiue quocumque reſpectu humano, facillimè ſeſe à bono dimoueri, & plerumque ad malum impelli ſinunt. Quot

Quot ſunt, qui faciem potentis extimeſcentes, & , vt loquitur Sanctus Baſilius, *ad faſtum perſonæ ſublimis toti pauore contracti*, vel veritatem eloqui, vel iuſtitiæ patrocinium ſuſcipere non audent. *in pſ.33*

Quot ſunt qui beneficia vel officia Eccleſiaſtica, fauori, commendationi, importunitati potius quam virtuti, aut merito largiuntur; qui ne amici cuiuſpiam animum offendant, ab Eccleſiaſticæ diſciplinæ tramite quauis oblata occaſione deflectunt: qui delinquentes corrigere, peccantes admonere, proteruos compeſcere, neſcio quo metu vel pudore humano prohibentur.

Quot ſunt ſacris ordinibus initiati, vel muneribus Eccleſiaſticis aſcripti, quos vitioſorum quorumdam conuerſatio, à tonſura, habitu, alijſque vitæ clericalis inſignibus deferendis abſterret; quos ordinum vel munerum ſuorum functiones obire, ſeque Chriſti ſeruos profiteri pudet.

Hi omnes, & ſi qui alij ſint illorum ſimiles feriò perpendere debent terribile illud Chriſti Domini effatum: *Qui me confuſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera & peccatrice, & filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis*: &, *qui me erubuerit, & meos ſermones*, *Marc.8.* *Luc.9.*

mones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua, & Patris & ſanctorum Angelorum. Nempe, vt ait Tertullianus, *confuſioni confuſionem comminatur; ſciebat enim a confuſione vel maximè formari negationem, mentis ſtatum in fronte conſiſtere, prioremque eſſe pudoris quam corporis plagam. Quomodo vero* (inquit Sanctus Cyprianus) *poteſt eſse cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere, aut erubeſcit, aut metuit.*

In Scorpiac.

Neque hic prætermittendi ſunt illi, qui erroris alicuius noui contagione infecti, *dum erubeſcunt corrigere errorem,* vt loquitur Sanctus Auguſtinus, *non erubeſcunt permanere in errore; quod vtique potius erubeſcendum fuit: hoc eſt iſtud quod ſcriptura non tacuit, eſt confuſio adducens peccatum; & eſt confuſio adducens gratiam & gloriam: confuſio adducit peccatum, cum erubeſcit quiſq; prauam mutare ſententiam, ne aut inconſtans putetur, aut diu erraſſe ſeipſo iudice teneatur. Confuſio autem adducit gratiam & gloriam, cum erubeſcit quiſque de propria iniquitate, & pœnitendo, in melius commutatur.*

Ep. 28.

Vt ergo malus iſte pudor, & vanus timor, & quiuis alius reſpectus humanus ab animo Sacerdotis, & cuiuslibet alterius miniſtri Eccleſiaſtici elimineTur; diſcat in primis mundum, & ea

quæ

quæ in mundo ſunt nihili facere, Heb. 11.
ſtudeatque imitari virtutem illius, qui
„ (vt loquitur Apoſtolus) negauit ſe
„ eſse filium filiæ Pharaonis, magis
„ eligens affligi cum populo Dei, quam
„ temporalis peccati habere iucundi-
„ tatem: maiores diuitias æſtimans
„ theſauro AEgyptiorum improperiũ
„ Chriſti. Super quæ verba Sanctus
„ Ambroſius: Moyſes, inquit, noluit in pſ. 118
„ eſſe rex cum poſſet, ſed opprobriũ
„ Chriſti theſauris AEgypti arbitratus
„ eſt præferendum: ſed fugiendo po-
„ tentiam, potentior factus eſt; factus
„ eſt enim in Deum Regi Pharaoni,
„ hoc eſt Regi ipſi terribilis, quem
„ Rex timeret, &c. Et tu ſi vis tan-
„ quã Deus, peccatoribus eſſe terrori,
„ Regibus reuerentiæ, contemne quæ
„ ſæculi ſunt, & Dominicæ Paſſionis
„ opprobrium cõtende omnibus præ-
„ ferre diuitiis.

Præterea iuxta ipſius Apoſtoli monitum, *aſpiciat in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ*: illiuſque diuini Saluatoris veſtigia confectans, animum erigat, & ipſam confuſionem humanam, ipſummet mundi contemptum contemnat; nec quid mundus cogitet, ſed quid Deus iudicet; apud ſe perſpiciat: & ab illius v- Heb. 12.

nius nutu totus pendeat; ac in omnibus quæ facienda, vel omittenda ſunt non hominum opinionem, ſed Dei ſolius voluntatem attendat, Deoque ſoli, non verò hominibus placere appetat, memor illius dicti Apoſtolici, *ſi adhuc hominibus placerem*
Gal. 1. *Chriſti ſeruus non eſſem.*

Denique ardentem in animo foueat charitatem, & facilè humani timoris, aut pudoris ſenſum effugabit; *perfecta ſiquidem charitas fo-*
1.Ioã.4 *ras mittit timorem;* ſtudeat perfectè Deum diligere, & pro nihilo ducet mundo diſplicere, imó gaudebit, & gloriabitur aliquid confuſionis pro Deo ſuſtinere, Sanctorum Apoſtolorum exemplo, de quibus dicitur, quod *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habi-*
Act. 5. *ti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.*

CA-

CAPVT VI.

De inordinato propinquorum affectu, quem Chriſtianus Sacerdos compeſcere debet.

QVam noxius quibuslibet Eccleſię miniſtris, ac proinde quâ ſollicitè cauendus ſit immoderatus ille propinquorum affectus, vel ex ſolemni illo Concilij Tridentini decreto colligere eſt, in quo Eccleſiaſticis quibuſcumque *interdicit omnino, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiaresque ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, iis vt pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrahant, nec diſſipent eius cauſa; imò quam maximè poteſt eos ſancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, vnde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant.* *ſeſſ. 24. c. 1. de ref.*

Certè Chriſtus Dominus diſcipulatus ſui conditiones proponens: *ſi*

Luc. 14. *quis*, inquit, *venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, &c. non poteſt meus eſse diſcipulus*. Super quæ verba ſanctus Gregorius hanc ſibi proponit

hom. 37 in Euãg. difficultatem, *quomodo*, inquit, *parentes & propinquos præcipimur odiſse, qui iubemur, & inimicos diligere?* cuius ſolutionem poſtea proponens: *ſi vim*, inquit, *præcepti perpendimus, vtrumq; agere per diſcretionem valeamus, vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sũt, & quos proximos nouimus diligamus, & quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus*.

Ex qua ſancti Gregorij doctrina intelligere poſſumus, quis ſit ille inordinatus amor propinquorum qui prohibetur, & qua ratione quiuis Chriſti Domini miniſter, iuxta Euangelicam regulam, & propinquos ſancto odio proſequi, & eoſdem ſincera & Chriſtiana charitate complecti debeat. Quotieſcumque enim parentes, aut propinqui vel à bono retrahere, vel ad malum inducere nituntur, verbi gratia, ſi impedimento ſint ne Sacerdos miniſterii ſui functiones debitè exerceat; ne operibus charitatis liberè vacet, ne beneficiorum reditus qui neceſsarijs vitæ & ſtatus expenſis ſuperſunt, in eleemoſynas & alios pios vſus eroget.

Si prohibeant ne vitam ſecundum

Ec-

Eccleſiaſticæ diſciplinæ normam inſti-
tuat, & è contra, ſi ad conuerſatio-
nes periculoſas inducant, ſi curis &
negotiis ſæcularibus implicent, ſi ad
ambitioſa conſilia impellant, aut
tentationis alicuius occaſionem ſub-
miniſtrent, tunc eos tanquam in
via Dei aduerſarios odiſſe & fugere
tenetur.

Imò quamuis nihil eiuſmodi mo-
liantur, ſi tamen ipſe Sacerdos ſen-
ſibili quodam affectu erga parentes,
aut propinquos propendere ſe videat,
diligenter cauere debet, ne affectus il-
le Eccleſiaſtici ſpiritus feruorem ex-
tinguat, aut diuinæ gloriæ zelum vl-
latenus imminuat: Ideoque præſtat
omnes eiuſmodi peccatorum funes ex-
ſcindere, & quaſcumque exterio-
res occaſiones, quæ minus ordinatum
illum amorem fouere poſſunt, ampu-
tare: quod tamen non obſtat quin
veram erga eoſdem charitatem retine-
re, eorumque bonum ſpirituale pro
viribus promouere ſtudeat: *Aliud ete-
nim eſt* (vt obſeruat idem S. Grego-
rius) *quod ſponte impenditur naturæ,
aliud quod præceptis dominicis ex charitate
debetur obedientiæ*, & longe diuerſus eſt
amor qui carnaliter, & qui ſpirituali-
ter impenditur. Sup.

Proindeque vt perfectè diligantur
propinqui, eorum dilectio Chriſti er-

ga nos dilectioni conformari debet, ad hoc amandi ſunt, vt idem S. Pater loquitur, ad quod Chriſtus nos amauit; nec vllum periculum eſt, imò eximium charitatis officium ſi in ſalutis negotio quoad fieri poteſt iuuentur, ſi à peccati occaſione vel ſtatu eruantur, ſi ad virtutis iter capeſſendum excitentur; ſi denique ea omnia bona illis procurentur, vnde illorum æterna fœlicitas, & maior Dei gloria obueniat.

CAPVT VII.

De quibuſdam periculoſis conuerſationibus, contuberniiſque, à Chriſtiano Sacerdote vitandis.

Homil quod Deus nō ſit author malorum.

SIcut in peſtilentibus locis (inquit ſanctus Baſilius) *ſenſim attractus aër latentem corporibus morbum inijcit: ſic in praua conſuetudine, ac conuerſatione, maxima mala hauriuntur, etiamſi ſtatim incommodum non ſentiatur. Siquidem,* vt monet ſanctus Ambroſius, *noxiæ ſũt conuerſationes cum inſipientibus. & inficiunt ſobriam mentem ac decolorant: quia*

li.1.ep.4

ſicut

ſicut adhærens ſancto, ſanctus eris; ita cũ peruerſo peruerſus eris. Frequenter enim accidit, vt quis contra propoſitum ſuum, intemperantem audiens, cum velit ipſe continentiæ diſciplinam tenere, fuco inſipientiæ decoloretur, meritoque contrariæ ſibi ſunt & repugnantes diſciplina, atque inſolentia

Quare quotieſcumque agitur de cõuerſatione, maxima cautio cuiuis Sacerdoti & Eccleſiæ miniſtro adhibenda eſt, vt prauorum & indiſciplinatorum quorumcumque conſortia deuitet: vtque iuxta monitum Apoſtoli, *ſubtrahat ſe ab omni fratre ambulante inordinatè*: Idque non modo propter peruerſionis periculum, *qui enim tetigerit picem inquinabitur ab ea*, & *corrumpunt bonos mores colloquia praua*: ſed etiã propter ſcandalum, quod ex eiuſmodi conuerſatione ſuboriri poteſt: vnde „ Sanctus Hieronymus; Fuge, inquit „ perſonas in quibus poteſt malæ con- „ uerſationis eſſe ſuſpicio; nec paratum illud habeas è triuio, ſufficit mihi conſcientia mea, non curo quid „ de me loquantur homines. Certe „ Apoſtolus prouidebat bona non „ tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ne per illum „ nomen Dei blaſphemaretur in gentibus.

2. Theſſ. 3.

Ep. ad Nep.

Ad hoc autem delectus habendus

li. 1. off. c. 43. eſt eorum quibuſcum quiſque verſetur: *Etenim* (vt monet Sanctus Ambroſius) *neceſſaria eſt conuerſationis electio, vt adiungamur probatiſſimis quibuſque, &c. qui enim cum ſapiente graditur ſapiens erit.* Prou. 13

Quod ſi caſus occurrat, in quo cum peccatoribus neceſſario cõuerſandum ſit, tunc id præcipuo ſtudio curare oportet, *vt ſimus ſine querela & reprehenſione* (vt loquitur Apoſtolus) *in medio nationis prauæ & peruerſæ: inter quos lucere debemus ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes*: & iuxta S. Petri monitum, talis, debet eſſe noſtra conuerſatio, vt peccatores ipſi ex bonis operibus nos conſiderãtes, glorificent Deum in die viſitationis. Phil. 2. 1. Petr. 2.

Sed præſertim viro ſacris miniſteriis addicto, fugiendæ ſunt conuerſationes, & contubernia fœminarum; dici enim vix poteſt, quot & quanta inde damna & ſcandala proueniant. *Prima tentamenta Clericorum* (inquit Sanctus Hieronymus) *ſunt fœminarum frequentes acceſſus; iſte ſexus reprehenſibiles exhibet Clericos: quid tibi reuera cum fœminis qui ad altare cum Domino fabularis? te in publico cuncti, te in agro ruſtici, aratores, ac vinitores quotidie lacerabunt, ſi contra depoſitum fidei, cum fœminis habitare contendis, &c. Mihi* Ep. ad Oceean.

crede

crede, non poteſt toto corde cum Domine habitare qui fœminarum acceſſibus copulatur.

Atque in primis commoratio in eadem domo cum quacumque muliere, (ſi mater, vel ſoror, aut amita, ſeu matertera excipiantur) interdicta eſt ijs, qui ſacris miniſterijs addicti ſunt, idque toties repetitis Conciliorum decretis, vt nihil magis Eccleſia in votis habuiſſe videatur, quod videre eſt in illis, quæ ad marginem citata repenentur. Certè in Concilio Agathenſi, quo deeſt ex antiquiſſimis noſtræ Galliæ, peculiari decreto ſancitum eſt, *vt ancillæ ab eadem manſione, in qua Clericus manet, remoueantur.* Et in Concilio Moguntino (vt habetur capite (*inhibendum eſt*) extra de cohabitatione Clericorum & mulierum, prohibetur *ne Sacerdos, etiam mulieres illas quas canones concedunt, matrem, amitam, & ſororem, ſecum in eadem domo retineat: quia inſtigante diabolo, & in illis ſcelus perpetratum reperitur, aut etiam in pediſſequis earum*, & Sanctus Gregorius refert quod *beatus Auguſtinus, nec cum ſorore habitare conſenſerit, dicens, quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.*

In Cōc. Niceno c.3. Carthag. 3. cap. 17. Carthag. 4. cap. 46. Aurel. 3 cap. 4. & Tur. 2. c. 10. Tolet. 4. c. 41. Nannetenſ. c. 3 Metenſ. c. 3. Agath. c. 11.

Præſtat ergo (vt cum S. Cypriano loquamur) *ſingularitatem laborioſam pro pudore ſeruando potius retinere, quam*

lib. 7. ep. 39.

Ei de ſingular. Clericor. *quam ſine labore ad dedecus peruenire.*

Neque ſolum commoratio, & contubernium fœminarũ à quouis Chriſti miniſtro vitari debet, ſed & cõuerſatio & familiaritas nimia cum perſonis illius ſexus cauenda eſt, & omnino improbanda illorum viuendi ratio, *qui* (vt loquitur S. Proſper) *aſſuunt ſe virginibus ſacris, aut viduis; ipſiſque tanto agglutinantur affectu, vt facilius ab Eccleſia (quod dictu quoque nefas eſt) quam ab earum communione diſcedant; qui etſi cũ illis forte non peccant, tamen malæ ſuſpicionis de ſe præbendo materiam, vitam ſuam maculis ſiniſtræ opinionis infamant.*

Lib. 2. de vit. act. c. 4.

Sane S. Hieronymus obſeruauit, ex illo Sacerdotum, Clericorumue glutino cum mulieribus, obortas eſſe in Eccleſia perniciosiſſimas hæreſes, ipſiſque hæreſiarchis familiare fuiſſe cum mulieribus habere colloquia, congreſſus, & frequentes conſiliorum communicationes: *Simon* (inquit) *Magus hæreſim condidit* Helenæ *meretricis adiutus auxilio*: Nicolaus *Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœmineos*: *Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet*: *Apelles* Philumenem *ſuarum comitem habuit doctrinarum*, Montanus *immundi ſpiritus prædicator, multas Eccle-*

Epiſt. ad Creſiphont.

cleſias per Priſcam & Maximillam nobiles, & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit, &c. Arrius vt orbem deciperet, ſororem principis ante decepit. Donatus per Africam, vt infœlices quoſque fœtentibus pollueret aquis, Lucilia opibus adiutus eſt.

Quare danda eſt opera, inquit S. Baſilius, *vt quantum fieri poterit mulierum colloquia congreſſuſque fugiamus ſin id non poſſit, in eo enitendum eſt certe, vt quam rariſſimè illa, & quam breuiſſimè fiant*. *Etenim*, vt monet Sanctus Cyprianus, *ſunt aliqua neceſſitates quæ nos quoque priuatim fœminas videre compellant, ac etiam ipſa diuini operis, vel præcepti imperant efficaciam; vt viſamus, vt ſolatia præbeamus, vt hortamenta vitalia ſalubriter intimemus: nec tamen & in his officijs minor cura agenda eſt pro moribus noſtris, vt clareſcant in noſtra operatione indicia puritatis; ſeueritas non deſit, quæ cum clerico fœminam poſſit aſtringere, vt ipſam conſolationem noſtram ſuſcipiat cum tremore, & ita ſentiat viſitationis affectum, vt Clericum veneretur.* *in conſt. c.4* *Lib. de ſing. cler.*

Et vt capitulum iſtud ijſdem verbis concludamus quibus ſanctus ille Pater librum aureum *de ſingularitate Clericorum*, & digniſſimum qui „ à quolibet clerico ſæpius euoluatur: perditionis meditatio eſt (inquit)

„quit) frequentatiuum inter mulieres
„celebrare proceſſum, de qua re no-
„bis Salomon moderamen impoſuit,
„dicens; In medio mulierum noli aſſi-
„duus eſſe: Sic igitur ambulate, ſic
agite, vt ſemper in Clericis Eccleſiæ
„Senatus candidus conſtet. Seueritas
„in vobis erga fœminas vigeat, au-
„thoritas polleat, vigor teneatur, gra-
„uitas veneretur. Et vt ſemel omnia
„colligamus ad clauſulam, breuiariũ
„relegimus vobis, quod ad compen-
„dioſam plenitudinem redigens Pau-
„lus Apoſtolus inſinuat. De cætero
„fratres, quæcunque ſunt vera, quæ-
„cumque pudica, quæcumque iuſta,
„quęcumque ſancta, quæcumque
„amabilia, quæcumque bonæ famæ,
„Si qua virtus, ſi qua laus diſcipli-
„næ, hæc cogitate quæ accepiſtis,
„& didiciſtis & audiſtis, & vi-
„diſtis in me, hæc agite, &
„Deus pacis & dilectio-
„nis erit vobiſcum.
„Amen.

CA-

CAPVT VIII.

De frænanda potus, cibique in Chriſtiano Sacerdote intemperantia.

NVllus *palmam ſpiritualis certaminis apprehendit*, vt loquitur Sanctus Lib. 31.
Gregorius, *qui non in ſemetipſo prius per* mor.
afflictam veneris concupiſcentiam, carnis c. 26.
incentiua deuicerit: neque enim ad conflictum ſpiritualis agonis aſſurgitur, ſi non prius intra noſmetipſos hoſtis poſitus gulæ videlicet appetitus edomatur.

Cum ergo Sacerdos in ſpirituali agone non militis modo, ſed & ducis reſpectu aliorum Laicorum partes ſuſtineat, hinc ſequitur illum aduerſus omnia intemperantiæ tentamenta probè inſtructum eſſe oportere: *Confuſio certè & ignominia eſt* Ieſum Chriſtum
crucifixum, pauperem, & eſurientem far- Cap. Ec
tis prædicare corporibus; & ieiuniorum cleſiæ
doctrinam rubentes buccas, tumentiaque princi-
ora proferre. Et quamuis eiuſmodi ſcan- pes, diſt.
dalum vtcumque tegatur in ijs, qui ne- 35
que Chriſtum, neque ieiunium prædicant, intemperantiæ tamen vitium

adeo

adeo ex ſeipſo, non modo indecorum, ſed & virtutibus quibuſcumque noxium & aduerſum eſt, vt Sacerdotibus & Clericis præcipuo ſtudio cauendum eſſe cenſeatur. *Væ, væ, tibi clerice* (exclamat ſanctus Bernardus) *mors in olla, mors in delicijs eſt; non modo quia ſecus introitum delectationis poſita eſſe cognoſcitur, ſed ob id maximè quia populi conſtat eſſe peccata quæ comedis.*

In declamat.

Porro cum huius vitii tentatio plurimis ſeſe modis ingerat, varijque ſint occurſus, in quibus virtus illi oppoſita periclitatur; nihil tamen hic de irritamentis ebrietatis dicere nobis propoſitum eſt, cum adeo infame & fœdum ſit vitium iſtud in quolibet homine, vt inſtar monſtri, ac prodigij habeatur in Sacerdote: quod ſi quiſpiam ex illo gradu, in hoc pluſquam beſtiale vitium deuolueretur: iam non vt Sacerdos, imò ne quidem vt homo rationis particeps, ſed vt viliſſimum crapulæ mancipium frænari, & in ordinem redigi promereretur.

Cum vero (vt ait Caſſianus) *non ſola vini crapula mentem inebriare conſueuerit, verum etiam cunctarum eſcarum nimietas vacillantem eam, ac nutabundam reddat, omnique integritatis, ac puritatis contemplatione deſpoliet*: ideo cuilibet Eccleſiaſtico miniſtro ſicut in potu, ſic etiam in cibo intemperan-

Lib. 6. inſtit. c. 6.

ria omnis vitanda eſt, & frugalitas ſedulo conſectanda; ac in primis ipſius intemperantiæ occaſiones quæcumque fugiendæ, quæ ſicut in tabernis, comeſſationibus, compotationibus, conuiuiis, frequentiores ſunt, & periculoſiores, ſic etiam peculiari cura ab illis omnibus, & aliis ſimilibus gulæ illecebris Sacerdoti cauendum eſt: ac præſertim quoniam interdum ad conuiuia Laicorum ſpecie honeſtatis ipſi Sacerdotes aduocantur, Eccleſia tamen eiuſmodi frequentius adeunda Clericis prohibuit: *Conuiuia*, inquit Concilium Aquileieñſe, *& nimiam laicorum familiaritatem, multarum offenſarum & ſcandalorum originem, Clerici in quocumque gradu conſtituti, declinare ac fugere debent*: & in tertio Concilio Rauennatenſi edicitur, *ne Clerici Laicorum conuiuia frequentent; quia valde honeſtatem dedecet clericalem, ipſorumque clericorum vileſcere facit authoritatem. Siquidem*, vt ait D. Hieronymus, *facilè contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium, ire non recuſat. Quare*, vt ibidem ſubdit, *conſolatores nos potius ipſi laici in mœroribus ſuis, quam conuiuas in proſperis nouerint*.

can. decuit. & hon. cler

ep. ad Nep.

Neque ſolum in lautioribus conuiuiis, ſed & priuatis eduliis violatur

tem-

temperantiæ lex,ſi auidè nimis,aut immoderatè ſumantur. *Noli auidus eſſe in omni epulatione*, inquit Sapiens, *& non te effendas ſuper omnem eſcam*, & D. Hieronymus, *ex viliſſimis etiam cibis*, inquit, *vitanda eſt ſatietas; nihil enim ita obruit animum, vt venter plenus & exaſtuans*.

Eccl,37 l.b.2.in Iou.

Collat.2 c.23.

Caſſianus autem conſtituendum eſſe docet, *hunc generalem continentia modum, vt ſecundum capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis, tantum ſibimet cibi vnuſquiſque concedat, quantum ſuſtentatio carnis, non quantum deſiderium ſaturitatis expoſcit*. Et quamuis exquiſiti & lautiores cibi à menſis Sacerdotum, Clericorumque abeſſe debeant, tamen, vt monet Sanctus Gregorius, *non tam cibus, quam appetitus in vitio eſt, & plerumque culpa committitur, etiam cum abiecta & vilia ſumuntur*.

lib. 10. mor. c. 27.

Quare vt recte concludit Ludouicus Bloſius) *cum neceſſe ſit ſingulis diebus cibo, potuque vti, ingluuieſque à pleriſque ſuperari difficilius ſoleat, quam cætera cordis vitia: ideo inuigilet vir ſpiritualis*, qualem decet eſſe Sacerdotem, & quemuis Eccleſiæ miniſteriis aſcriptum, *in quotidiana aduerſus gulam pugna, & Dei auxilium ſedulo imploret, ne vincatur: indecentem auiditatem; turbulentamque* cu-

In Enchir. paruul. docu.11

cupiditatem inter edendum, etiam in ſimplicibus eſcis franet, ipſum cibum modeſtè ſumens, & eum honeſtè ſenſimque mandens. Et *quamquam delectationem terrenam ſentiat (ſine qua refectio corporalis ab homine famente vel ſitiente nequaquam ſumitur) non tamen eidem delectationi inhæreat, neque eam ad intima ſua admittat,* & *ſanè qui piè ſecum retr. ctat atque recogitat,* Dominum Ieſum *fel, & acetum, pro nobis guſtaſse, facilius gulæ illecebras ſpernit; facilius delitiis eſcis, ac potibus carere poteſt; atque ipſamet delicioſa edulia æquè temperanter & incultè ſumit ſicut minus ſapida & vilia.*

CAPVT XIV.

De oris & linguæ cuſtodia Chriſtiano Sacerdoti maximè neceſſaria.

SI *quis* (inquit Apoſtolus) *putat ſe Religioſum eſse non refrānans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt Religio.* Super quæ verba Sanctus Bernardus, poſtquam dixit: *virtutis Religionis, quæ diuini cultus mi-* Iac.1. Trac.de paſſ. Dom.c. 27.

niſtros præſertim ſpectat, proprium eſſe, religare linguam; ac ſine ipſius linguæ religatione vanam Religionem eſſe, ſubiungit; *ſciunt homines ſpirituales quantũ auferat deuotionis, quantum afferat diſſolutionis intrinſecus, frequens linguæ reſolutio: periculum etenim eſt non ſolum falſa dicere,* vt ait S. Ambroſius, *ſed*
in pſalm 118. *etiam vera, ſi quis ea inſinuet quibus non oportet.*

Neque verò hic intendimus diſſerere de cohibenda lingua à periurijs, blaſphemijs, calumnijs, contumelijs, alijſque ſimilibus vitijs, quæ inter Sacerdotes ne quidem nominari debent, *ſicut decet Sanctos*: ſed quibuſdam alijs linguæ deliquijs, quæ licet non ita vituperabilia in ore Laicorum videantur, maximè tamen à quouis Sacerdote cauenda ſunt: *Nugæ ſiquidem*, vt ait S. Bernardus, *inter ſæ-*
lib. 2. de conſid. c. 15. *culares, nugæ ſunt, in ore autem Sacerdotis blaſphemia.*

Ac in primis vana & otioſa colloquia eſſe, ſatis euincit illud Chriſti Domini effatum: *Amen dico vobis*
Mat. 12. *quoniam omne verbum otioſum quod loquuti fuerint homines reddent ratio-*
in illum locum. *nem de eo in die iudicij.* Otioſum autem verbum illud eſt, vt explicat „ ſanctus Hieronymus, quod ſine
Hom. 6. in Euãg „ vtilitate & loquentis dicitur & au-

„ audientis : vel, vt docet ſanctus „ Gregorius, quod aut vtilitate re„ ctitudinis; aut ratione iuſtæ neceſ„ ſitatis caret; vel denique (vt cen„ ſet ſanctus Bernardus) otioſum „ illud verbum eſt quod nullam ra„ tionabilem cauſam habet : quæ „ igitur ratio, inquit ille S. Pater, „ reddi poteſt de eo quod eſt præter „ rationem : nemo itaque parui æ„ ſtimet tempus quod in verbis con„ ſumitur otioſis, ſiquidem nunc „ tempus acceptabile eſt, & dies ſa„ lutis, volat verbum irreuocabile, „ volat tempus irremeabile, nec ad„ uertit inſipiens quod amittat. *Hom. 6. in Euãg.* *Serm de triplici cuſtod.*

Quod ſi verba otioſa & inutilia deuitanda ſunt, multo magis verba ſcurrilia & petulantia, quæ modeſtiæ aduerſantur, & ſæpè charitatem lædunt. Sanè in Concilio quarto Carthaginenſi decernitur : Clericum „ ſcurrilem, & verbis turpibus iocula„ tem ab officio remouendum eſſe: „ & in Concilio Tridentino edicitur, „ *tanquam* diuini verbi temeratores, „ & violatores, acrioribus pœnis co„ ercendos eſſe eos, qui ſententias & „ verba ſacræ Scripturæ ad ſcurrilia „ & vana conuerterint. *cap 6.* *ſeſſ. 4.*

Præterea ſanctus Apoſtolus dilectum ſibi Timotheum, & in eius perſona quemcumque ſacris miniſterijs *2. ad Tim. 2.*

1. Cor. 11 mancipatum admonens: *Noli*, inquit, *contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* Et alio in loco, *ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.*

2.2.q. 38.ar.1 Obſeruat autem D. Thomas verborum contentionem vituperabilem eſſe; proindeque deuitandam, non modo cum quis veritatem pertinaciter impugnat, quod proprium eſt hæreticorum; verumetiam cum etſi veritatem propugnet, & ad euertendam falſitatem diſputet, id tamen facit modo inordinato, verbi gratia, eo geſtu, eo vocis ſono, ijs verbis, quæ & modeſtiæ minimè congruant, & audientium ædificationi obſint. Quod ſimili ratione intelligendum eſt, quando quis aduerſus alterum, de quibuſcumque rebus contendit, vel abſque ſufficienti ratione, vel præter debitum moderamen ipſius rationis.

Sicut contentio, ſic etiam diuerſa quidem, ſed adhuc potiori ratione adulatio omnis, & aſſentatio ab ore Sacerdotis procul eliminanda eſt, vt enim docet D. Hieronymus; *Adulari proprium eſt hæreticorum, qui per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Et D. Chryſoſtomus aſſerit, *longè peius eſſe collaudare delinquentes, quam delinquere: ſiquidem*

lib. 1. cont. Pelag.

Hom. 2. de Dauid & Saul.

dem is qui dum peccat, condemnat interius peccatum ſuum, poterit aliquando ad ſe redire: at qui laud at malitiam, is ſe priuauit curatione, quam affert pœnitentia.

Et tamen in ea tempora deuenimus in quibus, quod de ſuis conquerebatur D. Hieronymus, *maximè regnat hoc vitium*, vtinam ne in Sacerdotibus & alijs Eccleſiæ miniſtris, *quodque eſt grauiſſimum, humilitatis ac beneuolentia loco ducitur, vnde fit, vt qui adulari neſcit, aut inuidus, aut ſuperbus putetur.*

De vitio detractionis nihil attinet hic dicere, cum eo manifeſtius ſit & cognitu facilius, quo inter homines hodie frequentius perpetratur. Hoc tantum admonemus ex eodem Sancto Hieronymo, *paucos admodum eſse qui huic vitio renuntient; raroq; inueniri, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam: tantamq; huius mali libidinē mentes hominum inuaſiſse, vt etiam qui procul ab alijs vitijs receſserunt, in iſtud tamen quaſi in extremum laqueum incidant.* Sup.

Quare peculiari ſollicitudine cuilibet viro Eccleſiaſtico inuigilandum eſt, ne vlli vnquam detractioni os ſuum aperiat, ne in colloquijs aut conuerſationibus, alterius famam vllo modo impetat: & ſi aliqua iuſtitiæ, vel charita-

tis ratio ad aperienda alterius delicta compellat, id non niſi cum ſumma conſideratione & cautione præſtet, neque vltra preſcriptas ſibi recta ratione metas vllatenus euagetur.

Sup. De mendacio ſimiliter ac iuramento, illud ſolummodo cuiuis Sacerdoti ex eodem Sancto Hieronymo proponimus, *mentiri, & iurare lingua tua prorſus ignoret; tantuſque in te ſit amor veri, vt quicquid dixeris iuratum putes.*

Sup. Quoniam verò hæc, quæ ſupra relata ſunt linguæ vitia, aliaque ſimilia non ſufficit agnoſcere ac deprehendere, niſi etiam iiſdem curandis ſedulo incumbatur: idcirco remedia aliqua hic ſubiungemus, ex Sanctis Patribus excerpta, quibus vti poterunt, qui ſe illis indigere conſpicient.

Supr. Primo igitur (iuxta præfati Sancti Hieronymi doctrinam) *Sermo in omnibus ſit moderatus & parcus; & qui neceſſitatem magis loquendi indicet, quam voluntatem. Etenim in multiloquio non deerit peccatum,* vt monet Sapiens, *qui* Pro.10. *autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt;* vnde Sanctus Ambroſius, *com-* Lib.1 of fic. c. 2. *plures,* inquit, *vidi loquendo peccatum incidiſſe, vix quemquam tacendo; ideoq; tacere noſſe quam loqui difficilius eſt: ſcio namque loqui pleroſque, cum tacere neſciant:*

ſciant: rarum eſt tacere quum nunquam, cum ſibi loqui nihil proſit; ſapiens eſt ergo qui nouit tacere: denique ſapientia Dei dixit, Dominus dedit mihi linguam eruditionis vt ſciam quando oporteat ſermonem dicere.

Præterea (vt idem S. Pater alia occaſione docet) *ſapiens vt loquatur, multa prius conſiderat, quid dicat, & cui dicat, quo in loco, & tempore*: & (vt ait Sanctus Gregorius) *fræno conſilij retinet præcipitationem verbi; & caute conſiderat, ne relaxando lingua laſciuiam, auditorum conſcientiam incauta locutione transfigat.* ſup.c.10 Lib.5 mor.c. 12.

Quod ſi pruritus aliquis linguam ad loquendum efferat; *alliga ſermonem tuum* (inquit ſanctus Ambroſius) *ne luxuriet, ne laſciuiat, & multiloquio peccata ſibi colligat; ſit reſtrictior, & ripis ſuis coerceatur; ſit ori tuo oſtium, vt claudatur vbi oportet, & obſeretur diligentius.* Et Sanctus Chryſoſtomus; *Refræna* (inquit) *linguam, & ſi non patitur reticere, dentium morſu quieſcat, & tanquam carnifici dentibus tradatur. O quantum fructum affert,* (exclamat S. Gregorius Nazianzenus) *pulſato intus atque incitato pectore, linguam loqui geſtientem interdum cohibere.* Lib.1.of fic,c.3. Orat,ad bapti-ſand. Eccli.22

Verum iuuat hic cum ſapiente conqueri, *quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt*

non cadam ab iſſis, & lingua mea perdat me? omnes enim natura beſtiarum & volucrum, & ſerpentium, & caterorum domantur, vt ait Apoſtolus, *& domita ſunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare poteſt.*

Iacob.3

Ser.3.de verb. Dom. *Quare,* vt monet Sanctus Auguſtinus, *ſi linguam nullus hominum domare poteſt, ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram*: ideoque cum eodem ſæpius inclamandum, *quotidiana fornax eſt lingua noſtra. imperas nobis & in hoc genere continentiam: da quod iubes, & iube quod vis? tu noſti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum* Et cum Propheta; *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantia labijs meis*; & rurſus, *Domine labia mea aperies & os meum annunciabit laudem tuam.*

Lib.10. confeſſ. cap.37.

Pſ.140

Pſal.50

CA-

CAPVT X.

De otioſitate à Sacerdote Chriſtiano fugienda.

FVgienda otioſitas, inquit S. Bernar- Lib. 2. de
dus, *mater nugarum, nouerca vir-* conſid. c.
tutum; multam quippe malitiam do- 13
cuit otioſitas. Sicut enim per rimam ſen- Eccli. 33
tinæ, vt idem alio in loco dixit, *aqua* Serm. de
latenter intrat, & *excreſcit, donec na-* S. An-
uis per nautarum incuriam demergatur; dreæ.
ita ex otioſitate, & ignauia, cogitatio-
nes prauæ, & concupiſcentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eis ſuccumbens in peccato periclitetur.

Sed maximè Sacerdotibus hoc vitium fugiendum eſſe conſtat, ex eo quod ipſe Chriſtus Dominus edixit, in perſona diſcipulorum ſuorum, cunctos Eccleſiæ ſuæ miniſtros alloquens. *Ego* (inquit) *poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*: non vtique vt otio torpeatis, vt inutiliter tempus teratis, vt inanes & vacuos dies elabi ſinatis; ſed vt eatis, & fructum afferatis.

Vnde in Concilio quarto Mediolanenſi dicitur, quod *vnuſquiſque Clericus illud apud ſe repetere debet, ſe non ad inertiam & ignauiam, ſed ad ſpiritualis & Eccleſiaſticæ militiæ labores vocatum eſſe.*

Tit. de vit. et honeſt. Cleric.

Sane *inter pleraq; alia quæ Deus ſpeciali odio proſequitur* (vt monet ſanctus Baſilius) *vna hæc eſt otioſitas ſeu ceſſatio ab his, quæ nos ex officio attinet facere.* Otioſus, nempe Sacerdos, vel Clericus, ficulnea eſt illa infructuoſa, plantata in vinea Domini, de qua poſt plurium annorum patientiam, tandem iudicium illud fertur. *Succide illam, vt quid etiam terram occupat. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

in cap. 1. Iſa.

Luc. 13.

Mat. 20

Porro huius vitæ quam currimus tempus (vt monet Spiritus ſanctus in varijs Scripturę locis) eſt tempus ſementis: in hac vita licet nobis, quod volumus ſeminare, cum iſta vita tranſierit, operandi tempus auferetur. Vnde & Saluator ait; *Operamini dum dies eſt, veniet nox quando nemo poteſt operari.* Cum igitur *tempus illud adeo breue ſit, & prætereat figura huius mundi*, cauendum maxime eſt ne inutiliter elabatur; *Nolite errare* (inquit Apoſtolus) *Deus non irridetur, quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem,*

Ioan. 9.

1. Cor. 7

Galat. 6

nem, qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternã, & rurſus alio in loco. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet;* ac demum *vnuſquiſque proprium mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem.* 1.Cor.3

Vt igitur pernicioſum illud otioſitatis vitium effugiat quiuis Eccleſiæ miniſterio aſcriptus, aduertat duplex eſſe otioſitatis genus, & vtrumque maxime cauendum.

Primum eſt, cum quis nihil agit; quodquidem quamuis nemini probetur, non infrequenter tamen in pleriſque Sacerdotibus reperitur, idque cum ingenti totius ordinis Sacerdotalis dedecore: quot enim videre eſt in pagis, villis, caſtellis, alijſque locis, qui vbi officium, ac miſſam qualitercumq; abſoluerint, maximam diei partem, ſedentes, otianteſque, aut deambulantes in propatulo, vanis confabulationibus cum quibuſcumque obuijs inſumunt: interim dum alij ſæculares varijs laboribus diſtenti *in ſudore vultus ſui veſcuntur pane ſuo.*

Secundum eſt, cum quis aliud agit, quam eius debitum exigat, v. g. cum Sacerdos tempus illud omne quod illi ab officio & miſſa ſupereſt impendit curis ſæcularibus, negotiationibus, litigijs, aut etiam ludis, venationibus, Geneſ.3.

in ſpecul. & alijs ſimilibus *otioſis occupationibus* (vt loquitur Bloſius) & à Clericali munere alienis. Et vtrumque hoc otij genus cuiuis Eccleſiæ miniſtro æque fugiendum eſt, cum in vtroque non modo temporis iactura, ſed & populi Chriſtiani ſcandalum, & Eccleſiæ dedecus, & Diuini Numinis offenſio reperiatur.

Ad hos proinde atque ad illos pertinet illa S. Apoſtoli denuntiatio, *quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet*: Et maxime vtriſque timendū eſt; ne vnūquemq; illorū attingat euangelica hæc condemnatio, *inutilem ſeruum eÿcite in tenebras exteriores.*

2. Theſſ. 3.

Matth. 25.

Quod quidem vt ab ipſis deuitetur, vtque conuenienter ac fructuoſe impendatur tempus; vtiliſſimum ac ſaluberrimum ipſis erit ordinem ſibi agendorum proponere, & quid quaque diei parte faciendum ſit, ſibi præſcribere: v.g. qua hora ſurgendum, quando & qua ratione meditationi vacandum, horæ recitandæ, Miſſa celebranda? ſtudiis incumbendum, operibus charitatis, aut honeſtæ & vtili conuerſationi vacandum, refectioni, & recreationi alicui modeſtæ indulgendum, & alia ſimilia muneri ſuo conuenientia, aut certe ab ipſo minime aliena præſtanda; itaut *non defraudetur quis à die bona,*

Eccl. 14.

nec

nec vlla diei bona particula illum prætereat.

Proderit etiam ſalubre illud Petri Bleſenſis monitum: *Redde conſcientiæ tuæ de quotidianis actibus rationem; vide ſi diem & noctem ſine cuiuſque peccati macula tranſegiſti, ſin minus legiſti, & oraſti, & ſcias non modicam eſſe temporis iacturam quod in otio aut fabulis impenditur. Tu te omnibus exhibe, cogitans te omnium ſeruum, nec tibi ſed cunctis genitum te viuere credas, datum in doctis doctorem, conſolatorem ſolatiumque oppreſſorum, patrem orphanorum, defenſorem viduarum, & omnibus debitorem.* *De inſtit. Epiſc. ca. 4.*

CAPVT XI.

De modo cuiuis Sacerdoti in ludis, & recreationibus tenendo.

Animo, corporique relaxationem aliquam quandoque indulgendam eſſe dicit Gebennenſis antiſtes, in tertia Philotheæ ſuæ parte; *cap. 31.* idque probat Diui Ioannis exemplo & dicto, ex Caſſiani libris relato; vnde concludit, non modo ab humanitate, ſed & à virtute alienum eſſe

 adeo

adeo rigidum ac ferum ſe præbere, vt neque ſibi, neque alijs vllam relaxationem recreationemq; permittere quis velit.

Porro in quibuſcũq; recreationum generibus, quæ à Sacerdotibus, alijſque perſonis Deo ſacris vſurpari poſſunt, tria maxime obſeruari conuenit.

Primum eſt, vt nihil in illis reperiatur quod Diuinis vel Eccleſiaſticis legibus ſit prohibitum; & de Diuinis quidem legibus nulla eſt difficultas; de Eccleſiaſticis autem, certum eſt
Sup. quædam eſſe ludorum, & recreationum genera Clericis interdicta, v. g. alearum; quarum probitionem præfatus Antiſtes etiam ad ipſos Laicos extendit: & varijs rationibus illius prohibitionis æquitatem probat.

In Canonibus certe Apoſtolicis,
can. 42. excommunicationis cenſura plectendus edicitur Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus aleis ludens; quia pœna etiam cuiuis Clerico aleatori, in ſexta Synodo Generali infligenda
can. 50. decernitur.

Simili ratione ex varijs Conciliorum decretis conſtat ſpectacula hiſtrionum, mimorum, aliorumque eiuſmodi, Clericis eſſe interdicta: *Non oportet*, inquit Concilium Laodicenum, *miniſtros altaris, vel quoslibet*

Clericos, ſpectaculis quæ in ſcenis exhibentur intereſſe: quod & ſimiliter prohibitum reperitur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio, cap, 16. in Concilio Pariſienſi ſub Ludouico & Lothario l. 1. cap. 38. & permultis alijs. can. 54.

Venatio item, illa præſertim, quæ fit cum ſtrepitu, & clamore, interdicitur Clericis, in Concilio Romano ſub Eugenio ſecundo cap. 12. Agathenſi, cap. 55. & alijs. Appoſitè ſanctus Hieronymus; *Eſau, inquit, venator erat, quoniam peccator erat, & penitus non inuenimus in ſcripturis ſanctis ſanctum aliquem venatorem*. cap. 2. Mich.

In Concilio Senonenſi prohibetur, *ne Clerici publicè ludant pila, aut alijs ludis, maximecum Laicis*. Præſcribiturque vt à ludo alearum, cæteriſque qui à ſorte pendent abſtineant, neque ludentium fautores, ſpectatores, aut teſtes exiſtant. Quod item rigidiùs adhuc in Concilio Mediolanenſi 4. interdicitur. an. 528. c. 25.

Neque dicat quis in pleriſque ex ludis illis aut recreationibus prohibitis, nihil ineſſe mali: nam præterquam quod in eis multa reperiuntur, quæ ſtatus Eccleſiaſtici ſanctitatem parum decent: Sanè (vt ſapienter dixit ſanctus Ambroſius) *quid intereſſet inter populum & Sacerdotem, ſi ijſdem aſtrin-*

ge-

gerentur legibus: debet vtiq. præponderare vita Sacerdotis, ſicut præponderat gratia.

Secundum quod Sacerdotes & Clerici in ludis & recreationibus obſeruare debent, eſt, vt nihil in illis fiat aut reperiatur quod ſcandalum, aut offenſionem aliquam proximo afferre poſſit: *omnia mihi licent*, aiebat Apoſtolus, *ſed non omnia expediunt*: pleraque animi relaxandi cauſa inculpabiliter fieri & dici poſſunt priuatim inter ipſas perſonas Eccleſiaſticas, quæ coram quibuſdam Laicis forſan reprehenſioni obnoxia viderentur: proindeque ipſis ſollicitè cauendum eſt ne tali vtantur licentia: *quæ*, vt loquitur Apoſtolus, *offendiculum fiat infimis; ſic enim peccantes in fratres & percutientes eorum conſcientiā infirmam in Chriſtum peccant.*

1. Cor. 6.

1. Cor. 8.

Tertium denique eſt, vt in ipſis recreationibus & ludis, modus debitus obſeruetur, vitetúrque quiuis exceſſus, ſiue in tempore quod ludo & recreationi conceditur: ſiue in ipſius ludi expenſis, ſiue in ludendi affectu; quantumuis enim inculpata & honeſta ſit aliqua recreatio, vt rectè monet Antiſtes Gebennenſis, nimius erga ipſam affectus ſemper vitioſus eſt; in ludendo quidem delectationem aliquam percipere licitum eſt, nuſquam

Sup.

quam tamen cor & affectum ludo apponere, ita vt ipſe ludus cum ardore quodam animi quæratur, aut expetatur.

CAPVT XII.

De procurationibus rerum ſæcularium, aliiſque mundi negotiationibus & curis à Chriſtiano Sacerdote fugiendis.

NEmo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus, inquit Apoſtolus, *vt ei placeat cui ſe probauit.* Ea namque conditione Sacerdotes & Clerici nomen Chriſti militiæ dederunt, ea lege in eius caſtris profitentur, *vt expediti ab omni ſæculi præſentis impedimento, intrepidi in prima acie perſiſtentes, poſt palmam victoriæ triumphatricis, gloriæ coronam, ab eo Rege qui de antiquo hoſte triumphauit, ſuſcipere mereantur.* 2. Tim. 2. Conc. Foroiul. can. 5

Miles ſane, vt ait Sanctus Baſilius, *non domos ædificat, non comparat agros, non vacat mercaturæ; in plateis tabernaculum ſibi ponit, cibum ſola neceſſitate me-* In Aſcetic ſer. 1.

metitur, ſomni tantum, quantum natura requirit: itinera frequentia, itemque vigiliæ, acris ad frigora, caloreſque tolerandos patientia: periculoſorum cum aduerſarijs certaminũ crebra ſuſceptio; & in ijs ſæpe ſi ita fors ferat, glorioſa mors, &c.

„Age igitur, ò miles Chriſti, qui „iam tenuia hæc ex rebus humanis „exempla inſpexeris, ſubeat animum „tuum ſempiternorum bonorum „cogitatio; ſolutus eſto, atq; ab „omnibus vitæ curis liber, &c. Si „quis, inquit Chriſtus, mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ego ſum, „illic ſit & miniſter meus; vbi ergo „Chriſtus Rex noſter eſt? in cælo „haud dubiè; huc proinde tuus tibi, „ò miles Chriſti, dirigendus eſt curſus; obliuiſcere quicquid hic in „terris impedimenti haberi poteſt. „Optimè & appoſitè ſanctus Ambroſius: Cui portio Deus eſt, inquit, nihil debet curare niſi Deum, „nec alterius impeditur neceſſitatis „munere; quod enim ad alia officia „confertur, hoc Religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur, „Hæc enim vera eſt portio Sacerdotis „abdicatio domeſticorum, & quædam alienatio chariſsimorũ vt ſuis ſe „abneget, qui ſeruire Deo elegerit. „Et Petrus Bleſenſis: Vacuum, inquit, à ſæcularibus oportet eſſe animum diuinæ

id. ibid.

Lib. de fuga ſæculi & refertur 12. q. 1. c. cui portio.

,, uinæ ſeruitutis obſequio conſecra-
,, tum: Magnis addictus es, noli mi-
,, nimis occupari: minima, & vilia ſunt,
,, quæcumq; ad ſæculi quæſtus, & non
,, ad lucra pertinent animarum.

Et hæc quidem attendens ſancta Ecclesia, ſollicitè cauit, ne Sacerdotes alijque ſacris miniſteriis aſcripti, rerum ſæcularium procurationibus, aut mundi curis, negotijſue implicarentur: ſuper qua re inſigne præ cæteris eſt decretum Concilii Calcedonenſis quod hic exſcripſimus.

,, Peruenit ad Sanctam Synodum,
,, quia de ijs qui in Clero cõnumeran- *Cap. 5. et*
,, tur, quidam propter turpis lucri gra- *idem cõ-*
,, tiam alienarum poſſeſſionum con- *ſtitutum*
,, ductiones, & cauſas ſæculares ſuſci- *habatur*
,, piunt, & à ſacris quidem officiis ſe *in conc.*
,, per deſidiam ſeparant, ad domos au- *Later.*
,, tem ſæcularium concurrunt, & ſub- *ſub In. 3*
,, ſtantiarum eorum gubernationes a- *c. 16. &*
,, uaritiæ cauſa ſuſcipiunt. Decreuit er- *in conc.*
,, go ſancta Synodus, nullum Cleri- *Later.*
,, cum deinceps, aut Monachum con- *ſub A-*
,, ducere poſſeſſiones, aut miſceri ſæ- *lex 3. c.*
,, cularibus procurationibus, niſi fortè *12.*
,, qui legibus ad minornm ætatum tu-
,, telas, ſiue curationes inexcuſabiles
,, attrahitur: aut cui ciuitatis ipſius E-
,, piſcopus Eccleſiaſticarum rerum cõ-
,, miſerit gubernacula, & orphanorum
,, aut viduarum, quæ indefenſæ ſunt,

& ea-

„ & earum perſonarum, quæ maximè
„ Eccleſiaſtico indigent adminiculo
„ propter timorem Dei. Si quis vero
„ tranſgreſſus fuerit hæc præcepta,
„ Eccleſiaſticæ correctioni ſubiaceat.

Sanè indecorum eſt, & ab Eccleſiaſtica dignitate & ſanctitate valdè alienum, *videre Sacerdotes*, vt loquitur Cõcilium Pariſienſe, *pro forenſibus negotijs huc illucque currentes & diſcurrentes, interim dum ex eorum abſentia, & loca Deo dicata debito cultu priuantur, & homines ſine confeſſione, & infantes ſine baptiſmi regeneratione plerumque moriũtur*. Quibus poſtea illud Prophetæ ſumma cum ratione applicat, *quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum*. Quod beatus Gregorius ita exponit: *Quid namque auro quod metallis cæteris præeminet, niſi excellentia ſanctitatis? quid colore optimo, niſi cunctis amabilis reuerentia religionis exprimitur? quid ſanctuarij lapidibus niſi ſacrorum ordinum perſona deſignantur, &c. aurum igitur obſcuratur, cum terrenis actibus ſanctitatis vita polluitur, color optimus commutatur, cum eorum qui degere religioſè credebantur, æſtimatio anteacta minuitur: nam cum quilibet poſt ſanctitatis habitum terrenis ſe actibus inſerit, quaſi colore permutato, ante humanos oculos, eius reuerentia deſpecta*

ſub Lud. & Loth. c.1.c.29

Thren.4

Paſt.l.2. c.7.

ſpecta palleſcit ſanctuarij quoq; lapides in plateis diſperguntur, cum cauſarum ſæcularium lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum Eccleſiæ internis myſterijs quaſi in ſecretis ſanctuarij vacare debuerunt.

Et Concilium Aquiſgranenſe ſecumdum ſtatuit, illos Sacerdotes „qui contra ſtatuta canonum villici „fiunt, turpia lucra ſectantur, & „per diuerſos mercatus indiſcretè „diſcurrunt, ſumma diſtrictione „& ſeueritate coercendos eſſe; ne „ſcilicet per eorum illicitam inde„centemque actionem, & miniſte„rium Sacerdotale vituperetur, & „quibus debuerant eſſe in exemplum „in eorum deueniant ſcandalum. *Part. 3. c. 8.*

Vt igitur his Eccleſiæ monitis & decretis libentiùs obtemperet, quiuis Sacerdos aut Clericus, conſideret, & ſedulo perpendat, quam vana ſint & flocci facienda omnia hæc tranſitoria, pro quibus inter huius ſæculi homines tanto impetu & ardore, diſcurritur, diſceptatur, litigatur, belligeratur: *Vanitas vanitatum*, inquit Eccleſiaſtes, *vanitas vanitatum & omnia vanitas, quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub ſole? &c. ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus & caſſa ſollicitudo mentis.* *Eccl. 1.*

Au-

Audiat S. Apoſtolum monentem, *tempus breue eſt, reliquum eſt, vt qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* & iuxta eiuſdem præſcriptum, radicem ſicut omnium malorum, ſic etiam illarum perturbationum & inordinationum, cupiditatem & auaritiam ex animo penitus euellere contendat. De qua proinde in ſequenti capite aliquid dicendum nobis eſt.

1. Cor. 7

CAPVT XIII.

De auaritia, & cupiditate ab animo Chriſtiani Sacerdotis radicitus extirpanda.

Sub Lud. & Loth. l. 1 c. 13.

CAuendum ſummopere eſt Sacerdotibus, inquit Concilium Pariſienſe, vt ab auaritiæ peſte, ,, quæ eſt idolorum ſeruitus, & à cupiditate, quæ radix omnium malorum ,, eſt, ſe compeſcant, &c. grauius ,, quippe, atrociuſque hæ peſtiferæ ,, lues in illis damnantur, quam in ijs ,, qui eorum dictis, & exemplis ,, ab his coërceri debuerunt. Solent

nam-

,, namque à nonnullis multifariæ oc-
,, caſiones obtendi, quæ neceſſitatis
,, nomine pallientur: & re vera dum
,, exteriùs neceſſitas prætenditur, in-
,, teriùs auaritia tegitur. Ait itaque
,, Dominus in Euangelio; Nolite the-
,, ſaurizare vobis theſauros in terra.
,, Scribit etiam Beda quod nonnulli
,, Sacerdotum ac Doctorum loco po-
,, titi (quod dictu quoque graue &
,, lugubre eſt) dum ignem cupiditatis
,, igni ſupernæ dilectionis anteponunt
,, igne ſupernæ vltionis abſumuntur:
,, quorum perpetua damnatio, tem-
,, porali filiorũ Aarõ morte figurata eſt.

Sanè inter mala plurima eaque grauiſſima, quæ vitij huius contagio ſecum inuehit, vnum ex perniciosiſſimis eſt, quod tenebras offundat, animumque veluti quadam cæcitate percutiat: Itaut, quod in præfato Concilio obſeruatur, *Presbyteri quos peſtis illa inuaſit, ſuiſque retinaculis vinxit, captiuoſq; effecit, inſtar cæcorum neſciant quò eant, neſciant, quid eſſe, vel quid agere debeant.* Sup. c. 29.

Ex quo fit vt veluti clauſis oculis in horrenda quandoque Simoniarum, confidentiarumque præcipitia delabantur; vel in miniſteria, & officia Eccleſiaſtica contra ius faſque ſe ingerant, & beneficia beneficiis accumulare ſtudentes, ſæpè infan-

dis

dis criminibus ſacrilegijſque Dei ſanctuarium polluant. Et quid mirum? *Quando*) vt S. Cyprianus loquitur) *vſque ad mortem Domini amor lucri ſe ingerit, nec vitæ Saluatoris quæſtus deſiderium parcit.*

Ser. de ieiunio & tent.

Verè igitur & cum ſumma ratione dixit ſanctus Hieronymus: *ignominiam eſſe Sacerdotum, proprijs ſtudere diuitijs.* Ignominiam, inquam, huic vitio turpiter mancipatum eſſe, quod æternam proditori Saluatoris infamiam attulit, quod eum ex Apoſtolo apoſtatam, ex Chriſti amico, dæmonis mancipium, ex ſalutis æternæ præcone ignis æterni pabulum effecit.

Luc. 2.

Videte itaque & cauete ab omni auaritia, inquit Chriſtus Dominus, cunctos fideles, ſed maximè diſcipulos & miniſtros ſuos alloquens: *Videte & cauete*, oculi aperiendi, fax fidei præferenda, non ſecundum prauas mundi conſuetudines, aut naturalis deſiderij paſſiones; ſed ſecundum Euangelij axiomata, ferendum eſt de agendis iudicium, greſſuſque animæ dirigendi: & hoc ſit primum aduerſus hanc auaritiæ peſtem antidotum, quando v. g. occaſio alicuius beneficij obtinendi, aut muneris Eccleſiaſtici capeſſendi ſeſe offert, hoc ſalubre Chriſti monitum animo re-

repetendum. *Videte & cauete ab omni auaritia:* Videndum, idque ſincere & coram Deo, qua intentione quis feratur, quid animum præſertim alliciat; & ſollicitè cauendum *ab omni auaritia:* ſi quis alicuius impedimenti canonici ſibi conſcius ſit, ſi ſe à Deo nullatenus vocatum, ſi minimè idoneum conſpiciat, vel ſi iam beneficium aliquod poſſideat quod honeſtæ ſufficiat ſuſtentationi; cauendũ *ab omni auaritia*, & animus contra quaſcunque cupiditatis illecebras ſedulò præmuniendus.

Cogitet præterea qui huius vitij tentatione infeſtatur. qui cupiditatis iaculis ſe impetitum perſentit, cogitet, inquam, quia *non in abundantia hominis vita eius*. vt ſubſequentibus verbis idem Chriſtus Dominus admonet; neque enim opus, aut diuitiæ quantumcumque copioſæ vitam vel vnico temporis momento prorogare poſſunt; ſibique proinde dictum putet, quod ibidem ſubiungitur: ſtulte hac nocte repetent animam tuam à te, & hæc
„ omnia quæ præparaſti, cuius erunt?
„ quem fructum tunc habiturus es in
„ iis in quibus tunc erubeſcis? nam
„ finis illorum mors eſt: neque enim
„ homo cum interierit ſumet omnia,
„ neque deſcendet cum eo gloria eius.
„ Nihil vtique intulimus in hunc mundum;

„ dum; haud dubium quod nec auferre quid poſſumus: habentes igitur alimenta, & quibus tegamur his cōtenti ſimus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa, & inutilia, quæ mergūt hominem in interitum, & perditionem; Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem ò homo Dei hæc fuge.

CAPVT XIV.

De quouis ſcandalo ſollicitè præcauendo.

2.2. q. 43. ar. 1.

SCandali nomine Theologi communiter cum S. Thoma intelligūt *dictum vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ.*

Dictum, vel factum, quia exterior duntaxat actus alteri notus poteſt habere rationem ſcandali, tanquam obex ſcilicet in virtutis via obiectus.

Minus rectum, neque enim ad rationem ſcandali neceſſe eſt dictum illud

illud vel factum eſſe abſolute ex *ſe* malum, ſed ſufficit habere ſpeciem mali: vnde Apoſtolus non tantum à quouis malo, ſed & *ab omni ſpecie mali* abſtinendum eſſe docet. 1. Theſſ. 5.

Præbens occaſionem ruinæ, nec enim requiritur vt cauſam, ſed ſatis eſt vt occaſionem præbeat; interdum ſiquidem contingere poteſt vt quis alterum ſcãdalizet, actu aliquo ſuo alioquin bono, quem tamen, ob ſolam circumſtãtiam effectus, ſcilicet ruinæ alterius, prætermittere debebat: v. g. ſi quis actum correctionis fraternæ exerceat in eum quem præuidit, aut præuidere debuit, peiorem ex eius correctione futurũ: tunc enim ipſa correctio fraterna, quæ ex ſe bona eſt, proinde nullius mali cauſà directè eſſe poteſt, occaſioné tamen præberet peccato alterius.

Iam quantopere Sacerdos, & quiuis Eccleſiæ miniſterio aſcriptus cauere debeat, ne vllam vnquam præbeat ſcandali occaſionem, neue ex eius dicto aliquo, vel facto minus recto quis in peccatum inducatur, hinc patet, quia, vt ait S. Gregorius, *ſi quid in Sacerdote, vel Clerico iuſte reprehenditur, eius vitio ipſa Religionis noſtræ æſtimatio grauatur*, &, vt loquitur ſanctus Bern. *miſera Sacerdotũ conuerſatio fit miſera plebis Domini ſubuerſio: laquens ſiquidem ruina populi Sacerdotes mali.* in paſt. p. 3. c. 5. ſer. 1. de conuerſ. S. Paul. Ezech. 44

gerentur legibus: *debet vtiq. prœponderare vita Sacerdotis, ſicut prœponderat gratia*.

Secundum quod Sacerdotes & Clerici in ludis & recreationibus obſeruare debent, eſt, vt nihil in illis fiat aut reperiatur quod ſcandalum, aut offenſionem aliquam proximo afferre poſſit: *omnia mihi licent*, aiebat Apoſtolus, *ſed non omnia expediunt*: pleraque animi relaxandi cauſa
1.Cor.6. inculpabiliter fieri & dici poſſunt priuatim inter ipſas perſonas Eccleſiaſticas, quæ coram quibuſdam Laicis forſan reprehenſioni obnoxia viderentur: proindeque ipſis ſollicitè cauendum eſt ne tali vtantur licentia: *quæ*, vt loquitur Apoſtolus, *offendiculum fiat infimis*; *ſic enim peccantes in*
1.Cor.8. *fratres & percutientes eorum conſcientiã infirmam in Chriſtum peccant*.

Tertium denique eſt, vt in ipſis recreationibus & ludis, modus debitus obſeruetur, vteturque quiuis exceſſus, ſiue in tempore quod ludo & recreationi conceditur: ſiue in ipſius ludi expenſis, ſiue in ludendi affectu; quantumuis enim inculpata & honeſta ſit aliqua recreatio, vt rectè monet Antiſtes Gebennenſis, nimius erga
Sup. ipſam affectus ſemper vitioſus eſt; in ludendo quidem delectationem aliquam percipere licitum eſt, nuſquam

quam tamen cor & affectum ludo apponere, ita vt ipſe ludus cum ardore quodam animi quæratur, aut expetatur.

CAPVT XII.

De procurationibus rerum ſæcularium, aliiſque mundi negotiationibus & curis à Chriſtiano Sacerdote fugiendis.

NEmo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus, inquit Apoſtolus, *vt ei placeat cui ſe probauit.* Ea namque conditione Sacerdotes & Clerici nomen Chriſti militiæ dederunt, ea lege in eius caſtris profitentur, *vt expediti ab omni ſæculi præſentis impedimento, intrepidi in prima acie perſiſtentes, poſt palmam victoriæ triumphatricis, gloriæ coronam, ab eo Rege qui de antiquo hoſte triumphauit, ſuſcipere mereantur.*

1. Tim. 2.

Conc. Foroiul. can. 5

Miles ſane, vt ait Sanctus Baſilius, *non domos ædificat, non comparat agros, non vacat mercaturæ; in plateis tabernaculum ſibi ponit, cibum ſola neceſſitate me-*

In Aſcetic. ſer. 1.

metitur, ſomni tantum, quantum natura requirit: itinera frequentia, itemque vigiliæ, acris ad frigora, caloreſque tolerandos patientia: periculoſorum cum aduerſarijs certaminũ crebra ſuſceptio; & in ijs ſæpe ſi ita fors ferat, glorioſa mors, &c.

„Age igitur, ò miles Chriſti, qui „iam tenuia hæc ex rebus humanis „exempla inſpexeris, ſubeat animum „tuum ſempiternorum bonorum „cogitatio; ſolutus eſto, atq; ab „omnibus vitæ curis liber, &c. Si „quis, inquit Chriſtus, mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ego ſum, „illic ſit & miniſter meus; vbi ergo „Chriſtus Rex noſter eſt? in cælo „haud dubiè; huc proinde tuus tibi, „ò miles Chriſti, dirigendus eſt curſus; obliuiſcere quicquid hic in „terris impedimenti haberi poteſt.

id. ibid.

„Optimè & appoſitè ſanctus Ambroſius: Cui portio Deus eſt, inquit, nihil debet curare niſi Deum, „nec alterius impeditur neceſſitatis „munere; quod enim ad alia officia „confertur, hoc Religionis cultui, at„que huic noſtro officio decerpitur, „Hæc enim vera eſt portio Sacerdotis „abdicatio domeſticorum, & quædam alienatio chariſsimorũ vt ſuis ſe „abneget, qui ſeruire Deo elegerit.

Lib. de fuga ſæculi & refertur 12. q. 1. c. cui portio.

„Et Petrus Bleſenſis: Vacuum, inquit, à ſæcularibus oportet eſſe animum diuinæ

„ uinæ ſeruitutis obſequio conſecra-
„ tum: Magnis addictus es, noli mi-
„ nimis occupari: minima, & vilia ſunt,
„ quæcumq; ad ſæculi quæſtus, & non
„ ad lucra pertinent animarum.

Et hæc quidem attendens ſancta Ecclesia, ſollicitè cauit, ne Sacerdotes alijque ſacris miniſteriis aſcripti, rerum ſæcularium procurationibus, aut mundi curis, negotijſue implicarentur: ſuper qua re inſigne præ cæteris eſt decretum Concilii Calcedonenſis quod hic exſcripſimus.

„ Peruenit ad Sanctam Synodum,
„ quia de ijs qui in Clero cōnumeran-
„ tur, quidam propter turpis lucri gra-
„ tiam alienarum poſſeſſionum con-
„ ductiones, & cauſas ſæculares ſuſci-
„ piūt, & à ſacris quidem officiis ſe
„ per deſidiam ſeparant, ad domos au-
„ tem ſæcularium concurrunt, & ſub-
„ ſtantiarum eorum gubernationes a-
„ uaritiæ cauſa ſuſcipiunt. Decreuit er-
„ go ſancta Synodus, nullum Cleri-
„ cum deinceps, aut Monachum con-
„ ducere poſſeſſiones, aut miſceri ſæ-
„ cularibus procurationibus, niſi forte
„ qui legibus ad minorum ætatum tu-
„ telas, ſiue curationes inexcuſabiles
„ attrahitur: aut cui ciuitatis ipſius E-
„ piſcopus Eccleſiaſticarum rerum cō-
„ miſerit gubernacula, & orphanorum
„ aut viduarum, quæ indefenſæ ſunt,

Cap. 5. et idem cōſtitutum habatur in conc. Later. ſub In. 3 c. 16. & in conc. Later. ſub Alex 3. c. 12.

& ea-

„ & earum perſonarum, quæ maximè
„ Eccleſiaſtico indigent adminiculo
„ propter timorem Dei. Si quis vero
„ tranſgreſſus fuerit hæc præcepta,
„ Eccleſiaſticæ correctioni ſubiaceat.

Sanè indecorum eſt, & ab Eccleſia-
ſub Lud. & Loth. c.1.c.29 ſtica dignitate & ſanctitate valdè alie-
num, *videre Sacerdotes,* vt loquitur Cõ-
cilium Pariſienſe, *pro forenſibus negotijs
huc illucque currentes & diſcurrentes, in-
terim dum ex eorum abſentia, & loca
Deo dicata debito cultu priuantur, & ho-
mines ſine confeſſione, & infantes ſine
baptiſmi regeneratione plerumque moriũ-*
Thren.4 *tur*. Quibus poſtea illud Prophetæ
ſumma cum ratione applicat, *quomodo
obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color
optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in*
Paſt.l.2 c.7. *capite omnium platearum*. Quod bea-
tus Gregorius ita exponit: *Quid nam-
que auro quod metallis cæteris præeminet,
niſi excellentia ſanctitatis? quid colore
optimo, niſi cunctis amabilis reuerentia re-
ligionis exprimitur? quid ſanctuarij la-
pidibus niſi ſacrorum ordinum perſonæ
deſignantur, &c. aurum igitur obſcura-
tur, cum terrenis actibus ſanctitatis vita
polluitur, color optimus commutatur, cum
eorum qui degere religioſè credebantur, a-
ſtimatio anteacta minuitur: nam cum
quilibet poſt ſanctitatis habitum terrenis
ſe actibus inſerit, quaſi colore permutato,
ante humanos oculos, eius reuerentia de-*

ſpecta

ſpecta palleſcit ſanctuarÿ quoq; lapides in plateis diſperguntur, cum cauſarum ſæcularium lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum Eccleſiæ internis myſterÿs quaſi in ſecretis ſanctuarÿ vacare debuerunt.

Et Concilium Aquiſgranenſe ſecumdum ſtatuit, illos Sacerdotes qui contra ſtatuta canonum villici fiunt, turpia lucra ſectantur, & per diuerſos mercatus indiſcretè diſcurrunt, ſumma diſtrictione & ſeueritate coercendos eſſe; ne ſcilicet per eorum illicitam indecentemque actionem, & miniſterium Sacerdotale vituperetur, & quibus debuerant eſſe in exemplum in eorum deueniant ſcandalum. *Part. 3. c. 8.*

Vt igitur his Eccleſiæ monitis & decretis libentiùs obtemperet, quiuis Sacerdos aut Clericus, conſideret, & ſedulo perpendat, quam vana ſint & floccı facienda omnia hæc tranſitoria, pro quibus inter huius ſæculi homines tanto impetu & ardore, diſcurritur, diſceptatur, litigatur, belligeratur: *Vanitas vanitatum*, inquit Eccleſiaſtes, *vanitas vanitatum & omnia vanitas, quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub ſole? &c. ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus & caſſa ſollicitudo mentis.* *Eccle. 1.*

Au-

Audiat S. Apoſtolum monentem, *tempus breue eſt, reliquum eſt, vt qui*
1.Cor.7 *vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* & iuxta eiuſdem præſcriptum, radicem ſicut omnium malorum, ſic etiam illarum perturbationum & inordinationum, cupiditatem & auaritiam ex animo penitus euellere contendat. De qua proinde in ſequenti capite aliquid dicendum nobis eſt.

CAPVT XIII.

De auaritia, & cupiditate ab animo Chriſtiani Sacerdotis radicitus extirpanda.

Sub Lud. & Loth.l.1 c.13. CAuendum ſummopere eſt Sacerdotibus, inquit Concilium Pariſienſe, vt ab auaritiæ peſte, quæ eſt idolorum ſeruitus, & à cupiditate, quæ radix omnium malorum eſt, ſe compeſcant, &c. grauius quippe, atrociuſque hæ peſtiferæ lues in illis damnantur, quam in ijs qui eorum dictis, & exemplis ab his coërceri debuerunt. Solent nam-

,, namque à nonnullis multifariæ oc-
,, caſiones obtendi, quæ neceſſitatis
,, nomine pallientur: & re vera dum
,, exteriùs neceſſitas prætenditur, in-
,, teriùs auaritia tegitur. Ait itaque
,, Dominus in Euangelio; Nolite the-
,, ſaurizare vobis theſauros in terra.
,, Scribit etiam Beda quod nonnulli
,, Sacerdotum ac Doctorum loco po-
,, titi (quod dictu quoque graue, &
,, lugubre eſt) dum ignem cupiditatis
,, igni ſupernæ dilectionis anteponunt
,, igne ſupernæ vltionis abſumuntur:
,, quorum perpetua damnatio, tem-
,, porali filiorũ Aarõ morte figurata eſt.

Sanè inter mala plurima, eaque gra-
uiſſima, quæ vitij huius contagio ſecum
inuehit, vnum ex perniciofiſſimis eſt,
quod tenebras offundat, animumque
veluti quadam cæcitate percutiat:
Itaut, quod in præfato Concilio ob-
ſeruatur, *Presbyteri quos peſtis illa inua-* Sup. c. 29.
ſit, ſuiſque retinaculis vinxit, captiuoſq;
effecit, inſtar cæcorum neſciant quò eant,
neſciant, quid eſſe, vel quid agere
debeant.

Ex quo fit vt veluti clauſis oculis,
in horrenda quandoque Simoniarum,
confidentiarumque præcipitia dela-
bantur; vel in miniſteria, & of-
ficia Eccleſiaſtica contra ius faſque
ſe ingerant, & beneficia beneficiis
accumulare ſtudentes, ſæpè infan-
dis

dis criminibus ſacrilegijſque Dei ſanctuarium polluant. Et quid mirum? *Quando*) vt S. Cyprianus loquitur) *vſque ad mortem Domini amor lucri ſe ingerit, nec vita Saluatoris quæſtus deſiderium parcit*.

Ser. de ieiunio & tent.

Verè igitur & cum ſumma ratione dixit ſanctus Hieronymus: *ignominiam eſſe Sacerdotum, proprijs ſtudere diuitijs*: Ignominiam, inquam, huic vitio turpiter mancipatum eſſe, quod æternam proditori Saluatoris infamiam attulit, quod eum ex Apoſtolo apoſtatam, ex Chriſti amico, dæmonis mancipium, ex ſalutis æternæ præcone ignis æterni pabulum effecit.

Luc. 2.

Videte itaque & cauete ab omni auaritia, inquit Chriſtus Dominus, cunctos fideles, ſed maximè diſcipulos & miniſtros ſuos alloquens: *Videte & cauete*, oculi aperiendi, fax fidei præferenda, non ſecundum prauas mundi conſuetudines, aut naturalis deſiderij paſſiones, ſed ſecundum Euangelij axiomata, ferendum eſt de agendis iudicium, greſſuſque animæ dirigendi: & hoc ſit primum aduerſus hanc auaritiæ peſtem antidotum, quandò v. g. occaſio alicuius beneficij obtinendi, aut muneris Eccleſiaſtici capeſſendi ſeſe offert, hoc ſalubre Chriſti monitum animo re-

repetendum. *Videte & cauete ab omni auaritia:* Videndum, idque ſincere & coram Deo, qua intentione quis feratur, quid animum præſertim alliciat; & ſollicitè cauendum *ab omni auaritia:* ſi quis alicuius impedimenti canonici ſibi conſcius ſit, ſi ſe à Deo nullatenus vocatum, ſi minimè idoneum conſpiciat, vel ſi iam beneficium aliquod poſſideat quod honeſtæ ſufficiat ſuſtentationi; cauendũ *ab omni auaritia*, & animus contra quaſcunque cupiditatis illecebras ſedulò præmuniendus.

Cogitet præterea qui huius vitij tẽtatione infeſtatur, qui cupiditatis iaculis ſe impetitum perſentit, cogitet, inquam, quia *non in abundantia hominis vita eius.* vt ſubſequentibus verbis idem Chriſtus Dominus admonet; neque enim opus, aut diuitiæ quantumcumque copioſæ vitam vel vnico tẽporis momento prorogare poſſunt; ſibique proinde dictum putet, quod ibidem ſubiungitur: ſtulte hac nocte repetent animam tuam à te, & hæc
„ omnia quæ præparaſti, cuius erunt?
„ quem fructum tunc habiturus es in
„ iis in quibus tunc erubeſcis? nam
„ finis illorum mors eſt: neque enim
„ homo cum interierit ſumet omnia,
„ neque deſcendet cum eo gloria eius.
„ Nihil vtique intulimus in hunc mundum;

„ dum; haud dubium quod nec auferre quid poſſumus: habentes igitur „ alimenta, & quibus tegamur his cõtenti ſimus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa, & inutilia, quæ mergũt „ hominem in interitum, & perditionem; Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam „ appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu „ autem ò homo Dei hæc fuge.

CAPVT XIV.

De quouis ſcandalo ſollicitè præcauendo.

2.2. q. 43. ar. 1. SCandali nomine Theologi communiter cum S. Thoma intelligũt *dictum vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ.*

Dictum, vel factum, quia exterior duntaxat actus alteri notus poteſt habere rationem ſcandali, tanquam obex ſcilicet in virtutis via obiectus.

Minus rectum, neque enim ad rationem ſcandali neceſſe eſt dictum illud

illud vel factum eſſe abſolute ex ſe malum, ſed ſufficit habere ſpeciem mali: vnde Apoſtolus non tantum à quouis malo, ſed & *ab omni ſpecie mali* abſtinendum eſſe docet. 1. Theſſ. 5.

Præbens occaſionem ruinæ, nec enim requiritur vt cauſam, ſed ſatis eſt vt occaſionem præbeat; interdum ſiquidem contingere poteſt vt quis alterum ſcãdalizet, actu aliquo ſuo alioquin bono, quem tamen, ob ſolam circumſtãtiam effectus, ſcilicet ruinæ alterius, prætermittere debebat: v. g. ſi quis actum correctionis fraternæ exerceat in eum quem præuidit, aut præuidere debuit, peiorem ex eius correctione futurũ: tunc enim ipſa correctio fraterna, quæ ex ſe bona eſt, proinde nullius mali cauſà directè eſſe poteſt, occaſionẽ tamen præberet peccato alterius.

Iam quantopere Sacerdos, & quiuis Eccleſiæ miniſterio aſcriptus cauere debeat, ne vllam vnquam præbeat ſcandali occaſionem, neue ex eius dicto aliquo, vel facto minus recto quis in peccatum inducatur, hinc patet, quia, vt ait S. Gregorius, *ſi quid in Sacerdote, vel Clerico iuſte reprehenditur, eius vitio ipſa Religionis noſtræ æſtimatio grauatur*, &, vt loquitur ſanctus Bern. *miſera Sacerdotũ conuerſatio fit miſera plebis Domini ſubuerſio: laqueus ſiquidem ruinæ populi Sacerdotes mali.* *in paſt. p. 3. c. 5. ſer. 1. de conuerſ. S. Paul. Ezech. 44*

Dici enim vix poteſt quantas animarum ſtrages ediderit, & quam deflendam vaſtitatem Eccleſiæ intulerit inordinata Sacerdotum & Clericorum vita, quot inde Religionis detrimenta, quot veræ pietatis, ac virtutis damna inter fideles proceſſerint.

„ Nullum certe, inquit Sanctus Gregorius, maius præiudicium tolerat „ Deus, quam cum eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare „ de ſe exempla prauitatis cernit: quã„ do ipſi peccamus, qui aliorum compeſcere peccata debuimus, quando „ pereunti populo mortis authores ſumus cui ad vitam duces eſſe debuimus. Quod ſi (vt notat ſanctus Chryſoſtomus) ei qui vnam ſcandalizat animam, expedit vt mola aſinaria ſuſpendatur circa collum, & demergatur in profundum maris; qui innumeras animas ſcandalizat, & vrbes integras, & plebes, viros, mulieres, pueros, quid pati merebitur?

hom. de cur. paſt. — *hom. in ep. ad Tit.*

Væ mundo à ſcandalis, inquit Chriſtus, *Væ homini illi per quem ſcandalum venit.* *Sicut enim quantoſcumque aliquis exemplo ſanctæ vitæ ædificauerit*, verba ſunt ſancti Auguſtini, *cum tantis mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet; ita quantiſcumque exemplum malæ conuerſationis, etiamſi eum illi non ſequantur præ-*

Mat. 18 — *ſer. 163 de temp.*

præbuerit, pro tantis ſe malis rationem noverit redditurum.

Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes, edicit Dominus per Prophetam, *quia receſſiſtis de via, & ſcandaliſaſtis plurimos in lege, & irritum feciſtis pactum* Leui: *propter hoc, ego dedi vos contemptibiles, & humiles in omnibus populis*. Neque enim alia ratio quærenda eſt, quare nunc Sacerdotalis ordinis maieſtas in tantum viluit, cur clericalis ſtatus ſplendor adeo infuſcatus eſt; iuſto Dei iudicio contemptibiles & humiles facti ſumus ijs, quibus ob vitioſos & inordinatos mores, & actus ſcandali ac ruinæ occaſionem dedimus; hinc Prælatorum authoritas imminuta, vt non dicam plerumque conculcata, hinc Eccleſiæ poteſtas à Laicis vſurpata, hinc Sacrorum canonum neglectus, & ſæpiſſimè aduerſus eoſdem peruicacia. Malac. 9.

Vt igitur tot tantiſque malis remedium aliquod inueniamus, præcidenda eſt, aut potius euellenda, & penitus extirpanda eſt illorum radix, & cuiuſque Sacerdotis, ac viri Eccleſiaſtici ſtudium, & opera in eo præſertim collocandanda eſt, vt ſeduló quaſcumque etiam minimas ſcandali aliis dandi occaſiones deuitet. Ideoque hoc apud ſe in primis firmiter ſtatuat, vt nullum quantumuis leue videatur pecca-

tum, coram aliis, imò coram Deo deliberatè committat, nullũ in quibuſlibet actionibus ſuis defectum admittat, nihil denique vnquam ſibi in dictis, aut factis minus rectum permittat.

Et de peccato quidem mortali, nihil hic dicere attinet, monſtri ſiquidem ac portenti inſtar eſt coram oculis Dei & Angelorum, Sacerdos peccato aliquo mortali inquinatus; *vnus ex vobis diabolus eſt*, ait Chriſtus de
Joan. 6. vno diſcipulorum ſuorum qui ſola voluntate peccatum mortale conceperat. De peccato veniali hoc ſolũ monemus, longè diuerſa eſſe iudicia Dei à iudiciis hominum; multa plerumq; ex ſe leuia, & venialia peccata, quæ in Sacerdotibus, propter ſanctitatem ſtatus, coram Deo lethalia cenſentur: multa item, in quibus ratione ſcandali infirmorum, grauior quam credatur ineſt prauitas: quid quod plurima etiam opera virtutis, defectu prudentiæ, ac diſcretionis, aut alicuius circumſtantiæ ad integritatem bonitatis moralis neceſſariæ, offendant potius, quam ędificent.

Quare vigilantia opus eſt, vt tot laquei ſibi, aliiſque ſollicitè deuitentur, ſæpiuſque iterandæ cuiuſuis peccati ſedulo cauendi reſolutiones, ac cæleſtis gratia, qua in bono propoſito firmi

firmi conſiſtamus, iugiter imploranda. Præterea Chriſtianus Sacerdos ad hoc diligenter attendere debet, vt omnes & quaſcumque mali cuiuslibet ſuſpiciones à ſe amoueat, quod ex ipſius Apoſtoli exemplo diſcere poteſt, cũ.n. eleemoſynæ quædam ad fideles Hieroſolymam tranſmittendæ, in eius manibus à Corinthiis fuiſſent depoſitæ: veritus ille ne minus rectæ, aut ſinceræ geſtionis apud aliquos ſuſpectus eſſet, alios ſecum ad pecuniarum illarum diſpenſationem veluti teſtes aſſumere voluit: *nequis*, inquit, *nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis prouidemus enim bona non ſolũ corã* Deo, *ſed etiam corã hominibus.* 2.Cor.8

Quod quidem ſancti illius Apoſtoli factum perpendens D.Chryſoſt. *à nullo ſane peccato*, inquit, *tantum abſumus, quantum à furto aberat* Paulus; *inſania enim mera quid ſuſpicari de beato illo, atque admirabili animo* Pauli; *nihilominus hanc ſuſpicionem ſic iniquam & abſurdam procul repellere ſtuduit*. Vnde concludit longè potiori ratione quẽuis Sacerdotem teneri ad ſtudium adhuc maius adhibendum, *quo malas de ſe ſuſpiciones & opiniones non ſolum quãdo erumpunt diuellat: ſed procul vnde erumpere poſſent proſpiciat, & cauſas ipſas, è quibus oriri poſſent longo ante tempore intermat.* lib.6.de ſac

Denique ſollicitè caueat, non ſolum ne pluribus, ſed ne vel vni, ne vel minimo cuique, vllam quantulamcumq; præbeat offendiculi, vel ſcandali occaſionem: prohibet ſiquidem Chriſtus *ſcandalizari vel vnum de puſillis qui in eum credunt*. Et Apoſtolus proteſtatur, *ſi eſca ſcandaliſat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum* Hoc igitur in quibuslibet factis, aut dictis ſuis ſedulo perſpiciat, quis adſit, quis videat vel audiat? vt diiudicare poſſit, num talia dicere, vel facere conueniat? num inde puſilli alicuius animus occaſionē ruinæ ſumpturus ſit? & è contra eo modo ſe gerat in omnibus, quæ acturus, aut locuturus eſt, *vt proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem, & omnia ſua ad ædificationem fiant.*

Mat. 18
1, Cor. 8
Rom. 15
1. Cor. 14.

PARS QVINTA.

De medijs quibuſdam,&adiumentis, quæ Chriſtiano Sacerdoti,tum ad profectum, tum ad perſeuerantiam in virtute, maximè conducere poſſunt.

CAPVT I.

Quantum interſit Sacerdotem Chriſtianum in vera virtute progredi, & perſeuerare.

D*Iſcipulus proficiens gloria eſt magiſtri*, inquit ſanctus Bernardus, *& quiſquis in ſchola Chriſti non proficit; eius magiſterio indignus eſt, nunquam* Ep.141

Epiſt. 242. *etenim*, vt idem alio in loco dicit, *iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquã dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititq; iuſtitiã; ita ut ſi sẽper viueret, sẽper quantũ in ſe eſt iuſtior eſſe cõtenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur: non enim ad annum, vel ad tempus, inſtar mercenarij, ſed in æternum, diuino ſe mancipat famulatui.*

in pſ. 69 *Quare*, vt cum ſancto Auguſtino loquamur, *quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat, ſufficit mihi, iuſtus ſum: qui enim dixerit, remanſit in via, non nouit peruenire; vbi dixerit ſufficit, ibi hæſit.*

ep. 341. „ Moueat certè nos ipſum quoque „ ſæcularis cupiditatis exemplum (vt „ rectè monet ſanctus Bernardus) quẽ „ enim ambitioſum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, „ ad alias non anhelare? ſic & curioſi „ cuiuſquam non ſatiatur oculus viſu, „ nec auris impletur auditu: quid eo„rum qui auaritiæ ſeruiunt, aut ama„tores ſunt voluptatum, ſeu vanas „ conſectantur laudes, nonne & ipſo„rum inſatiabilia deſideria arguunt „ nos negligentiæ, & tepiditatis? pu„deat certe ſpiritualium nos bonorũ „ minus cupidos inueniri.

Apoc. 1. Denique vrget nos ipſa diuinæ veritatis vox: *eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo*

& dabo tibi coronam vitæ, &, qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit : ſuper quibus verbis obſeruat ſanctus Auguſtinus Dominum non dixiſſe, *qui bene inchoauerit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem; non enim cœpiſſe, ſed permanſiſſe virtutis eſt*, inquit S. Hieronymus. *Mat. 24* *li. de con tin. c. vl. ep. ad Vitalem.*

Quiſquis igitur ſacris miniſterijs addictus eſt, hoc apud ſe firmiter ſtatuat, in Chriſti famulatu non ſufficere quod ad Eccleſiaſticos Ordines quis dignè promotus fuerit, quod ſuæ promotionis initio functiones ordinum illorum proprias debitè exercere ſtuduerit, quod virtutes muneri ſuo congruentes aliquanto tempore affectatus fuerit, tentationeſque tunc irruentes fortiter repulerit: vlterius eundum eſt, *grandis adhuc reſtat via, ambulandum eſt, vſque ad montem* Dei, &, vt ait Sanctus Auguſtinus, *tota vita pergendum eſt, vſque dum ad vitam incommutabilem perueniatur*. Proindeque progreſſus in vita virtutis iugiter faciendus, & in illo progreſſu fideliter vſque ad exitum vitæ perſeuerandum eſt. *Sup.*

Quod vt faciliùs, firmiuſque exequi poſſit, aliquot media aptiſſima, & ſaluberrima in hac quinta huius operis parte ſuggerentur, ſi priùs duo vel tria monita vtiliſſima: & obſeruatu digniſſima, iſtic fuerint appoſita.

Primum eſt vt Chriſtianus Sacerdos aut quiuis alius Eccleſiaſticis miniſteriis mancipatus obliuiſcatur eorum, quæ rectè vtcumque geſſiſſe ſibi videtur, & intuitum mentis ſolummodo ferat in ea quæ agenda ſuperſunt. Hoc monitū nobis ſuppeditat beatus Paulus non verbo ſolum, ſed & exemplo ſuo in Epiſtola ad Philippenſes, *Fratres*, inquit, *ego me non arbitror comprehendiſſe, vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu; quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.*

Quibus quidem verbis indicat, ſi proficere quis velit, non debere meminiſſe bonorum quæ perfecit, ſed cogitare ſolummodo ea quæ ipſi perficienda reſtant: *Nam*, vt in illum locum rectè ſcripſit ſanctus Chryſoſtomus, *nihil adeo recte facta euacuat, & in ventū abigit, atq; memoria bonorū, quæ nos operati ſumus: duo ſiquidem mala parit, ſegniores enim facit, & in arrogantiam extollit; Si igitur*, vt poſtea ſubdit, *Paulus poſt mille mortes, poſt tanta pericula, iſtud arbitratus eſt de ſe, multo magis nobis obliuiſcenda recte facta. & à tergo relinquenda ſunt: etenim & qui currit, non reputat quantum ſpatium*

con-

confecerit, ſed quantum adhuc deſit: & nos non quantum virtutis impleuerimus reputemus, ſed quantum adhuc ſuperſit. Fœlix igitur ille eſt, inquit ſanctus Hieronymus, *qui quotidie proficit, qui non cõſiderat, quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat, vt proficiat.* *in pſ. 83*

Secundum eſt vt quotidie viam virtutis ingredi ſe arbitretur, proficiendique ac perſeuerandi propoſitum ſingulis diebus innouet: idque iuxta magni Antonij monitum, qui, vt refert ſanctus Athanaſius ſæpè ſuis inculcabat: *Hoc ſit primum cunctis in commune mandatum, nullum arrepti propoſiti vigore laceſſere, ſed quaſi incipientem augere ſemper debere quod cœperit, præſertim cum & humana vitæ ſpatia æternitati comparata breuiſſima ſint & parua.* *in eius vita.* Vt enim rectè dixit Sanctus Gregorius, *neſcit mens per torporem veteraſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare; hinc Pſalmiſta qui ad perfectionis culmen iam peruenerat, quaſi inchoans dicebat; Ego dixi nunc cœpi*; *quia videlicet ſi laceſcere ab inchoatis bonis nolumus, valdè neceſſe eſt, vt inchoare nos quotidie credamus.* *lib. 22. mor, c. 20*

Tertium denique eſt, vt Dei auxilium gratiamque ſine qua nihil ſe poſse cognoſcit iugiter inuocare ſtudeat: *Beatus*, ſiquidem, *vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones* *pſ. 83.*

nes in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum in loco quem poſuit: etenim benedictionem dabit Legiſlator.

Et huius quidem benedictionis obtinendæ modum præſcribens ipſe Legiſlator Chriſtus Dominus: *Petite,* inquit, *& accipietis, quærite & inuenietis; pulſate & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperitur. Et Pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Luc. 11.

CAPVT II.

Suggeruntur varia media quibus Chriſtianus Sacerdos in progreſſu, & perſeuerantia iuuari poterit, quorum primum eſt, ordo vitæ quem ſibi ipſe præſcribere debet.

Qvamuis certiſſimum ſit ex ſacro „Tridentino Concilio, perſe- „uerantiæ donum aliunde haberi „non poſſe, niſi ab eo qui potens „eſt, eum qui ſtat ſtatuere, vt per- „ſeueranter ſtet, & eum qui cadit, „reſtituere: nihilominus eadem „Synodus monet, vt vnuſquiſque „in Dei auxilio firmiſſimam ſpem col- Seſſ. 6. c. 13.

„ collocans, ſalutem ſuam opere-
„ tur in laboribus, in vigilijs, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, alijſque ſimilibus pietatis operibus: quia nimirũ, vt poſtea ſubdit, benè operantibus vſque in finem, vita æterna proponitur, & tanquam gratia, filius Dei per Ieſum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces, ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus fideliter reddenda.

Ex quo ſequitur optimum & ſaluberrimum medium ad ipſius perſeuerantiæ munus obtinendum à Deo, eſſe ſi vitæ præſentis tempus in quotidianis virtutũ exercitiis fideliter impendatur; ad quod quidem plurimum conferre poterit, ſi quotidiana illa pietatis exercitia rectè & aptè inter ſe diſponantur: *Ordo* ſiquidem, vt ait S. Aug. *dux eſt ad Deum, & quæ à Deo ſunt ordinata ſunt.* *lib. de ord. c. 1.*

Præterea experientia ipſa conſtat ordinem in quotidiana virtutum praxi ſeruatam, maiorem ipſis virtuoſis actibus non modo decorem & perfectionem, ſed etiam facilitatem ac ſuauitatem conciliare; diemque, verbi gratia, à Chriſtiano Sacerdote in orationibus, ſtudijs, charitatis operibus, alijſque functionibus Eccleſiaſticis ordinatè tranſactum longè melius

lius ac lenius effluere, quam ſi nullo ſuarum occupationum habito delectu, nunc hoc, vel illud ageret, & *vbi eſſet impetus ſpiritus, illuc graderetur.*

Lib. de ord. c. 1.

Vt igitur cœleſti aſpirante gratia, diuinæque ipſius ſapientiæ veſtigia cõſectando, *attingat à fine ad finem fortiter, ſuauiterque diſponat omnia*, conſultiſſimum ipſi erit, vitæ ſuæ, actuumque ſuorum ordinem aliquem ſibi præſtituere, idque quantum fieri poterit de viri alicuius pij ac prudentis cõſilio.

Sap. 8.

Ac in primis generatim occupationes illas præ alijs deligere, quæ ſibi magis congruæ ſint & vtiles: verbi gratia, quæ ſtudiorum genera, quæ Religionis opera, quæ virtutum exercitia præſertim amplecti debeat? quibus hebdomadæ diebus carceres, xenodochia, aut alia pia loca viſitare? quæ charitatis ſeu miſericordiæ, tum ſpiritualis, tum corporalis opera exercere? Item, quarum perſonarum conuerſationem expetere? & de quibus rebus cum illis potiſſimum conferre? quas etiam expenſas domeſticas pro ratione ſtatus ſui facere? & quam ſeruorum ac familiæ curam & ſollicitudinem gerere ipſi magis expediat?

Cuiuſuis etiam diei ordinem, tan-

quam vitæ quotidianæ regulam, ſibi ex eodem conſilio præſtituat: verbi gratia, vt tali hora e ſommo ſurgat; euigilans cor & mentem in Deum erigat; & ſtatim è ſtrato deſiliens ipſum adoret, actus omnes, & ſeipſum eius honori & obſequio dedicet, gratiamque illius ſuppliciter expoſcat; tum meditationi, ſeu orationi mentali per aliquod tempus vacet, (quod quidem meditationis quotidianæ exercitium nuſquam ſatis commendari poteſt, cum experientia ipſa conſtet, inter alia quæcumque veræ pietatis ac virtutis in animo fouendæ media, iſtud præ cæteris aptiſſimum & ſaluberrimum eſſe) exinde ſi matutinum nocte præcedenti abſoluit, partem aliquam diurni officij recitet; poſtea Miſſæ ſacrificium quanta poterit animi puritate ac deuotione celebret; gratijſque Deo actis, capitulum aliquod ex ſacro Euangelio, alijſque noui teſtamenti libris, ſi libeat, idque (vt ſanctus Carolus Borromæus feciſſe memoratur genibus flexis, & capite aperto, legat: reliquumque temporis ante prandium, ſtudio alicui neceſſario vel vtili, aut cuipiam ſimili pietatis ſeu Religionis exercitio impendat.

Poſt prandium animo, recreatione aliqua honeſta & moderata, paulum

lulum relaxaro, veſpertinas horas recitet, exinde vtilibus & pijs conuerſationibus, vel charitatis exercitijs, aut pietatis negotijs det locum: tum pia aliqua lectione animum reficiat; & ante vel poſt cœnam, ſi ita magis expedit, matutinum officium cum laudibus perſoluat; ac denique ante ſomnum examen conſcientiæ cum aliis ſolitis exercitiis non omittat.

En rudi penicillo expreſſa leuis aliqua delineatio illius ordinis quem quiſque Sacerdos, & Clericus, longè melius ac perfectiùs ſibi præſtituere poterit, cuius beneficio, vitæ ſuę tempora conuenienter ac fructuosè impendere, dieſque ſuos plenos in hora mortis tandem inuenire, & ſic ad beatum diem æternitatis tandem merebitur peruenire.

CAPVT III.

Secundum medium ad perſeuerandum, conſtans habitus tonſuræque Eccleſiaſticæ geſta'io.

NOn eſt hic nobis propoſitum longiorē inſtituere diſputationē, de obligatione ad habitum, tonſuramque clericalem iugiter deferendam, quæ cuiuis ſacris ordinibus initiato, aut miniſteriis Eccleſiaſticis per alicuius beneficij titulum aſcripto incumbit: Vel attexere canones penè innumeros, quibus id ſtrictiſſimè prę-ſcribitur: præcipuorum & maximè inſignium ſeriem, ad marginem adnotatam lector, ſi libuerit, peruidere poterit.

Illud ſolum hic obiter adnotare ſufficiat, Eccleſiaſticā hanc legem circa tōſuram & habitum clericalem, tot in Concilijs Synodiſque ſiue antiquioribus, ſiue recentioribus latam, totieſque renouatam & confirmatam fuiſſe, vt manifeſtum ſit vniuerſam

Conc. Nic. 2. can. 6. Barc. ſub Vigilio Pap. can. 3.

EC-

Eccleſiam tam primis, quam hiſce nouiſſimis temporibus, ad religioſā illam tonſuræ habituſque clericalis deferendi conſuetudinem & praxim continuo magis ac magis ſtabiliendam, veluticonſpirare voluiſſe; proindeque non ſine graui peccato, à Clericis, ijs præſertim qui ad ſacrum aliquem ordinem promoti ſunt, vel beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtinent, hanc vel contemni, vel negligi poſſe.

Hic igitur ſolummodo intendimus perſuadere Chriſtiano Sacerdoti, quod quamuis tot legibus & canonibus communita non eſſet hæc tonſuræ clericalis habituſque deferendi praxis, vel eo ſolo nomine fideliter exacteque ſeruanda foret, quod ſit optimum ſaluberrimumque medium, tum ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ tenorem iugiter conſeruandum, tum ad tentationes pleraſque ſolicitationeſq; ipſi[u]s mundi repellendas, ut etiam præueniendas, variaſque peccati occaſiones deuitandas. Experientia ſiquidem quotidiana compertum eſt, Sacerdotem, veſte talari indutum, tonſura Eccleſiaſtica conſpicuum, aliaque miniſterij ſui inſignia circumferentem, aduerſus pleraſque ſæculi illecebras, habitu illo & tonſura tanquam lorica iuſtitiæ, & ſalutis galea,

tu-

Rom. ſub Greg. 2. vlt. Rom. ſub. Zach. can. 31. Tribur ſub Formoſo c. 27. Mog. 1. ſub Leone 4. ca. 15. Aquiſgr. 1. ſub Steph. 5 c. 1. Later. ſub Innoc. 3. ca. 16. Lat. ſub. Leone 10. in Bull. refor. Oxō. ſub Honorio 3. S. de hab. cler. Rauen. ſub Ho[n].4. rubr 3. Palent. ſub Vrb. 6 rubr. de cler. Seno. c. 24. Trid. ſeſſ. 14. c. 6 de ref.

tutum eſſe ac ſecurum: ne quidem audet mundus ad vanitates, aut inſanias ſuas prouocare, aut aliquid virtuti aduerſum ab eo expetere: & quamuis auderet, puderet ſanè ipſum in eiuſmodi habitu aliquid illicitum, aut indecorum perpetrare. *Rhem. an.* 1583. *Turon. an.* 1583. *Bitur an.* 1583.

Præterea ipſe habitus Eccleſiaſticus eſt veluti commonitor aſſiduus, qui quibuſlibet in locis, & inter quaſcunque perſonas, præſertim Laicas, Sacerdoti ipſi dignitatem ac ſanctitatem miniſterij ſui ob oculos ponit, prohibetque ne vel in ſcurrilitates nugaſque verborum inaniter effundatur, vel modeſtiæ terminos excedat. *Aquenſ. an.* 1585. *Tholo. an.* 1585. *Burdig. an.* 1624.

Neque ſolum ipſi deferenti, ſed & alijs proficuus eſt clericalis ille habitus; ſiquidem Eccleſiæ habitum illũ imponentis benedictione, & comprecatione, quaſi cæleſti quodam rore perfuſus, fragrantiam veluti ſanctitatis ac gratiæ vbique ſpirat: itaut de Sacerdote illum fideliter deferente, ipſa Eccleſia dicere poſſit *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*: eique aptari queat illud Apoſtoli, *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco*: Vnde fit vt non modo ipſius Sacerdotis ſermones quidem pietate, etiam in familiari conuerſatione inſtituuntur, ex habitu illo Ec- *Gen.* 27. 2. *Cor.* 2.

cle-

cleſiaſtico virtutem quandam & efficaciam hauriant: *ſed etſi eloquium quieſcat*, vt ait Tertullianus, *ipſe habitus ſonat, occurſuque ſuo vitia ſuffundit.* Quare merito cum eodem concludere poſſumus, grande eſſe habitus illius Eccleſiaſtici beneficium, *ſub cuius recogitatu reprobi mores erubeſcunt.*

lib. de pallio. c. vlt.

Quod igitur de priſco Athenienſiũ duce refertur, illum ſcilicet quoties veſtem ducalem indueret, ſibi ipſi dicere ſolitum: *vide, ne quid indumento iſto indignum feceris*: hoc longè potiori ratione cuiuis Chriſti miniſtro aptari poteſt, vt ſcilicet ſacri illius miniſterij habitum inſigniaque reliqua tanti faciat, ſeque adeo illius geſtatione honoratum reputet, vt nihil vnquam admittat, quod eius dignitati quouis modo aduerſetur, nihil quod illius ſanctitatem minũs deceat, aut Religionis pietatiſque odorem ex eo diffundendum vſquam impediat, proindeque habitum illum tonſuramque exactè conſtanterque deferẽdo, ſibi aduerſus quæcunque ſalutis pericula tutelam, alijs verò ædificationem, & vtriſque ad virtutes incitamentum indeſinenter procuret.

Porro qualis debeat eſſe habitus & tonſura clericalis, quæ illius ratio & forma, iuxta ſacrorum canonum ſanctiones non hic diſſerimus, cum

id in pleriſque alijs libris, ac præſertim in appendice medullæ noſtræ Theologicæ explicatum reperiri poſſit.

CAPVT IV.

Tertium medium, conuerſatio & contuberniumcum ijs qui vitæ Eccleſiaſticæ ſanctimonia commendabiles ſe exhibent.

MElius eſt eſſe duos ſimul quam vnum (inquit Sapiens) *habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: væ ſoli, quia cum ceciderit non habebit ſubleuantem ſe.* Et rurſus alio in loco, *cum ſapientibus & prudentibus tracta, & viri iuſti ſint tibi conuiuæ;* &, *qui cum ſapiente graditur, ſapiens erit.* Eccl. 4. Eccl. 9. Prou. 13.

Quibus quidem verbis oſtendit, appetendam eſſe bonorum ac iuſtorum ſocietatem tanquam valdè proficuam, & ſalutarem: quod cum cuique conſultiſſimum ſit, tum maximè Chriſtiano Sacerdoti, & cuiuis Eccleſiaſtico viro non modo vtile, ſed & aliquo pacto neceſſarium eſſe videtur: cum enim ratione miniſterij ſui frequenter in mundo, *tanquam in medio nationis* Phil. 2.

praua ac peruerſa vt loquitur Apoſtolus, *verſari debeat*, ac tanquam luminare quoddam, virtutum exemplo præfulgere; neceſſè habet aliquod ſibi conſtituere perfugium, vbi in laboribus ſolatium quærere, ac in tentationibus auxilium nouaſque vires reſumere queat: hoc autem nullibi meliùs aut commodiùs quam in piorum Sacerdotum, aliorumque probatorum Eccleſiaſticorum conuerſatione reperire poteſt, cum in ea, & ex ea, plurima & varia emolumenta ſpiritualia colligantur.

Ac in primis exemplum illorũ, tũ ad vitiorum, ſi quæ ſuperſint, emendationẽ tum ad tepiditatis, & puſillanimitatis correctionem, feruoriſque inhouationem efficaciſſimum eſt: *Malum enim quod nemo videt nemo arguit*, vt ſapienter obſeruat D. Bernardus, *& vbi non timetur reprehenſor, ſecuriùs accedit tentator, & liberiùs perpetratur iniquitas*. Vnde, vt idem alio in loco rectè docet, *nihil periculoſius eſt quam ſolum luctari velle, nihil tutius quam multorum vna pugnantium manibus adiuuari*.

epiſt. 15. *ſer. 3. de circ.*

Præterea in illa bonorum ſocietate, ſi quæ occurrat in miniſterijs Eccleſiaſticis difficultas, auxilium facilè reperitur; ſi quæ dubitatio, præſto eſt conſilium: ſi quæ moleſtia, aut anguſtia premit, non longè eſt ſolatium; ac de-

demum in quibuſcumq;vitæ caſibus,& etiã in ipſa morte, ſubſidia & adiumẽta quæcumque ſpiritualia, imò etiam corporalia ſuppetunt,

Ex quibus patet quantum conferre poſſit ad profectum & perſeuerantiam in virtute, piorum ac probatorum Eccleſiaſticorum conuerſatio, & etiam potiori adhuc ratione contubernium, id eſt,ſi non modo quis cum iis crebro verſetur, quod quidẽ ſemper vtile eſt, ſed & ſi fieri poſſit cum iiſdem commoretur, illiſque tum habitatione tum vitæ Eccleſiaſticæ exercitiis iunctus ſit.

Suadet autem ſanctus Ambroſius, *l. 1. off. c. 43.* præſertim iunioribus clericis, *vt adiungantur probatiſſimis quibuſque ſenioribus nam vt æqualium vſus dulcior, ita ſenum tutior eſt qui magiſterio quodam & ductu vitæ colorat mores adoleſcentium, & velut murice pietatis inficit;nã ſi hi qui sũt ignari locorum, cum ſolerti viarum iter adoriri geſtiunt;quanto magis adoleſcentes cum ſenibus debent nouum ſibi iter vitæ ingredi, quominus errare poſſint, & à vero virtutis tramite deflectere.*

Ex quibus quidem huius S. Patris verbis obiter colligere poſſumus, quã ſalubre ſit ipſis, præſertim iunioribus Clericis,aliquanto tempore in ſeminario aliquo Eccleſiaſtico commorari,vt ibi tum probatiſſimorum Sacerdotum

exem-

exemplo, & conuerſatione proficiant tum vt in ſolidæ pietatis praxi inſtituantur, tum etiam, vt in muneribus functionibusque Eccleſiaſticis exerceantur.

Ex hac inſuper ſancti Ambroſii doctrina, aliud pietatis axioma, idque maximi momenti elicitur; quod etiam illuſtriſſimus Antiſtes Gebenenſis in
p.1.c.4. ſua Philothea præcipuè commẽdat, nimirum non modo piorum exemplis & conuerſatione, ſed etiam peculiari duce ac magiſtro in virtutis ſemita opus eſſe; nuſquam enim inter varias periculoſiſſimaſque vitæ huius tentationes tutiùs ambulari poteſt, nuſquã certiùs voluntas diuina dignoſci, quam eiuſmodi ſpiritualis magiſtri conſilio, ac monitis. Vnde etiam illuſtriſſimus
Arch. Brac. lib de mor. præf. p. 1 alter Antiſtes ſapientiſſimè edixit, *hoc remedium datum eſſe à Deo, vt qui ſua ſe prudentia curare non poteſt, aliena iuuetur: & quamuis contingat eum falli, & errare qui conſilium dat, non fallitur tamen qui accipit, quando ex mandato Domini ſequitur conſilium eius.*

Quare vt cum Sapiente hoc capitu-
Eccl. 27 lum concludamus; *cum viro ſancto aſſiduus eſto, quemcumq; cognoueris obſeruantem timorem Dei, cuius anima eſt ſecundum animam tuam, & qui cum titubaueris in tenebris condolebit tibi: cor boni conſilij ſtatue tecum, nõ eſt enim tibi aliud pluris illo.* CA-

CAPVT V.

Quartum medium ad perſeuerandum, crebræ de rebus Eccleſiaſticis collationes.

QVantum ad ſolidæ virtutis incrementum, & in incremento illo perſeuerantiam conducere poſſint collationes illæ, quæ de rebus ad pietatem religionemque ſpectantibus inſtituuntur, & quam vberes fructus afferre ſoleant, præter exempla propè innumera ſanctiſſimorum virorum, qui, vt ex SS. Baſilio, Hieronymo, Caſſiano, & alijs diſcimus, hac præſertim ratione ad perfectionem conſectandam vſi ſunt vel ex ipſa quotidiana experiētia conſtat: ſi enim inquiratur quid ad Cleri reformationem promotionemque in bonum, his vltimis tēporibus potiſſimū contulerit, inuenietur inter alia media, quę illuſtriſſimorum Pręſulum vigilantia, & zelo ad hunc finem adhibita ſunt,

Baſil. in reg. fuſ. c. 54. Hier. ep. 22. ad Euſtoc. Caſſ. in præ. ad collat.

vnum ex præcipuis & ſaluberrimis fuiſſe indictionem congregationum, quarumdam inter Paſtores, Sacerdotes, aliosque viros Eccleſiaſticos, ſtatis temporibus in ſua cuiuſque Diœceſi habendarum, in quibus de rebus ad mores, aut Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentibus colloqui inter ſe & conferre deberent.

Sanè ipſe Sanctus Carolus Borromæus, cuius indefeſſum zelum in inſtauranda diſciplina Eccleſiaſtica nemo neſcit, adeo vtiles, & proficuas eiuſmodi collationes exiſtimauit, vt (quod ex Mediolanẽſis Eccleſiæ actis diſcimus) tria congregationũ genera, in quibus eiuſmodi collationes fierent haberi voluerit. Vnam per ſingulas hebdomadas in ipſis ędibus Archiepiſcopalibus, ad quam qui in Seminario inſtituebantur conuenire deberent, vt de ijs, quæ ad ſtudia, mores, diſciplinamque Eccleſiaſticam pertinebant, colloquerentur. Alteram in vnaquaque Parochia, cui adſcripti forent ad minus quinque Sacerdotes, quos bis per hebdomadam quamque à Parocho conuocari oporteret, vt inter ſe de aliqua vel Catechiſmi Romani lectione, vel Theologiæ moralis quæſtione, aut Synodi Prouincialis, ſeu Diœceſanæ conſtitutione conferrẽt, ad quam congregationem etiam Cle-

In inſt. ſem. e. 5.

Conc. 1. Med. tit. 2.

rici

rici qui inter illius Parochiæ ſines habitabant, admittebantur. Tertiam deniqꝫ inter ipſos Parochos. Qua de cauſa Mediolanenſis Diœceſis in quaſdã regiones partita fuerat, quarum vnicuique Vicarius foraneus præfectus erat, qui congregationi Parochorum cuiuſque regionis præeſſe debebat: & in hac congregatione ipſi Parochi de ijs præſertim rebus, quæ ad boni Paſtoris officium, & ad curã animarum rectè gerendam ſpectabant, colloquebantur. *Conc. 4 Mediolan. tit. de par.*

Neque hæc congregationum & collationum inſtitutio ſine maxima ratione ab illo ſancto, alijſque Epiſcopis eius virtutis æmulatoribus facta eſt: *Cum enim* (vt loquitur Iſidorus) *ſit vtilis ad inſtruendum lectio, adhibita tamen collatione maiorẽ præbet intelligentiam: melius eſt enim conferre quam legere; collatio ſiquidem docibilitatem facit, &c. quid enim obſcurum, aut dubium eſt, conferendo cito perſpicitur.* Et quod præcipuum eſt, in illis collationibus experitur quiſque quàm verum ſit id quod Chriſtus Dominus in Euangelio edixit: *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* *lib. 3. de. ſum. c. 14* *Mat. 18*

Si igitur ad commune ipſius Eccleſię bonum collationes illæ adeo ſa-

lubres ſunt & proficuæ: certè ad particularem cuiuſq; Sacerdotis profectum non niſi aptiſſimæ & vtiliſſimæ eſſe poſſunt: ac proinde quando in eo loco verſatur in quo inſtitutæ ſunt, ad illas quantum in ipſo eſt a dictum ſibi procurare, & ſi pateat, iniiſdem aſſiduum ſe præbere, ſtudiumque & operam ad fructum inde colligendum ponere debet.

Imo ſi illic vbi commoratur nullę eiuſmodi habeantur collationes, ad zelum illius ſpectabit, omnibus quibus poterit modis eniti, vt Superiorum authoritate inſtituantur, ſacerdoteſque & alii Eccleſiæ miniſterio mancipati ad collationes illas frequentandas conuenientibus modis excitentur.

Porro plurima ſunt eaque diuerſa, quæ in eiuſmodi collationibus vtiliſſimè pertractantur; quidam enim de caſibus (vt vocant) conſcientiæ in illis colloquuntur, proponuntque, v.g. quæſtionem aliquam moralis Theologiæ diſcutiendam, ſuper qua refertur, quod quiſque ex priuata lectione in probatis authoribus dedicerit. Alii de ſcripturis diſſerũt, & excerpto themate aliquo, verbi gratia, ex Euangeliorum libris, aut pſalterio, ſuper illius explicatione cõ-

ſu-

ſulunt vnuſquiſque ſanctum aliquem Patrem, aut alium probatum interpretem, & quod apud illum legerint, hoc ad communem vtilitatem & inſtructionem conferunt.

Alij rituale Romanum, aut ſuæ Diœceſis proprium, præ manibus aſſumunt, & de optima praxi eorum, quæ inibi continentur, inter ſe diſſerunt. Alij præcipuas muneris Sacerdotalis functiones, verbi gratia, Catechiſticam inſtructionem, & alias ſimiles deligunt, & quis ſit optimus eas exequendi modus inquirunt. Alij denique de virtutibus Sacerdotum, Clericorumque inter ſe colloquuntur, quæruntque qua ratione illis acquirēdis & exercēdis, vitijſq; oppoſitis radicitus euellendis incūbere poſſint.

Optimum videtur iſta intermiſcere, & ad animum magis excitandum, vitandumque faſtidium, nunc de illo ſubiecto conferre, nunc de alio: ita nihilominus vt pręcipuus locus detur ſtudio earum virtutum quæ ad perfectionem Sacerdotalem aſſequēdam magis æſtimantur neceſſarię, aut vtiles. Et de quocumque ſubiecto ipſa collatio inſtituatur, illud præſertim obſeruandum erit, vt ea quæ dicuntur, non ad pompam, aut ingenij, ſeu doctrinæ, vel elocutionis oſtentationem, ſed eo ſimplici, & vni-

co intuitu in medium proponantur, vt vnuſquiſque (ſicut ait Apoſtolus) in ea vocatione qua vocatus eſt dignè ambulet; ac in veræ pietatis virtutiſque ſtudio proficiat, & perſeueret; ſeque ad maiorem Dei gloriam & Eccleſiæ ædificationem procurandam magis, ac magis aptum & idoneum reddat.

CAPVT VI.

Quintum medium ad perſeuerandum, frequens, ac deuota ſanctiſsimi Miſſæ ſacrificij celebratio.

QVot & quantæ gratiæ, ac benedictiones per ſanctiſſimi huius ſacrificii celebrationem, in ipſius Sacerdotis celebrantis animã deriuentur; quam ſalutaria & efficacia auxilia, tum ad ſuperandas tentationes, tum ad virtutes conſectandas ex eodem hauriantur, nullus pro dignitate explicare, imò nec intelligere ſufficit; ſiue enim myſterium hoc conſide-

ſideretur ſub ratione ſacrificii, quod à Sacerdote offertur, ſiue ſub ratione Sacramenti, in cuius communionem admittitur; vndequaque ampliſſima dona, vberrimi fructus, ſaluberrimi effectus ex illo diffluunt.

Panis iſte ſuperſubſtantialis, calixque benedictione ſolemni ſacratus (vt loquitur ſanctus Cyprianus) *ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul & medicamentum & holocauſtum, ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens*. & ſanctus Ambroſius: *omnia*, inquit, *habemus in Chriſto, & Chriſtus omnia nobis eſt. Si vulnerum curationem deſideras, medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi iniquitate grauaris, iuſtitia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi tenebras refugis, lux eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt; ſi cælum deſideras via eſt.* *ſer. de cœn. Dõ.* *lib. de Virg.*

Cum igitur Sacerdos vt homo infirmitate circumdatus in huius vitæ peregrinatione variis conflictetur miſeriis, ac ſæpiſſimè auxilio, luce, refrigerio, refocillatione, aliiſque ſpiritualibus ſubſidiis indigeat: opus illi eſt quam frequentiſſimè ipſum gratiæ, ac miſericordiæ fontem adire: vt in ipſo, & ex ipſo aquam illam hauriat, quæ fiat in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Vt enim optimè dixit ſanctus Bernardus: *Orgo fontium & fluminum mare, virtutum & ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus; proindeque ſi quid ſapientiæ, ſi quid virtutis habere te putas, vni Dei virtuti, vni ſapientiæ deputa Chriſto.*

ſer. 13 in Cant.

Et ſanè experientia ſatis conſtat,& teſtis ſibimet ipſa eſt Sacerdotis conſcientia, quantum gratiarum ex digna & frequenti diuini huius ſacrificii celebratione percipiat, quantum inde virtutis, ac roboris aduerſus impugnationes dæmonum, quantum lucis ad directionẽ animarum, quantũ ſubſidii, & ſolatii in quacumque neceſſitate, & aduerſitate accipiat, vt verè dicere poſſit, & debeat, *paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes qui tribulant me; impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt, & miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.*

Pſ. 22.

Verè, inquam, de ſalutari illa hoſtia, quam offert & accipit, profiteri debet: *omnia bona venerunt mihi pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius*: idque eo plenius, & affluentius, quo gratia hæc cæleſtis, veluti per geminũ canalem in eius animam irrumpit, ſacrificii ſcilicet, & Sacramenti; cuius vtriuſque virtutẽ

Sap. 7

per

per huius myſterii celebrationem in ſe percipit, cum enim Sacerdos Miſſam celebrans, & ſacrificium offerat, & Sacramentum ſumat; nemini dubium eſt, quin ex vtroque, quoties rem diuinam facit, non modo ampliſſimum iuſtitiæ, ac ſanctitatis incrementum, ſed & maximam diuinorum auxiliorum copiam accipiat: ſi tamen nullum ipſi gratiæ obicem ponat, diſpoſitioneſque requiſitas afferat: & proinde quo digniùs & frequentiùs diuino altari ſacrificaturus aſſiſtit, eo pleniùs ac vberiùs aquas illas ſalutis è fontibus Saluatoris haurit.

Quare Chriſtiano Sacerdoti in virtutis ſemita proficere, ac perſeuerare cupienti conſultiſſimum eſt, quotidie ad ſanctiſſimum hoc Miſſę ſacrificium celebrandum, quam maxima poterit religione, ac deuotione ſeſe diſponere, idque exemplo ſanctiſſimorum quorumcumque Sacerdotum de quibus cum plura, & varia referantur virtutum exercitamenta, illud fermè commune omnibus legitur, eos quotidie diuinæ huius hoſtiæ immolationem peregiſſe, eidèque participaſſe; quod & hoc tempore à piis quibuslibet Sacerdotibus, vbique cum ſumma totius Eccleſiæ ædificatione, & ipſorummet celebrantium profectu fieri perſpicimus.

Ad hanc autem quotidianam Miſſæ celebrationem dignè exequendã, tum iis quæ parte ſecunda huius libri capite ſeptimo dicta ſunt, iuuari poterit, tum maximè vitæ, ac morum ſanctitate ac iugi obſeruatione eorum, quę toto eiuſdem libri decurſu propoſita ſunt: *ſic enim*) vt cum Sancto Bernardo concludamus) *nobis viuendum eſt, vt panem illum ſuperſubſtantialem ſemper accipere mereamur, quia væ ei qui ſe alienum fecerit ab eo; & multum væ illi, qui ſpurcus & immundus acceſſerit, vtrobique grande periculum, ideo magna neceſſitas inſtat, ne indigni inueniamur.*

l. de ord. vit.

CA-

CAPVT VII.

Sextum medium ad perſeuerandum, Specialis erga ſanctiſſimam Virginem Deiparam deuotio.

Plurimæ quidem ſuppetunt rationes, ob quas Chriſtianus Sacerdos ſpecialem Deiparæ Virgini obſeruantiam, ac deuotionem deferre tenetur; varij eximijque tituli, quibus veluti totidem ſacris vinculis, peculiari erga eam venerationi & cultui aſtringitur: ſi enim illa æquè in Eccleſia militante in terris, ac triumphāte in cœlis, Domina & Regina agnoſcitur, & colitur, ſanè ab eo prę. ſertim, cultus & honor illi deferendus eſt, qui tāquam Eccleſiæ miniſter, in officiis Religionis, ac pietatis aliorum Chriſtianorum vices ſupplere debet: Si Chriſti Dei, & Domini noſtri mater eſt, hāc haud dubiè peculiari affectu, amore, ad deuotione proſequi debet is, qui cum Diuino eius Filio, quadam Religionis veluti affinitate ſpeciatim coniunctus, cum eo

Ad hanc autem quotidianam Miſſæ celebrationem dignè exequendã, tum iis quæ parte ſecunda huius libri capite ſeptimo dicta ſunt, iuuari poterit, tum maximè vitæ, ac morum ſanctita e ac iugi obſeruatione eorum, quę toto eiuſdem libri decurſu propoſita ſunt: *ſic enim*) vt cum Sancto Bernardo concludamus) *nobis viuendum eſt, vt panem illum ſuperſubſtantialem ſemper accipere mereamur, quia væ ei qui ſe alienum fecerit ab eo; & multum væ illi, qui ſpurcus & immundus acceſſerit, vtrobique grande periculum, ideo magna neceſſitas inſtat, ne indigni inueniamur.*

l. de ord. vit.

CA-

CAPVT VII.

Sextum medium ad perſeuerandum, Specialis erga ſanctiſſimam Virginem Deiparam deuotio.

Plurimæ quidem ſuppetunt rationes, ob quas Chriſtianus Sacerdos ſpecialem Deiparæ Virgini obſeruantiam, ac deuotionem deferre tenetur; varij eximijque tituli, quibus veluti totidem ſacris vinculis, peculiari erga eam venerationi & cultui aſtringitur: ſi enim illa æquè in Eccleſia militante in terris, ac triumphãte in cœlis, Domina & Regina agnoſcitur, & colitur, ſanè ab eo præſertim, cultus & honor illi deferendus eſt, qui tãquam Eccleſiæ miniſter, in officiis Religionis, ac pietatis aliorum Chriſtianorum vices ſupplere debet: Si Chriſti Dei, & Domini noſtri mater eſt, hãc haud dubiè peculiari affectu, amore, ad deuotione proſequi debet is, qui cum Diuino eius Filio, quadam Religionis veluti affinitate ſpeciatim coniunctus, cum eo

ſanctiſſimis myſteriis perficiendis iugiter cooperatur; illumque ipſum in manibus quotidie defert, quem hæc puriſſima virgo & mater toties inter vlnas & in ſinu geſſit.

Sed præ cæteris titulis, rationibuſque, hoc præſertim nomine deuotus illi eſſe debet, quod ad diuinum miniſterium delectus, plurimis eximiiſque gratiæ donis indiget ad illud fideliter perfecteque implendum, plurimis maximiſque ſubſidiis ad ſuperandas difficultates occurrentes, tentationeſque vincendas: ad illa autem auxilia & ſubſidia efficaciter impetranda, quantum ſanctiſſimæ illius Virginis valeat interceſſio, & patrocinium nullus fidelium ignorat.

ſer. 2. in Miſſus eſt

Ipſa namque, vt eloquitur Sanctus Bernardus, *eſt nobilis illa ſtella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipſa namque eſt præclara & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis.*

Pergit deinde: O *quiſquis igitur te intelligis, in huius ſæculi profluuio, magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quam per terram ambulare; ne auer-*

tas oculos à fulgore huius ſyderis, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam. *Si iactaris ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice ſtellam, voca* Mariam. *Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculã concuſſerit mentis, reſpice ad* Mariam, *&c. in periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs,* Mariam *cogita,* Mariam *inuoca; non recedat ab ore, non recedat à corde.*

In quibuſcumque periculis, inquit Doctor Angelicus, *à quouis malo liberari, ſalutemque obtinere glorioſæ huius Virginis interceſſione potes; hæc eſt enim myſtica turris Dauid, ex qua mille clypei pendent, id eſt quæcunque remedia, aduerſus omnia & quæuis pericula; potes etiam in omnibus occaſionibus exercendæ virtutis ſubſidium auxiliumque ab eadem Virgine accipere, ideo enim dicit, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* *Opuſc.* 8

Et quoniam ad promerendam huius ſanctiſſimæ Virginis beneuolentiam, non ſufficit eam vel honore proſequi, vel precibus inuocare, niſi etiam eius veluti colores gerat, id eſt; niſi virtutes eius imitetur, is præſertim qui Chriſti filii eius miniſterio deuinctus eſt, ac veluti domeſticus effectus: idcircò ſanctus Bernardus verbis

bis ſupra relatis addit, *& vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum; ipſam namque ſequens, non deuias; ipſam cogitans, non erras. &c.*

Hæc autem omnia, ſiue ad cultum & honorem, ſiue ad inuocationem, ſiue ad imitationem huius ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis ſpectantia, fuſius expoſita reperientur in libro ante aliquot annos Gallico idiomate à nobis edito, cui titulus eſt, *Traditio Eccleſiæ, circa ſpecialem deuotionem Chriſtianorum erga ſanctiſſimam Virginem Mariã Deiparam, ex ſacris Scripturis, actis Cõciliorum, ſanctorumque Patrum, ac celeberrimorum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptorum libris collecta; cum eiuſdem deuotionis praxi, ſecundum documenta ac exempla Sanctorum, vſumque & authoritatem Eccleſiæ.*

In quo quidem libro Chriſtianus Sacerdos ſi libeat, multa & præclara Religionis Chriſtianæ monumenta per cuiuſque ſæculi ſeriem diſpoſita, plurima etiam ad praxim illius erga ſanctiſſimam hanc Virginem deuotionis, ex ijſdem fontibus hauſta reperiet: vnde non ſibi modo, ſed & aliis prodeſſe, ipſiuſque Deiparæ cultum, in ſuo aliorumque animo ac corde fouere, ac pro.nouere poterit.

CA-

CAPVT VIII.

Septimum medium ad perſeuerandum, ſeceſſus annuus.

SI omnibus veræ ac ſolidę pietatis ſectatoribus vtiliſſimum eſt, vt non dicam aliquo pacto neceſſarium, interdum ab alijs negotijs & occupationibus ſe ſe ſubducere, & ſoli Deo, ſibique ipſi in ſeceſſu aliquo ſpirituali vacare, quod vel ipſa experientia ſatis conſtat: multo magis hoc de Sacerdotibus, alijſque Eccleſiæ miniſtris cenſendum eſt, vt pote qui ad altiorem ſanctitatis gradum euecti, & nihilominus varijs curis ſollicitudinibuſque pro cultu Religionis, animarumque ſubſidio diſtenti, maioribus & efficacioribus adiumentis, ad pietatis vigorem charitatiſque feruorem fouendum, ac conſeruandum indigent.

Dum enim per varias actiones, inquit Sanctus Leo, *vitæ huius ſollicitudo diſtenditur, neceſſe est de mundano puluere, etiam religiosa corda sordescere: vnde magna diuinæ pietatis dignatione prouiſum* Serm. 4. de quad.

ſum eſt, vt ad reparandam mentium puritatem aliquot dierum nobis exercitatio mederetur.

Præterea (vt rectè adnotauit illuſtriſſimus Epiſcopus Gebennenſis) na-
Phil. p.5 turæ fragilitas, & carnis concupiſcen-
c.1 tia, quæ omnibus filiis Adam communis eſt, animum continuò deprimit, & ad infima detrahit; niſi ipſe diuina ſubnixus gratia, per affectiones & reſolutiones pias crebrò iteratas, veluti quaſdam ſpirituales pennas, ſeipſum ab inferioribus abſtrahere, & verſus Deum eleuare contendat; quod quidem vt meliùs & efficaciùs præſtet, opus eſt interdum, *à tumultu rerum temporalium*, vt lo-
lib. 4. quitur ſanctus Gregorius, *seceſſum*
mor. c. *petere, in quo Deus tantò puriùs cer-*
28. *nitur, quantò cum ſe ſolo, ſolus inuenitur.*

Dicat igitur, ſi libet, quiuis Chriſti miniſterio addictus, prouectionis ſuæ & perſeuerantiæ in virtute cupidus: Dicat, inquam, interdum cum Propheta, *contriſtatus ſum in exercitatio-*
Pſ. 54. *ne mea, & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris; cor meũ conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me: & dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam*, vt ſic fugiens, & conturbationibus mundi elongatus, maneam

in ſolitudine, & ibi expectem eum, *qui ſaluum me faciat à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.*

Porro, vt rectè ac fructuosè inſtituatur hic ſpiritualis ſeceſſus (quem quotannis per octo aut decem dies, ſi commodè poſſit, fieri expedit) quædam hic breuiter adnotabimus, quæ viſa ſunt obſeruatu minimè inutilia.

Primum eſt, vt qui ſeceſſum illum meditatur, priùs apud ſe perſpiciat, quo fine illum appetat, quidve in eo potiſſimum efficere intendat: neque enim ſolummodo quietis & trãquillitatis alicuius in eo deguſtandæ gratia, aut ſpiritualis cuiuſpiam operis, quod arridet, exercendi, aliaue ſimili de cauſa ſecedendum ipſi eſt; ſed vt iudicialem veluti quendam proceſſum in ſemetipſum inſtituat, cunctaſque animi ſui diſpoſitiones perſpiciat, ac diiudicet; & ſi quas in ſe vitioſas habitudines, aliosque morales defectus deprehendat, radicitùs euellere nitatur, ad idque gratiæ diuinæ auxiliũ ſuppliciter expetat, eiuſq; robore ſubnixus ad acquirendas virtutes ſibi maximè neceſſarias, vocationiſque ſuæ perfectionem adipiſcendam, ſeſe diſponat, & ad id præſertim meditationes, lectiones, aliaque ſpiritualia exer-

exercitia, in ſeceſſu fieri ſolita ordinet, & impendat.

Secundum eſt, vt illud ſeceſſus animi exercitium libenti animo aggrediatur, *non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus*:
2.Cor.9
& ſi quod tædium, aut faſtidium natura perſentiat, meminerit quoniã (vt monet Apoſtolus) *omnis diſciplina quidem in præſenti nõ eſt gaudij, ſed mœroris; poſtea autem fructum pacatiſſimũ exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.*
Hebr.12
Dicat igitur in ſeceſſum ingrediens, *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, in his ergo diebus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, &c.*
2.Cor.6

Tertium eſt, vt omnes & quaſcunque ſæculi cogitationes & curas ab animo excludat, cogitetque *vnum eſſe neceſſarium*, vnique proinde illi vacandum, *quid enim prodeſt ſolitudo corporis* (vt ait ſanctus Gregorius) *ſi ſolitudo defuerit mentis?*
lib.3. mor.c. 12.

Certè cum trecentis & ſexaginta quinque diebus conſtet annus, nonne rationi conſentaneum eſt, vt cum reliquos omnes in conuerſatione hominum impendat, ſaltem aliquot ex illis ſeligat quibus vni Deo vacet, ſeſeque ad ea diſponat, quæ illi accepta & placita eſſe nouerit.

Quartum eſt, vt ſi in illo ſeceſſu cõfeſſionem peccatorum, velit inſtitue-

tuere, vel generalem totius vitæ, vel ab vltima dumtaxat generali, prout magis expedire videbitur: ad hanc ſeſe ea diligentia præparet, tanquam poſtrema hæc ipſi confeſſio facienda foret, vt revera aliqua tandem poſtrema futura eſt, & iſta æquè, ac alia talis proculdubiò eſſe poteſt; præſertimque conuenienti peccatorum facta diſcuſſione, veros perfectæ contritionis actus elicere ſtudeat, eoſdemque ſæpius iteratos tanquam ſaluberrimas ad pœnitentiæ Sacramentum diſpoſitiones præmittat; exinde cum ſumma ſinceritate animi ſui occultiſſima quæque confeſſario, ſeu patri ſpirituali aperiat, humiliterque eius monita, & conſilia auſcultet, ac poſtea fideliter exequatur.

Quintum denique eſt, vt ordinem ſibi agendorum in illo ſucceſſu præſcribat, quo & tædium omne tollatur, & acceptabile illud tempus piè ac fructuosè impendatur. Sũt autem varia pietatis opera, quibus vnamquamque ſeceſſus illius diem, vtiliſſimè impendere poterit, quorum præcipua ſunt: Meditatio ſeu oratio mẽtalis, quæ ter, aut quater, ſingulis diebus inſtituetur, pro cuiuſque facultate & diſpoſitione. Officij diuini attenta, & deuota recitatio, ſanctiſſimi Miſſæ ſacrificii celebratio, lectio ſpiritua-

ritualis, &c. quæ quidem & alia ſimilia exercitia eo ordine ſi ita videbitur diſponet, vt ſcilicet hora certa præſtituta, qua è ſomno ſurgere debeat, poſt exercitium matutinũ, primam inchoet meditationem: qua finita, pręcipuas (ſi expedit) reſolutiones in ea aſsũptas ſcripto breuiter adnotet, poſtea horas canonicas primam & tertiam recitet, tum ad Miſſæ ſacrificium celebrandum ſe diſponat: Miſſa peracta tempus aliquod lectioni ſpirituali impendat; exinde hora conuenienti ſecundam inſtituat meditationem, & immediatè ante prandium ſextam recitet, ac recollectionem aliquam faciat ſuper exercitiis toto tempore matutino peractis.

Ipſum veró prandium moderata aliqua ſubſequatur animi relaxatio, quæ nihilominus talis ſit, vt nullum mũndi cogitationibus, aut curis aditum præbeat: poſtea nonam recitet, tum ſpirituali lectioni vacet: deinde tertiam peragat meditationem, vel ſi hora minùs commoda videatur, loco meditationis, conſiderationem aliquã piam & vtilem inſtituat præſertim de optima ratione agendorum, & delectu mediorum aptiſſimorum ad virtutes conſectandas, vitiaque ex animo eliminanda; & adnotatis ijs, quæ vide-

debuntur, recitet veſperas cum completorio, tum lectioni ſpirituali aliquantulum vacet, exinde vltimam perficiat meditationem: ac demum hora competenti matutinum officium ſequentis diei cum laudibus exoluat; & poſt cœnam, modicamque aliquã animi remiſſionem, examen conſciẽtiæ inſtituat, ſolitiſque precibus completis, hora deſtinata ſe ad quietem neceſſariam captandam in lectulo modeſtè componat.

En quibus exercitiis poſſit vnaquæque dies in illo ſeceſſu fructuoſiſſimè impendi, quæ hic rudi penicillo vtcũque adumbrauimus, quod minimè obſtare debet, quin vnuſquiſque de conſilio præſertim alicuius pij, ac prudentis viri, ordinem illum ſupra deſcriptum, vt ſibi commodius videbitur immutare, & alia inſuper virtutis exercitia præcedentibus adiungere queat: hoc ſolum hic admonere ſufficiat, plurimum referre, vt omnia hęc ſingula pietatis, ac religionis opera, quam fideliſſimè & exactiſſimè peragãtur, idque eo magis, quo is qui in ſeceſſu eſt, actuum ſuorum tunc ſolum Deum teſtem habet, illiuſque ſolius oculis placere contendit: & præſertim in meditationibus, eo quo poterit meliori modo inſtituendis operam collocet, cum præcipuus ex ijs fructus

ex-

expectetur, & talis ferè quiſque ſit in aliis exercitiis, qualem ſe in oratione, & meditatione exhibuit.

Quamuis autē plurimi reperiantur ijque optimi libri; ex quibus meditationum illarũ, quæ in ſeceſſu fiunt, varia materia, eaque ordine pulcherrimo digeſta peti poſſit: attamē vt nihil hic deſideretur eorum, quæ ad Chriſtiani Sacerdotis ſubſidium conferre queunt; certa quædam capita eius obligationibus officijſque maximè apta & conuenientia ſelegimus, atque in triginta meditationes diſtributa, ad huius operis calcem ſubiecimus; quibus ſi addantur decem aliæ in prima eiuſdem operis parte exſcriptæ, ex illis omnibus quiuis haurire poterit ea, quæ deuotioni eius & diſpoſitioni magis congruere videbuntur.

Atque vt maiori cum luce & fructu in illis meditationibus procedatur, omnia & ſingula ad perfectionem Sacerdotalem ſpectantia eo diſponentur ordine; vt primum in Chriſto Domino conſiderentur, tanquam in primo & ſummo Sacerdote, virtutumque omnium Sacerdotalium abſolutiſſimo exemplari: Deinde perſpiciatur qua ratione quiuis Sacerdos ipſum Chriſtum affectari, ſeſeque illi conformare in quacumque actione & virtute quam perfectiſſimè poſſit.

MEDITATIO I.

Chriſtus Dominus, perfectiſſimum Sacerdotum exemplar.

1. Conſidera filium Dei, è cælis in terras à Deo Patre idcircò fuiſſe miſſum, vt diuinam imaginem, in homine per peccatum obliteratam, & fermè deletam quam perfectiſſimè inſtauraret: & ea ratione, ipſum filium Dei incarnatum, ſeipſum tanquam abſolutiſſimum virtutum exemplar cuilibet homini propoſuiſſe, vt ſe illi conformando, Diuinæ ſimilitudinis ſplendorem recuperaret.

Obſtupeſce ſuper calamitoſo illo humanæ naturæ ſtatu: Verè, *homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Pſ. 48. Mirare Dei bonitatem: Domine quid eſt homo, quod memor es eius? Gratias age pro diuino illo exemplari, æquè tibi atque alteri cuilibet homini ad imitandum propoſito.

2. Con-

2. Conſidera Chriſtum Dominum præſertim diſcipulis ſuis, & proinde Sacerdotibus ſuis ſe in exẽplar & formam virtutis, ac perfectionis dediſſe, ideoque ſe illorum Magiſtrum peculiari ratione profeſſum eſſe: *Magiſter veſter*, inquit, *vnus eſt, Chriſtus*, qui ſcilicet virtutis aſſectandæ, perfectioniſque aſſequendæ rationem, & modum oſtenderet; idque tum ſaluberrimis documentis, tum etiam maximè prꝗclariſſimis exemplis. *Exemplum enim*, inquit, *dedi vobis, vt ſicut ego feci, ita & vos faciatis*.

Mat. 23

Ioan. 15

li. 2. de virg.

Primus diſcendi ardor, inquit S. Ambroſius, *nobilitas eſt magiſtri* Quid nobilius ipſo Dei ſilio: & tamẽ quis pudor, ſub diuino illo Magiſtro, tã infeliciter proficere, tã lẽtè progredi? imò deficere potius quam proficere, regredi potius quam progredi; Sed quam ſtupenda & damnabilis inſenſibilitas, ipſius Dei propter nos hominis facti exemplis, vix, aut nullatenus promoueri? excutiamus igitur torporem illum, *exuamus nos veterem hominem cum actibus ſuis, & ſi portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*.

Coloſſ. 3

3. Conſidera Chriſtianum Sacerdotem alio adhuc titulo teneri ad imitationem ipſius Chriſti: quia

ſcilicet alios Chriſtianos non verbo ſolum, ſed præſertim exemplo ſuo ad diuinum illum Saluatorem imitãdum debet inducere: ita vt cuique dicere poſſit cum ſancto Apoſtolo, *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Phil. 3.

Vide igitur, an hoc verè dicere queas? aut ſaltem an talis eſſe velis, qui hoc verè aliis dicas? & ad hunc finẽ, ipſius Chriſti imitandi nouũ firmumq; propoſitum concipe: perſpice in quibus præſertim imitatio illa tibi ſit neceſſaria: require in Euangeliis quomodo diuinus ille Magiſter ſe in omnibus geſſit: *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi propoſitum eſt:* & ad hoc gratiam illius adiutricem ſuppliciter expoſce. Exod. 25.

MEDITATIO II.

Chriſti Domini vita, regula vitæ Sacerdotalis.

1. Conſidera Sacerdotis Chriſtiani vitam adeò ſanctam & perfectam eſſe debere, vt, iuxta effatum Apoſtolicum, *in eius carne mortali vita Chriſti manifeſtetur;* itaut cum eodem verè dicat, *viuo ego, iam non ego,* 2.Cor.4

viuit vero in me Chriſtus. Hoc autem
Gal. 2. præſtare nullatenùs poteſt, niſi ipſius
Chriſti vitam tanquam vitæ ſuæ normam & regulam ſibi proponat, à qua, ne minimum quidem ſibi deflectendum eſſe arbitretur.

Vide igitur an talem te exhibueris? an vita Chriſti vitæ tuæ norma fuerit? & etiamnum ſit? heu, ſi hoc coram Deo attentè perſpexeris, quanta vitæ tuæ ab illius diuinæ vitæ norma & regula diuerſitas? & ſi dicere liceat,
2. Cor. 10. quanta & quam infelix vitæ tuæ enormitas, & irregularitas à te deprehenditur: ſi igitur huc vſque *alienam regulam* ſequutus es, àmodò propone vitam tuam, ſenſus, ſermones,
Ibid. & actus tuos dirigere, *ſecundum menſuram illius regulæ, qua menſus eſt tibi Deus*.

2. Conſidera normam illam, & regulam vitæ Chriſti Domini præſertim reperiri in ſacris Euangeliis, ideoque à te in illis ſedulò requirendam eſſe; & Euangelia ipſa deuote humiliterque tibi eſſe legenda & meditanda, conſectandumque illius ſanctæ Virginis pium & religioſum ſtudiũ, de qua dicitur, quod *Euangeliũ Chriſti portabat in pectore ſuo, & neq; diebus, neq; noctibus ab illius meditatione vacabat.* Itaut illa æternæ vitæ verba geras transfixa viſceribus tuis.

Ad

Ad hoc autem plurimum conferre poterit, ſi quotidie capitulum aliquod ex ſacris euangelijs, aut alijs noui teſtamenti libris attente, ac deuotè perlegas; idque exemplo ſancti Caroli Borromæi, nudo capite, flexiſque genibus.

3. Conſidera Diuinam hanc regulam, humano ſenſui, & guſtui paulo duriorem, & aſperiorem initio videri, ſed crede potius ipſimet veritati aſſerenti *iugum eius ſuaue eſſe, & onus eius leue*; hacq; ſolummodo ratione veram ſolidamque animæ tuæ requiem poſſe inueniri: crede Apoſtolo edicenti *quicumque hanc regulā ſequuti fuerint pax ſuper illos & miſericordia*: proindeque licet reclamāte natura, mundo aduerſante, fremente diabolo, hanc regulam ſalutis toto corde amplectère; hanc vt verus & fidelis Chriſti diſcipulus, conſtanter profitere; in hac perſeuerater vſq; ad vltimum vitæ tuæ ſpiritum remanere propone propoſitumque illud offer, Deo, & eius gratiam ad illud implendum ſuppliciter expoſce.

Mat. 11

Galat. 6

MEDITATIO III.

Chriſti Domini virtutes ab eius Sacerdotibus præſertim conſectandæ.

1. Conſidera, quod quamuis Chriſtus Dominus virtutes omnes in gradu ſuperexcellẽtiſſimo habuerit, non tamen omnium actus æqualiter exercere voluit; ſed eas ſibi peculiari ſtudio affectandas delegit, quas muneri ſibi à Deo Patre impoſito magis congruere arbitratus eſt: eas ſcilicet, quæ ad ſalutem hominum procurandam vtiliores, aut aptiores erant; cum ad hoc in hunc mundum venerit, vt peccatores ſaluos faceret. Ideoque Sacerdos, qui in partem illius Diuini miniſterii vocatus eſt, quique ſe totum pro ſaluandis animabus impendere, & ſuperimpendi debet, hac peculiari ratione tenetur virtutes eaſdem ſibi deligere, & Domini ſui veſtigiis inhærere.

Heu quantos profectus in Eccleſia faceret is qui ſe talem exhibere niteretur? & quid mirum ſi vſque mo-

do

do in Chriſti Domini Eccleſia ſeruus inutilis extitiſti, cum in affectandis illius virtutibus adeo negligentem te præbueris.

3. Conſidera Chriſtum Dominum eas ſibi virtutes exercendas delegiſſe, non quæ maiorem in oculis hominum fulgorem emitterent. ſed quæ ex ſe ſolidiores, & excellẽtiores eſſent, ac Deo Patri ſuo acceptiores: proindeque eas virtutum occaſiones libenter amplexatum fuiſſe, in quibus perfectior Dei dilectio & glorificatio, fructuoſior animarum ædificatio, & ſuiipſius maior humiliatio, abnegatio, & mortificatio reperiretur: hoc in natiuitate, hoc in toto vitæ decurſu, hoc denique in paſſione, & morte conſtanter perfecit.

En qua ratione optimè te geras in delectu virtutum, vt ſcilicet eas præſertim conſecteris, non quarum praxis tibi magis arridet, aut quibus famam tibi, & exiſtimationem apud alios conciliare poſſis; ſed quæ te Chriſto Domino magis conformem, & miniſterio tuo exequendo aptiorem efficere queant.

3. Conſidera Chriſtum Dominũ non modò delegiſſe virtutes illas quas muneri ſuo aptiſſimas, & Deo Patri ſuo acceptiſſimas eſſe nouerat,

ſed & èas excellentiſſimo modo exercuiſſe, proindeque ipſas virtutes in eo fuiſſe perfectiſſimas,& omnibus numeris ſuis abſolutiſſimas: ex quo diſcere debes qua ratione te geras in virtutum illarum delectarum praxi, non perfunctoriè,non oſcitanter, non remiſsè, aut tepidè,ſed cum diligentia & ſedulitate, cum feruore, & affectu, tanquam Deo per omnia placere exoptans; ideoque præſtat non plurium virtutum ſimul,ſed vnius dũtaxat exercitium (aliis tamen minime neglectis)peculiari ſtudio per aliquod tempus amplecti, illius nimirum, quam tibi maxime neceſſariam, aut muneri tuo magis congruam, vel vtilem eſſe deprehendes, idque ſi opus ſit, de pij alicuius, ac prudentis viri conſilio.

MEDITATIO IV.

Chriſti Domini humilitas.

I. Conſidera Chriſtum Dominum iugiter *ſemetipſum humiliaſſe*, idque à primo conceptionis inſtanti, *vſq; ad mortem, mortem autem crucis*; (vt loquitur Apo- *Philip. 2*

ſto-

ſtolus) hancque præſertim humilitatis virtutem ex ſe diſcendam propoſuiſſe diſcipulis ſuis, cum dixit, *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*; nec ſolum ad eius praxim eos inuitaſſe exemplis, ſed & verbis comminatoriis compuliſſe; cùm propoſito coram illis paruulo edixit; *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Mat. 11. Mat. 18

Vide igitur quo animo hæc Chriſti Domini exempla, documenta, præcepta de humilitatis virtute aurea exceperis, aut ſaltem nunc excipere velis? an ipſo Dei filio humilitatem prædicante, ſuperbiam, relationem, vanitatem adhuc ambire audeas? imo perſpice quouſq; teipſum demittere debeas, vt Dei ipſius humilitatem imitari vtcumque poſſis.

2. Conſidera Chriſtum Dominum triplici præſertim modo humilitatis virtutem exercuiſſe, primò erga Deum Patrem, quem tanta tamque perfecta ſui ipſius demiſſione alloquutus, deprecatuſque eſt, vt vel pro ipſa ſua reuerentia exaudiri meruerit.

Secundo, erga ſeipſum, cum tot annis in abiecta fabri conditione contemptus & deſpectus latere voluit, & deinceps quando ipſum oportu t ma-

nifeſtari mundo, quoſuis tamen honores, licet ſibi meritiſſimè debitos, tantoperè auerſatus eſt, ac tandem in paſſione & morte faciem ſuam confuſione cooperiri; ſeque ipſum opprobrijs ſaturari ſuſtinuit.

Tertio, erga alios quoſcumque, cum nullum nequidem ſceleratiſſimum peccatorem dedignatus eſt; imo cum ipſis peccatoribus & publicanis familiariter conuerſatus eſt; ſeque diſcipulis ſuis, tum in cœna lauando pedes eorum, tum in alijs occaſionibus veluti miniſtrum exhi-
Luc. 22. buit; *ecce* inquit *ego in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat.*

Perpende ſedulo hanc omnimodam ipſius filii Dei humilitatem, teque ipſum ab illius tam perfecta praxi adeò diſſitum conſpiciens confundere, ingemiſce, propone, diuinæque gratiæ auxilium inſtanter deprecare.

3. Conſidera modum ſaluberrimum & efficaciſſimum ad virtutem humilitatis obtinendam & conſeruandam, eſſe peccatorum commiſſorum recordationem tibi frequenter ob oculos ponere.

Cogita igitur vel minimum ex omnibus peccatis mortalibus à te perpetratis (quod tamen coram Deo

Deo grauiſſimum eſt) te reddidiſſe indignum quocumque bono, quocumque honore, quacumque fama, aut exiſtimatione, quacumque amicitia, quocumque ſolatio; & (quod grauius eſt) quacumque gratia, & miſericordia Diuina: & è contra, dignum quocumque malo temporali, quacumque ignominia, confuſione, anguſtia, calamitate, derelictione, & quod magis horrendum eſt, dignum æterna priuatione Dei, dignum æternis gehennæ flammis & ſupplicijs.

Qui ergo te his omnibus dignum fuiſſe certiſſimè agnoſcis, qui neſcis vtrum nunc amore, vel odio dignus ſis, vllamne reperire poteris gloriandi occaſionem: ſed nonne maximam in temetipſo agnoſcere debes, cuiuſcumque etiam abiectiſſimæ demiſſionis conſectandæ rationem.

MEDITATIO V.

Chriſti Domini patientia.

1. CONſidera Chriſtum Dominum, per hanc præſertim, patientiæ virtutem mundum redemiſſe, hominumque ſalutem fuiſſe operatum: neque enim vſquam à lethali peccatorum ægritudine ſanari potuiſſemus, *niſi languores*
Iſa. 53. *noſtros ipſe tuliſſet, & dolores noſtros ipſe portaſſet;* neque Diuinæ vnquam iuſtitiæ ſatisfactum fuiſſet, *niſi ipſe vulneratus fuiſſet propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra.*

Quod ſi intelligere velis, quæ fuerit illius in tot acerbitatibus patientia, audi quæ ſequuntur: *tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit.* En igitur perfectiſſimum huius virtutis exemplar nobis in Chriſto expreſſum, vt ſcilicet illud imitando, *curramus per patientiam ad*
Heb. 12. *propoſitum nobis certamen.*

Sed heu quam pauci ſunt qui ſe illi

illi verè conformare ſtudeant? quam rari qui Chriſtum patientem ſequi, ne dum aſſequi velint: aliquos fortaſſe inueniet Diuinus ille Saluator qui montem Thabor ſecum cõſcendãt, ſed in horto oliuarum, in monte Caluariæ, omnes relicto illo diffugiunt: Vide an & tu ſis ex illis? & vſque quo Saluatorem tuum ſubſequi & comitari velis?

2. Conſidera hanc patientiæ virtutem Chriſtiano Sacerdoti, ea quæ miniſterii tui ſunt fideliter adimplere volenti, eſſe maximè neceſſariam; *neque enim eſt ſeruus maior Domino ſuo: & omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu perſequutionem patientur;* Proindeque ſeipſum exhibere debet, *tanquam Dei miniſtrum in multa patientia, in tribulationibus, in anguſtiis, in plagis, &c. Hæc eſt enim gratia ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet triſtitias patiens iniuſtè, &c. ſi benefaciendo patienter ſuſtineat.* *Ioan. 3.* *2. Tim. 3.* *2. Cor. 6* *1. Pet. 2.*

En igitur conditio ſub qua Chriſti militiæ aſcriptus es, vt ſcilicet paratum te ſemper exhibeas, ad quæcumque aduerſa pro eius honore & amore non libenter modo, ſed & gaudenter perferenda; idque exemplo Sanctorum Apoſtolorum, *qui ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine Ieſu contu-*

meliam pati. Caue ne ob mollitiem tuam indignus habearis, qui pro Chriſti gloria, & obſequio aliquid perferas.

3. Conſidera, ſi Chriſtum patientem perfectè affectari velis, nullos patientiæ tuæ limites eſſe præfigẽdos, proindeque patientiam tuam extendendam eſſe ad ea omnia perferenda, quæ Deus immittere, aut permittere voluerit; ſiue aliquid tolerandum ſit per infamiam, aut bonam famam: à piis, vel ab impiis: propinquis, aut alienis: quocumque in loco, vel tempore: idque cum omnimoda voluntatis ſubmiſſione erga diuinum beneplacitum, hanc præclaram Chriſti patientis orationem ſæpius iterando: *Pater ſi poſſibile*
Mat.26 *eſt tranſeat à me calix iſte, verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat; non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.*

MEDITATIO VI.

Chriſti Domini obedientia.

1. CONſidera Chriſtum Dominum non modo ſemetipſum

ipſum humiliaſſe, ſed & *factum eſſe obedientem vſque ad mortem*; & ſi vltra mortem aliquis adhuc obedientiæ ſupereſt locus, etiam nunc in ſtatu ſupereminentiſſimæ illius gloriæ, in qua *ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*, hanc virtutem exercere, & quod omnem admirationem ſuperat, ipſum Dei filium quotidie obedientem ſe præbere voci hominis, & plerumque voci peccatoris, Sacerdotis ſcilicet Miſſæ ſacrificium celebrantis: ſeque eodem momento, quo verba conſecrationis prolata ſũt præſentem Sacramento exhibere, & ita præſentem, vt in illo Sacramentali ſtatu totum ſe ipſius Sacerdotis arbitrio permittat. *Phil. 2.* *Heb. 1.*

Obſtupeſce, ò Sacerdos, hanc quotidianam Domini Deique tui etiã erga te obedientiam ob oculos habens, tuamque recogitans erga illum inobedientiam, & peruicaciam.

2. Conſidera obedientiam Chriſti Domini adhuc inter mortales agentis, præſertim in eius Paſſione & Morte enituiſſe: dum non modo Deo Patri mortem imperanti, ſed & impiis Pontificibus, ſceleratis iudicibus, & ipſis etiam carnificibus ſeſe in omnibus, & quibuſcumque etiam duriſſimis, & acerbiſſimis ſup-

pli-

pliciis obtemperantem præbuit: *Ego,* inquit ipſe per Prophetam, *non*
Iſa.50. *contradico, retrorſum non abij, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.*

Heu cum ipſe Dominus in tremendo iudicio ſuo, hanc obedientiam ob oculos ponet, quid illi reſpondere, quam excuſationem afferre poterit Sacerdos, qui legitimis ſuis Superioribus, iuſta, & rationabilia præcipientibus, obedire noluit, aut ſi aliqua interdum obedientia ab eo exhibita eſt; adeo manca fuit, & imperfecta, vt vix obedientiæ nomen mereretur.

3. Conſidera Chriſtum Dominum non modo ſeſe obedientem præbuiſſe, ſed & obedientiam eius fuiſſe omnibus numeris abſolutiſſimam; obediuit ſiquidem ſimpliciter, ſine contradictione; promptè, ſine dilatione; alacriter, ſine querela, aut murmuratione; perſeueranter, ſine tædio, aut inſtabilitate.

Vide igitur an ita obedientem te exhibueris? aut ſaltem an ita deinceps obedire paratus ſis? teq; Domino tuo obedienti conformare, ac pro eius honore & amore quaſcumque diſpoſitiones huic perfectæ obedientiæ

tiæ contrarias, ſi quas in te deprehenderis, confeſtim ex animo tuo abiicere? præſertim quoties agetur de obedientia exhibenda Romano Pontifici, in ijs quæ ad fidem, aut mores ſpectant: nec non Prælato tuo, & aliis tibi legitime prępoſitis.

Cogita ſerio, te ſuper hac obediētiæ virtute propediem coram Iudice Diuino examinandum: vide quid tūc egiſſe voles, & illud ſedulo perficere nunc ſtude.

MEDITATIO VII.

Chriſti Domini paupertas.

1. CONſidera & perpende hæc Chriſti Domini verba de ſeipſo loquentis: *Vulpes*, inquit, *foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* En quo ſe redigere voluit cæli, ac terræ Dominus, idque noſtri cauſa: *cum enim*, vt inquit Apoſtolus, *eſſet diues, propter nos egenus factus eſt*; & adeo egenus, vt ne quidem haberet vbi caput reclinaret. *Mat. 28.*

Ve-

Veſtiga, & perſpice Bethleemicum antrum in quo natus eſt, AEgyptiacũ perfugium in quo Herodianam perſecutionem fugiens latuit, omnia paupertatem ſpirant; perluſtra deinde alia loca in quibus humanæ redemptionis operi vacans hoſpitium aliquod quæſiuit, videbis illum nunc pernoctare in montibus, nunc in deſerta loca ſecedere, nunc fatigatum ex itinere ſedere ſic ſuprà fontem: & vbique tanquam pauperem, & mendicum, vel omni hoſpitio excludi, vel aliena domo excipi, ac oblatis eleemoſynis, ſuam, ſuorumq; diſcipulorũ vitam ſuſtentare.

Hoc igitur paupertatis ſtudium in Domino tuo conſiderans, vide an eius veſtigiis inhæreas ab eo præſertim tempore quo eius miniſterio addictus es? teque maximè ab eo diſſitum, & terrenarum rerum affectibus adhuc implicatum conſpiciens, erubeſce, ingemiſce, & hanc quorumcumque malorum radicem cupiditatem ex animo tuo penitus euellere contende.

2. Conſidera qua ratione Chriſti Domini tui paupertatis ſtudium vtcumque imiteris: nimirùm ſi vt ipſe docuit in Euangelio, *pauper ſpiritu* exiſtas, id eſt, ſi neque diuitias in animo, neque animum in diuitiis habeas,

eaſ-

eaſque neque exoptes, ac ne quidem de illis cogites.

Et ſiquidem diuitiæ illæ tibi aliquãtiſper affluant, cor non apponas: imò eas non tanquam tuas repites, ſed tanquam Chriſti Domini tui proprias, ab eo tibi tanquam œconomo concreditas, & iuxta eius voluntatem ſolummodo diſpenſandas: proindeq; cum vteris aliqua parte illarum, arbitreris te quotidianum panem, quotidianamque eleemoſynam, ex illius clementiſſimi Domini manu ſingulis diebus accipere.

Præterea vt ſis verè pauper ſpiritu, pauperes ipſos ama, eorum conuerſationem ne deſpice: imò potius expete, illos libenter inuiſe, & te conuenientes amanter excipe, cum ipſis benignè colloquere, & ſi occaſio ſeſe offerat, illis etiam inſeruire & miniſtrare, idque tuis expenſis ne recuſes.

Quod ſi res domeſtica tibi tenuis & exigua eſt, in hoc te magis Chriſto aſſimilari gaude; ſanctæque eius familiæ modicam, & pauperem œconomiam libenter affectare, & ſedulo caue ne alicuius neceſſitatis obtentu, cupiditatem vllam in animo tuo foueas, ne anxiè nimis quæras ea, quibus indiges, ne auidius oblata accipias, *ne diligas munera, ſequaris retributiones.*

Con-

3. Conſidera, & animo tuo hæc Apoſtoli diſcipulum ſuum admonentis præclara verba inſcribe, quibus in teipſo terrenarum rerum contemptũ, & paupertatis Chriſti affectum excitare, & fouere ſtudeas. *Nihil in-*
1.Tim.6. *tulimus*, inquit, *in hunc mundum, haud dubium quin nec auferre quid poſſumus: habentes igitur alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus, nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominẽ in interitum & perditionem, Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem ò homo Dei hæc fuge, ſectare vero iuſtitiam, pietatem fidem, charitatem manſuetudinem,* hæc inquam verba ſerio perpende, actum fidei ſuper illis ſæpius elicere ſtude, in illis veritatem ipſam te alloquentem & admonentem auſculta, & iuxta illorum tenorem deſideria tua, conſilia tua, vitam tuam componere deinceps apud temetipſum firmiter ſtatue.

ME-

MEDITATIO VIII.

Chriſti Domini caſtitas.

1. CONſidera Chriſtum Dominum præ cæteris virtutibus caſtitatem dilexiſſe, & erga illam peculiari ratione affectum fuiſſe: ita vt non modo eam perfectiſſimam & superexcellentiſſimam in ſe habuerit, ſed & exteriùs adeò caſtè ſe geſſerit, vt vel infenſiſſimi hoſtes nullam vnquã vel minimam de contrario vitio illum calumniandi occaſionem non ſolum reperire, ſed nequidem apud ſe excogitare potuerint: & refertur in Euangelio, quod cum Apoſtoli ipſum ſemel alloquentem Samaritanam quandam mulierem, propè fontem inueniſſent, *mirabantur quod cum muliere loqueretur*, tanquam in eo tunc viderent quid inſolitum, & ab eius vitæ vſu & conſuetudine abhorrens. *Ioan.* 14

2. O *quàm pulchra eſt*, ſed quam rara his temporibus, *caſta generatio cum claritate procedens*! quam pauci, *Sap.* 4.

ci, qui corpore & ſpiritu caſti, & ſancti, dignum Chriſto Virginum regi & ſponſo miniſterium exhibeant!

Vide quænam ſint animi, corporiſque tui ſuper hac virtute diſpoſitiones? an aliquid intra te, vel extra te ſit, quod huic virtuti, vel minimum aduerſetur? an ſint tibi aliquæ conuerſationes, aliqua colloquia, etiam ſub prætextu pietatis, ac Religionis, quæ illius nitorem quomodocumque infuſcare poſſint? & ſi ſapis, ſi Domino tuo placere cupis, ſollicitè vel minima vitii contrarii blandimenta caue, perhorreſce, fuge.

2. Conſidera Chriſtum Dominum non modo in ſe, & in aliis ſibi propinquioribus hanc virtutem præſertim dilexiſſe; ideoque caſtiſſimam, & ſanctiſſimam omnium Virginum, ſibi in matrem delegiſſe, & ipſi matri ſponſum caſtitate perfectiſſima præditum cooptaſſe, & inter Apoſtolos beatum Ioannem eiuſdem virtutis prerogatiua inſignem, peculiari dilectione proſequutum fuiſſe: ac denique Eccleſiæ ſuæ voce, huius virtutis obligationem, omnibus & quibuſcumque ſacro altaris ſui miniſterio addictis impoſuiſſe, nec niſi ſanctos, & caſtos

ſtos ſibi in Diuinis myſteriis aſſiſtere voluiſſe: & ſi qui immundi, & contrario vitio infecti ad ſacra perficienda accedere auſi ſunt, illorum quandoque ſacrilegam impietatem pœnis horrendis vltum fuiſſe, vt ipſorum exemplo reliquis omnibus teſtatum foret, quanto horrore & odio immunditiem quamcumque proſequeretur.

Cũ igitur diuino nutu delectus fueris, qui quotidie Domino tuo propior aſſiſtas, & cum ipſo Diuina myſteria opereris: vide quanta, & quam perfecta corporis, animique puritate, & caſtitate id perficias? & quanta cura & ſollicitudine non modo peccata, ſed & defectus quoſcũque virtuti illi oppoſitos deuitare tenearis?

3. Conſidera quibus modis virtutem hanc in te perfectam habere, & illibatam ſeruare valeas: nimirum ſi à Deo ſingulis diebus illam ſuppliciter expoſcas, *nemo* quippe *poteſt eſſe continens niſi cui Deus dederit*: & præterea ſi Diuinæ gratiæ cooperando, viriliter reſiſtas tentationibus, ac præſertim illarum initiis, & primis ſpiritus immundi ſuggeſtionibus: ſi ſollicitè fugias qualcumque vitij contrarij occaſiones; ſi corporis tui ſenſus,

ac

ac præſertim oculos tuos mortifices, & à quibuslibet illicientibus obiectis auertas: ſi carnem rebellantem, ieiuniis, vigiliis, aliiſque voluntariis afflictionibus, & pœnis edomare, ac ſpiritui ſubiicere ſtudeas: ſi poſt quantaſcumque victorias aduerſus tentamenta; & vitia caſtitati contraria reportatas, ſempernihilominus tibi ipſi diffidere, & omni cuſtodia cor tuum ſeruare noueris.

En quibus armis theſaurum illum quem in vaſe fictili circumgeſtas, cuſtodire poſſis? vide quo affectu, qua fortitudine, qua fidelitate ijs vti cupias? & coram Deo firmũ ſuper ea re propoſitum concipe: ac ſi tibi ipſi non credis, conceptum illud propoſitum in manibus ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis Mariæ depone, vt ipſa te tuaſque reſolutiones in ſpecialem ſuam tutelam recipiat, & à cunctis quibuſcumque aduerſantibus protegat.

MIE-

MEDITATIO IX.

Chriſti Domini mortificatio.

I. CONſidera, quod quamuis Chriſtus Dominus nuſquam huius virtutis ſubſidio indiguerit, vtpotè qui omnes animæ facultates, omnes corporis ſenſus, & motus haberet ſemper optimè compoſitos, & diuinæ rationi, ac voluntati perfectiſſimè ſubditos: nihilominùs hanc noſtri cauſa ſedulo aſſectari voluit, vitamque ab ipſa infantia duris, & aſperis rebus exercitam ducere; tum vt merita ſua ſatisfactioneſque copioſiùs nobis applicaret: tum etiam vt exemplo ſuo ad illius virtutis praxim, nobis adeo neceſſariam efficaciùs prouocaret.

Quis vero in huius virtutis exercitio Chriſtum magis imitari tenetur, quam is, qui ratione muneris ſibi impoſiti modo quodam peculiari *debet exhibere corpus ſuum hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. & adimplere in carne ſua ea; quæ deſunt paſſioni Chriſti.* Rom. 12

Coloſſ. 1 Vide igitur an talem te exhibueris, aut ſaltem exhibere velis? an ex ſacro illo calice quem Chriſtus in paſſione ſua hauſit, tibiq; propinauit, exiguam aliquam guttulam libenter deguſtes? heu quamcumque aſſumpſeris mortificationis praxim, nuſquam vel minimam partem perſenties aculeorum, & dolorum illorum, quos tuæ ſalutis cauſa Chriſtus in vita & morte ſua pertulit.

2. Conſidera omnes & quoſcumque ſanctos, hac præſertim virtute ſubnixos, ad faſtigium perfectionis, & inde ad culmen gloriæ conſcendiſſe: neque ſolum viros fortes, ſed & mulieres infirmas, teneraſque virgines mortificationem Chriſti Ieſu in corpore ſuo circumtuliſſe, magiſque elegiſſe cum Diuino illo Saluatore affligi & aſperrimam plerumque vitã ducere, quam mortiferam ſæculi deguſtare iucunditatem.

Quid igitur, non poteris quod iſti, & iſtæ potuerunt? erubeſce ſaltem & confundere præ puſillanimitate & contende vtcumque ſequi ſi aſſequi non vales; pete vt Deus animum virtutemque tibi adaugeat.

2. Conſidera huius virtutis praxim ad duo præſertim capita poſſe reuocari.

Primum eſt, vt quandocumque age-

agetur non ſolum de vitando aliquo peccato etiam leuiſſimo, ſed etiam de quocumque virtutis opere exercendo, putà de miniſterio aliquo Eccleſiaſtico debitè obeundo, & aliqua cõmoditatis,ſeu oblectationis,vel etiã vtilitatis aut cuiuſcumque alterius propriæ ſatisfactionis illecebra obſtat; tunc huius qualiſcunque temporalis boni ſeu commodi, aut oblectamenti iacturã aut priuationé libentiſſime feras,idq; amore illius qui per tot annos quibus inter mortales vixit, ſeipsũ tui cauſa imméſis cœli gaudijs abdicauit.

Secundum eſt, vt quandocumque ſimiliter agetur non ſolum de vitando peccato, ſed etiã dé quouis bono opere exequendo,quod Deo acceptũ eſſe credatur, & idcirco incommodũ aliquod vel tædium, aut aliquid naturę moleſtum & acerbum perferendum eſt; illud non libenter modo,ſed & gaudenter perpetiaris,imo & vltro amplectaris, ob amorem diuini illius Saluatoris, qui tot & tam immanes dolores, & cruciatus in ſe tuæ ſalutis cauſa perferre voluit.

Neq;ſolum cum inſtat aliquod peccatum deuitandũ, aut bonũ exequendum; ſed etiam plerumq: expedit vt vim tibi aliquã inferas,& volũtarias aliquas corporis afflictiones aſſumas,tũ vt mortificationis praxi aſſueſcas, ſic-

que ad eam cum opus erit faciliùs & perfectiùs exercendam paratus ſis; tùm etiam vt pro peccatis tuis, aliorumque, Diuinæ iuſtitiæ, ſaltem ex aliqua parte, ſatisfacias: tum denique vt Chriſto Domino tuo magis conformis efficiaris, & vere inter diſcipulos eius recenſeri dignus ſis, *qui enim Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt*.

Galat. 5

MEDITATIO X.

Chriſti Domini modeſtia.

1. CONſidera tantam tamque perfectam in Chriſto Domino modeſtiam eluxiſſe, vt ſimul & reuerentiam, & amorem omnium in ipſum excitaret; peccatoreſque, & publicani vel ex ſolo eius aſpectu cõuerterentur; & illius etiam æmuli, & aduerſarij mirarentur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ėius: & ipſe demum Apoſtolus ad obteſtandos fideles, Chriſti Domini modeſtiam, tanquam fortiſſimum argumentum interponeret.

Quod ſi qui hanc diuini illius Saluatoris virtutem peculiari ſtudio in ſe exprimere debent, maximè illi qu

eius altaribus propiores aſſiſtunt, quique ipſum cæteris fidelibus in ſe quodammodo exhibere tenentur.

Cum igitur in eorum numerum adlectus fueris, vide qua ratione te geras, itaut modeſtia tua nota ſit omnibus quibuſcum verſaris: & ſi ad hanc virtutem conſectandam minus quam par eſſet, hucuſq; attentum te præbuiſti; de illo defectu in futurum emendando cogita, & coram Deo, inuocata eius gratia, propone.

2. Conſidera Chriſtum Dominum perfectiſſimam, & omnibus numeris ſui abſolutiſſimam modeſtiam ſemper & vbique ſeruaſſe, in vultu, aſpectu, geſtu, inceſſu, habitu, ſermone, & aliis omnibus, quæ oculis aliorum paterent: nihilque vnquam illum feciſſe, aut dixiſſe, quod non eſſet huius virtutis decore optimè temperatum.

En modeſtiæ perfectiſſimum exẽplar, quod præ oculis tuis habeas, in illudque iugiter inſpicias, ac iuxta illius formam teipſum & omnes actus, ſermoneſque tuos debitè componas.

Et quamuis ſemper & vbique virtutem illam debeas conſectari, etiam cum ſolus es, propter Diuinæ præſẽtiæ reuerentiam, & Angeli tui cuſtodis aſſiſtentiam: nihilominus pecu-

liari cura inuigilandum eſt tibi, tuiſque actibus, geſtibus, ſermonibus, &c. quando cum aliis verſaris, & præſertim quando publica Religionis officia peragis, ſacriſque muneribus in templo defungeris, itaut tunc maxime *luceat lux tua coram hominibus, vt glorificent patrem tuum qui in cœlis eſt.* *Matt. 5.*

3. Conſidera hanc modeſtiæ virtutem in quolibet Sacerdote tanti eſſe momenti, vt nullam miniſterii ſui partem debitè exequi poſſit, niſi omnes illius actus, geſtus, ſermones, &c. hac virtute regantur, ac veluti condiantur; ideoque præcipuam curam ſollicitudinemque impendere debet, vt illam ſibi propriam faciat; vtque non ſolum peccata & vitia, ſed & defectus quoſcumque huic virtuti aduerſos, ſi quos in ſe deprehendat, ſerio emendare curet: & ad hoc, ſi opus ſit, aliorum admonitionem, & correctionem expoſcat, & præſertim gratiæ cæleſtis opem ſuppliciter inuocet.

Vide igitur, vt hoc conſilium tibi ipſi applices, & ſiue fidi cuiuſpiam amici auxilio, ſiue examine aliquo particulari ſuper hac re per aliquod tempus inſtituendo, ſiue alia quauis ratione, hanc virtutem gratia Diuina opitulante, quam perfectiſſimè obtinere contendas.

ME-

MEDITATIO XI.

Chriſti Domini prudentia.

1. CONſidera quam ſublimis & perfecta fuerit Chriſti Domini prudentia, & quantum præcelluerit vniuerſæ mundanæ prudentiæ, & ſapientiæ, quæ in comparatione illius mera inſania & dementia eſt: in Diuino illo Saluatore *ſiquidem, reconditi fuerunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; & ipſemet fons ſapientiæ verbum Domini in excelſis*; hinc peculiari quadã ratione in ſcripturis vocatur *conſiliarius*, quia ſcilicet ipſe ſolus eſt, à quo vitæ æternę conſilia petenda ſint. *Col. 2.* *Eccl. 1.* *Iſa. 9*

Vide igitur quanti facere debeas Diuini huius conſiliarii monita & effata in Euangeliis expreſſa; & quo ſtudio æmulari & conſectari ſupereminentem illam Chriſti Domini ſapientiam & prudentiam, ac ſecundum illius regulas, & teipſum & alios dirigere? hocne vſque modo feciſti? ſed nunquid aliquando *animalis, & terrena*, vt non dicam *etiam diabolicæ ſapientiæ axiomata ſectatus es?* *Iac. 3.*

Hanc igitur & quamcumque aliam adulterinam & falſam prudentiam coram Deo nunc eiura, teque totum Chriſto *Dei virtuti, & Dei ſapientiæ*, ducendum, & dirigendum trade.

2. Conſidera quantum Chriſti Domini prudentia oppoſita ſit mundanæ prudentiæ: *hæc ſiquidem* (vt ait Sanctus Gregorius) *ſibi obſequentibus*
lib. 10. mor. c. 16 *præcipit honorum culmina quærere, adepta gloria temporalis vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere*; lucra & emolumenta temporalia ſollicitè appetere, corporis cōmoda, carniſque blanditias & voluptates conſectari, verum finis horum omnium mors eſt.

At verò Chriſti ſapientia, & prudentia docet honores mundi fugiendos eſſe; calcandam huius ſæculi vanitatem, & ſuperbiam, voluptates abigendas, ſectandam humilitatem, paupertatem diligendam, crucem amplectendam, ferendamque, &c.
Rom. 6. *verum fructus horum diuinorum conſiliorum eſt ſanctificatio animæ, finis verò vita æterna.*

Vide igitur cui credere debeas? cuiuſnam, mundi, an Chriſti ſectatorem te profiteri velis? ſi ſapis nullus hic erit deliberandi locus, ſed tanquam verus Chriſti diſcipulus, fiduſque miniſter, tota mente, toto corde,

vni diuinæ ſapientiæ adhærebis: perſpice ergo, quæ illius axiomata tibi ſint nunc præ aliis maximè neceſſaria, & ea ſedulò confectari ſtude.

2. Conſidera quibus mediis prudentiam illam Chriſti obtinere, & in ea proficere poſſis? Optaui (inquit Sapiens) *& datus eſt mihi ſenſus: inuocaui, et venit in me ſpiritus ſapientiæ, & prapoſui illam regnis et ſedibus, et propoſui pro luce habere illam.* Sap. 7.

En quatuor media ad cæleſtem illam prudentiam & ſapientiam obtinendam & conſeruandam ſaluberrima.

Primùm, agnoſce, quantùm prudentia illa neceſſaria ſit tibi in Eccleſię ſpecula conſtituto, ad tuam, & plurimorum aliorum ſalutem, proindeque ex toto animi tui affectu exopta illam.

Deinde, ſuppliciter à Diuina miſericordia huius veræ prudentiæ ſpiritum expoſce, ora Patrem tuum cæleſtem, & ipſe ſpiritum bonum tibi petenti haud dubiè dabit.

Præterea, præfer illam prudentiam illiuſque conſilia, & monita, omnibus & quibuſcumque humanæ, terrenæ, mundanæ, diabolicæ ſapientiæ axiomatibus, quocumque in caſu; & omnes ſæculi honores, diui-

tias, voluptates præ illius bonis nihili æſtima.

Denique, propone tibi pro luce habere illam, & in cunctis actibus, negotiis, conſiliis tuis illius ductum ſequi, eiuſque effatis & decretis ſemper & conſtanter vbique adhærere.

MEDITATIO XII.

Chriſti Domini charitas erga homines.

Eph. 2. 1. Tim. 2 Ioan. 10

1. Conſidera, nulla vnquam cogitatione dignè concipi poſſe, ne dum ſermone explicari, qualis fuerit eximia illa, & (vt Apoſtoli verbis vtamur) *nimia charitas* qua Dei filius dilexit nos, & cuius impulſu *ſemetipſum dedit redemptionem pro omnibus, venitque in hunc mundum peccatores ſaluos facere, ac ipſis vitam tribuere, & abundantius tribuere*: idque plurimos, eoſque moleſtiſſimos labores pro ipſis ſubeundo, grauiſſimoſque dolores perferendo, ac denique mortem oppetendo acerbiſſimā, quæ perfectæ illius charitatis veluti ſigillum extitit: *maiorem ſiquidem charitatem nemo habet quam vt animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Vide

Vide quam gratiarum actionem Diuino illi Saluatori offeras? quam ipſi dilectionem pro tanta charitate rependas, & qua ratione hanc eius virtutem erga proximos tuos imiteris.

2. Conſidera hanc charitatis virtutem ab ipſo Domino iam Paſſioni, & Morti proximo, diſcipulis ſuis, adeoque cunctis Sacerdotibus peculiari affectu fuiſſe commendatam: *Hoc eſt præceptum meum*, inquit, *vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*, &, *in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*. Ioan. 15.

En certa & legitima diſcipulorum Christi teſſera, & nota; en ratio qua fidelis Christi Miniſter & Sacerdos dignoſci poſſit: vera ſcilicet in alios charitas, ſine qua non iam dici meretur Sacerdos, imò ſine charitate Sacerdos dici poteſt, perfectè eſſe non poteſt.

Attende igitur tibi ipſi, & vide, an ſolus tibi ſit Sacerdotis titulus, & (vt dicitur) magni nominis vmbra? an etiam Sacerdotii ſpiritum, & virtutem habeas? inſpice quale ſit cor tuum erga proximos tuos? an diligas eos propter Deum? an ſicut teipſum? an ſicut Christus te & vnumquemque hominum dilexit? an vera charitate

complectaris illos etiam, à quibus minus diligeris? an paratus ſis charitatis obſequia, & ſubſidia quæcumque impendere iis, à quibus nullum grati animi teſtimonium ſperare potes, imò à quibus plurimum oneris & incommodi expectandum tibi eſt, à quibus multas contradictiones & fortaſſe perſequutiones ſuſtinere te oportebit.

3. Conſidera conditiones charitatis illius qua Chriſtus dilexit homines, vt eas imitari ſtudeas.

Act. 10. In primis dilexit efficaciter, id eſt nõ ſolo affectu, ſed etiam effectu, *pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*: laborantes quoſcumque, & peccatorum ſarcina oneratos miſericorditer vocauit, & ad ſe venientes iuuit, ſolatus eſt, refecit.

1. Ioan. 3. Noli igitur tantum *diligere verbo aut lingua*, aut ſimplici aliquo affectu, *ſed opere & veritate.*

Præterea dilexit ſuauiter; & quamuis eſſet omnium Dominus, omnibus tamen omnia factus eſt: fleuit cum flentibus, & publicanis, & peccatoribus manducauit, & cum turbis, & populis tanquam cum filiolis mutauit vocem ſuam, ad eorum captum ſe demiſit, loquebatur illis in parabolis, & ſimilitudinibus, ſermone vulgari

& tri-

& trito, vt vel minimus de turba facillime intelligeret.

Hæc ſerio recogitans, obſtupeſce Verbum Diuinum, æternam Dei Sapientiam ad hæc humillima charitatis officia, ſeſe tanta ſuauitate demittere; & proh pudor! te leuiuſculæ fortaſſis alicuius ſcientię vento diſtẽtum, in ſimilibus charitatis officiis, Chriſti Domini tui imitationem faſtidire.

Denique dilexit fortiter, & conſtanter, aquæ multę non potuerunt eius charitatem extinguere, nec flumina illam obruere; & quamuis præſciret plurimos eius meritis & gratiis abuſuros, eius ſanguinem conculcaturos, ideoque in æternum perituros; nihilominus vincente præſcientiam bonitate, eos perfectè dilexit, pro ijs redimendis & ſaluandis quãtum ex ipſo erat, ſanguinem fudit, mortem pertulit, ſeque ipſum hoſtiam propitiationis obtulit.

Diſce illius Diuini Saluatoris exẽplo, quoſcumque homines ſalutis æternæ capaces quamuis peruicaces, & obſtinatos conſtanti charitate diligere, eoſque quantum poteris iuuare, & ſi nihil aliud vales, ſaltem pro ipſis orare: & potiori adhuc ratione eos diligere, quibus ſpeciali charitatis vinculo nexus es, vt conſacer-

dotes tuos, domeſticos, &c. vel quorum neceſſitas peculiare à te charitatis ſubſidium exigit, vt ruſticos, pauperes, & alios eiuſmodi qui ſpiritualibus auxiliis magis deſtituti videntur.

MEDITATIO XIII.

Chriſti Domini manſuetudo & benignitas in tolerandis aliorum defectibus & peccatis.

I. CONſidera ineffabilem Chriſti Domini manſuetudinem, non modo in tolerandis imperfectionibus, verbi gratia, tarditate, ruſticitate, ignorantia, ſtupiditate eorum quibuſcum agebat, ſed præſertim in perferendis peccatis infenſiſſimorum inimicorum, à quibus atrociſſimas accipiebat iniurias. Poterat, & quidem iuſtiſſimè illos acriter increpare, illis comminari, pœnaſque acerbiſſimas illis infligere; poterat, vel ſolo nutu eos ad nihilum redigere, aut certe ad inferni barathrum deturbare.

Et tamen nihil horum fecit: *cum*

ma-

malediceretur, inquit Apoſtolus, *non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*; imo (vt ſanctus Bernardus loquitur) *flagellis caſus, ſpinis coronatus, clauis confoſſus, affixus patibulo, opprobrijs ſaturatus, omnium tamen dolorum immemor, hoc tantum dixit, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. 1.Petr.2

Quis hæc attentè perpendens non miretur tantam, tamque perfectam manſuetudinem? quis non omni honore, & amore proſequatur adeo benignum, & manſuetum Dominũ? Sed quis apud ſe non proponat hic & nunc omnem iram, indignationem & amaritudinem animi penitus exuere, & induere viſcera miſericordiæ, benignitatem, manſuetudinem, &c.

2. Conſidera hanc manſuetudinis virtutem cuiuis Sacerdoti perneceſſariam eſſe, idque eo magis quo frequentiores in miniſteriis Eccleſiaſticis occurrunt illius exercendæ occaſiones: degendum ſiquidem illi eſt vt plurimum *in medio nationis praua & peruerſa*, agendum cum peccatoribus ſępè peruicacibus, & obſtinatis, conciliandi, & conuertẽdi hominum animi, per varia peccata, tum à Deo, tum à proximo maximè auerſi, & alieni, eorumque

paſ-

paſſiones plerumque acres demulcendæ.

Hæc autem nuſquam præſtare poterit, niſi peculiari, eaque eximia manſuetudine præditus ſit; hanc igitur ſollicitè, ac ſedulò acquirere, & perfectè obtinere ſtude.

3. Conſidera varia eſſe media, quibus hanc virtutem acquirere, in eaque proficere valeas.

Primum eſt, vt quotieſcumque aliqua ex parte proximi præuidebis tibi fore toleranda; cogites contumelias, probra, inſectationes, & alia eiuſmodi quæ Chriſtus Dominus & in Paſſione ſua tanta manſuetudine pertulit; pudebit ſanè ob verbulum aliquod duriùs prolatum, ob alicuius animum erga te paulo iniquiorem, ſtatim excandeſcere, & in iras abripi.

Secundum eſt; vt leuioribus, ſi quæ occurrant, contradictionibus, cum lenitate animi perferendis, aſſueſcas, quo magis paratus ſis ad grauiora, & acerbiora quæq; quando opus erit, placidè toleranda.

Tertium denique vt teipſum defectuſque tuos attendas, & (vt loquitur ſanctus Gregorius) *cum exceſſus alienos aſpicis, tua quibus in aliis exceſ-* lib 5. mor.
ſiſti delicta cogites; proindeque (vt monet Apoſtolus) *etſi præoccupatus fuerit* c. 34.
homo

homo in aliquo delicto huiuſmodi inſtrue in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum.

MEDITATIO XIV.

Opera miſericordiæ quæ corpus ſpectant à Chriſto Domino exercita.

1. CONſidera, quod quamuis Chriſtus Dominus dum in terris ageret, egenus & opis alienæ indigus eſſe voluerit, nuſquam tamen ideo ab operibus miſericordię, etiam illis, quę proximi corpus ſpectant, ſecum diſpenſauit; ſed ex penuria, & tenuitate victus ſui ſæpè ſibi ſubtraxit, vt egenis aliquid daret; ſæpe etiam infirmos viſitauit, & ſolatus eſt, populumque eſurientem ieiunus ipſe refecit; idque haud dubiè vt oſtenderet, quàm placita, & accepta ſibi eſſet hæc miſericordiæ virtus, & quam neceſſaria illis, qui miniſterio ſuo mancipati eum in omnibus aſſectari debent.

Vide igitur quali affectu hæc miſericordiæ opera exercueris, qualemue te erga pauperes exhibueris: & animo

mo tuo hæc Prophetę verba inſcribe, *beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum.*
Pſal.40. *Dominus.*

2. Conſidera, quod ſi omnes ad eleemoſynam ex ſuperfluo erogandã diuinis præceptis obligantur, potiori adhuc ratione Sacerdotes alioſque Chriſti miniſtros ad id obſtringi, eoſque maximè qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, quando ipſis, poſt ſufficientem, & moderatam ſuſtentationem, aliqua ſuperſunt; quę quidẽ abſque grauiſſimo peccato non poſſunt aut in ſuperfluos vſus impendere, aut propinquis minime indigentibus donare, aut ſibi inutiliter reſeruare.

Neque ſolum ex beneficiis Eccleſiaſticis, ſed & ex quibuſcumque bonis temporalibus ſuperflua pauperibus erogare tenentur: imò quamuis non niſi modicos, & neceſſarios prouentus habeant, non tamen ideò ab hac virtute exercenda penitus ſe liberos arbitrentur: ſed quacumque ratione poterunt, pauperibus, & egenis debent præſto eſſe, eoſque prout occaſio ſeſe offeret ſolari, & iuuare,

Perſpice igitur, qualem te hac in parte exhibueris, & ſcito te propediem.

diem ſuper hac miſericordię virtute in ſupremo iudicio examinandum; vide ne in illorũ numero recenſearis quibus à diuino iudice dicetur, *diſcedite à me maledicti &c. eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Mat.25

3. Conſidera huius virtũtis opera non qualitercumque à Chriſtiano Sacerdote, ſed quam perfectiſſimè exercenda eſſe: ideoque non ad iactantiam, aut largitatis decorem dandam eſſe eleemoſynam, quod procul à quouis Chriſti miniſtro abeſſe debet, ſed eleemoſynam erogandam,

1. Cum humilitate, itaut tuis apud Deum patronis potius munera offerre, quam egenis dona largiri videaris.

2. Cum ſpiritu miſericordiæ, compatiendo ſuper proximi anguſtiis, & afflictionibus.

3. Cum prompto & libenti animo, *non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* 2.Cor.9

4. Denique cum diſcretione, vt bona diſpenſentur non effundantur, ac præſertim vt cęteris paribus eleemoſynæ illæ quibus animæ ſaluti ſimul & corporis incolumitati prouidetur, aliis eleemoſynis, quæ ſolum ipſius corporis ſolatium ſpectant anteponantur.

ME-

MEDITATIO XV.

Opera miſericordiæ ſpiritualia à Chriſto Domino in praxim redacta.

1\. CONſidera Chriſtum Dominum ex perfecto charitatis affectu, grauiſſimis, & pernicioſiſſimis hominum miſeriis, iis ſcilicet quæ animæ ſaluti officiunt, & nocent condoluiſſe, illiſque inſuper remedia ſaluberrima ſuppeditaſſe. 1. Tim. 1

Et hoc quidem præcipuum fuit illius diuini Saluatoris opus, *peccatores nimirum ſaluos facere;* hac de cauſa è cælis in terras venit, & inter mortales agens, tot labores ſuſcepit, tot itinera confecit, tot miracula patrauit, tot conciones in templi porticibus, in Synagogis, in montibus, in littoribus, in locis campeſtribus habuit, ſeque ipſum exhibuit ſub ſpecie boni Paſtoris, vel vnicam ouem errantem tanta ſollicitudine requirentis.

En typus cui aſſimilari debet verus

Chriſti

Chriſti Sacerdos;in expreſſiſſima Diuini illius Saluatoris veſtigia, eius miniſtro ad conſectandum propoſita: *Qui enim mihi miniſtrat*, inquit, *me ſequatur*. Ioan. 12

Vide quo animo hæc & alia eiuſmodi miſericordiæ ſpiritualis opera, Domini tui exemplo, exequi velis?

2. Conſidera inter alia huius virtutis opera, duo præcipua eſſe, quibus peculiari ſtudio incumbere debet Chriſti Domini Sacerdos: nimirum, vt eos inſtruat qui laborant inſcitia, rerum ad ſalutem neceſſariarum, & eos corripiat qui in peccatum prolapſi ab eo emendari minimè curant. Vtrumque hoc præſtantiſſimum eſt miſericordiæ exercitium, cui ipſe Chriſtus Dominus, eiuſque Apoſtoli, & alij quicumq; Apoſtolici viri ſummo ſtudio ſeipſos impenderunt.

Vide igitur quomodo vtrumque illud conuenienter peragas, qua methodo & ratione, ſiue publicè, ſiue priuatim ignaros in fidei myſteriis erudias? quo charitatis affectu peccatores ſalubri correptione ab bonã mentem reducas?

Et fœlicem, ac beatum illum diẽ reputa, in quo tibi animam aliquam Chriſto Domino lucrari contigerit: vide ne tua ſegnitie *ab eiuſmodi die bona vnquam defrauderis*, nec vllam

OC-

occaſionem aliquod tale opus exercendi vnquam elabi ſinas.

3. Conſidera qua ratione fraternam illam correctionem, in qua interdum maior reperitur difficultas conuenienter & ſalubriter exequaris.

Nimirum vt non ex ira, ſeu indignatione, aut aliqua alia animi commotione, ſed ex ſincera proximi tui dilectione, ad illud charitatis officium mouearis: *vt eum corripias in miſericordia, et in ſpiritu lenitatis inſtruas*, vt non temere, ac præcipitanter, ſed cũ diſcretione, ac deliberatione opus hoc aggrediaris, & ad id tempus opportunum aſſumas, modumque correctionis talem adhibeas, quo peccator efficaciter permoueatur, & ad meliorem frugem reducatur.

Sicut autem prudenter, ac ſuauiter, ſic etiam fortiter & conſtanter, huic charitatis officio inſiſtendum tibi eſt; cauendumque maximè ne vllus pudor, aut timor, aut reſpectus humanus, te ab illa muneris tui parte conuenienter exequenda vnquam retrahat, aut tardiorem, vel ſegniorem efficiat.

MEDITATIO XVI.

Chriſti Domini zelus ad procurandam, & promouendam animarum ſalutem.

1. Conſidera quantus, & quã feruidus fuit ille zelus, quo diuinum Chriſti pectus exarſit; ex quo ſubinde variæ ſcintillæ; & plerumque faces, & flammæ prorumpebant; puta cum diceret, *ignem veni mittere in terras, & quid volo niſi vt accendatur?* & de paſſione ac morte ſua diſcipulis ſuis proloquens: *Baptiſmo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur?* ſed quis ardor? quantum amoris incendium in eius Paſſione, cum cruci affixus, in ipſa extrema acerbiſſimæ mortis agonia poſitus, immemor dolorum ſuorum, ſed memor ſalutis animarum, etiam pro ipſis crucifixoribus, & parricidis orauit? Luc. 12. ibid.

Mira res, inquit ſanctus Bernardus, *Iudæi clamabant crucifige & Ieſus clamabat, ignoſce*. Heu quis iſta recogitans,

tans, non exardeſcat in amorem diuini illius Saluatoris? ſimulque non concipiat perfectum zeli illius imitandi deſiderium?

2. Conſidera hunc zelum Chriſtiano Sacerdoti maximè neceſſarium eſſe, vt Domini ſui veſtigiis inhęrendo, ea fortiter perficiat, quæ miniſterii ſui propria ſunt,

Puta, vt toto voluntatis affectu ſtudeat ſemper, & vbique Diuinæ gloriæ incrementum quærere; & eo fine peccatorum conuerſionem bonorumque in virtute profectum, quātum in ipſo eſt; procurare; peruerſis impiorum conatibus conſtanter obſiſtere, errores & abuſus irrepentes funditus tollere: Religionem, ac pietatem fouere, pia & ſancta conſilia promouere, & ad id præſtandum nullos labores recuſare; imo paratū ſe ſemper exhibere ad incommoda quælibet ſubeunda; ad tolerandas quaſcumque animi corporiſque moleſtias, denique ad vitam ipſam ſi opus ſit cum ſanguine profundendam.

Hęc autem nuſquam præſtare poterit, niſi Diuino illo zelo totus fuerit incenſus. Poſtula igitur vt pectoris tui glaciem ignis ille cœleſtis abſumat, animumque tuum diuinis ardoribus impleat, quo totus ſacro illo

Chriſti

Chriſti Domini zelo igneſcas.

3. Conſidera quænam eſſe debeant zeli conditiones, vt verus, ac perfectus ſit.

1. Vt diſcretione regatur, nec niſi cum prudentiæ moderamine vlla pietatis opera peragenda ſuſcipiantur, aut vrgeantur: idque priùs ſemper conſulto per orationem Diuinæ voluntatis oraculo.

2. Vt cum ſingulari animi fortitudine, ac firmitate iunctus ſit, animis ſiquidem opus eſt & pectore firmo, ad ea quæ ſupra enumerata ſunt exequenda; hæc autem fortitudo & firmitas ab eo expectanda eſt, qui quandocumque ipſi placitum eſt, *infirma mundi eligit, vt fortia quæque confundat.* 1. Cor. 1

3. Vt quotieſcumque de gloriæ Diuinæ prorogatione animarumque ſalute agetur, ſolus Deus reſpiciatur, nec vllo modo acquieſcatur carni, aut ſanguini.

Quarta denique zeli conditio eſt, vt malis quibus mederi non poteſt ingemiſcat, & ſi nihil aliud valet, ſaltem dolorem & lachrymas ſinceræ charitatis teſtes Deo offerat.

Vide igitur, an eiuſmodi diſpoſitiones in teipſo deprehendas: vt, ſin minus, eas obtinere ſtudeas, tum piis precibus diuinam opem expoſcendo,

do, tùm etiam Sanctorum acta & hiſtorias perlegendo, in quibus illius zeli præclara quædam exempla reperias, quæ poſtea occaſione quacũque oblata imiteris.

MEDITATIO XVII.

Chriſti Domini zelus ad propugnandam diuinam veritatem.

I. CONſidera Chriſti Domini zelum maximè effulſiſſe in diuina veritate propugnanda, idque præſertim tempore paſſionis ſuæ, in qua licet coram impiis ſatellitibus, & iniquiſſimo Iudice, conſtanter tamen profeſſus eſt, *ſe in hoc natum eſſe, & ad hoc veniſſe in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati.* Vnde & ipſi infenſiſſimi hoſtes confeſſi ſunt, *quod verax eſſet, viamque Dei in veritate doceret, & quod ipſi cura non eſſet de aliquo, nec reſpiceret perſonam hominum.*

Ioan. 18

Mat. 22

Et quamuis diuinus ille Saluator, ideò præſertim ſe à Iudæis crudeliſſima morte præſciret occidendum, quod veritatem quam auerſabantur pa-

palam ediceret; non tamen propterea ab ipſa veritate profitenda, & propugnanda vnquam deſtitit.

En typus zeli quo animari debet fidelis Chriſti miniſter ad propugnãdam ſemper & vbique ipſius veritatem: ipſius, inquam, non verò alicuius particularis Magiſtri doctrinam, non proprii ingenii præſumptionem, ſed veritatem Chriſti ab Eccleſia in Conciliis generalibus, vel ab Eccleſię Capite in fidei decretis propalatam.

Perſpice igitur qualiter ſuper hac diuinæ veritatis propugnatione affectus ſis; & ſi quid tibi ad perfectionē zeli deeſt, expete à Deo.

2. Conſidera, vt Sacerdos Diuinam veritatem fortiter propugnet, prius requiri, vt illam fideliter profiteatur, eique humiliter in animo ſuo acquieſcat; adeoque vt fidem illam quam tum in baptiſmo, tum in ordinatione profeſſus eſt, ſinceram & illibatam tenere, eamque ab omni periculo erroris, ab omni nota & colore non ſuo, ſartam tectam cuſtodire ſollicitè curet; paratumque ſe ſēper & vbique exhibeat, ad quæcumque aduerſa ſi opus ſit, pro eius propugnatione ſubeunda.

Proba igitur temetipſum, ipſe teipſum tenta, ſi es in fide; inſpice qua-

lis ſic illa fides tua, quam ſincera, & illibata, quo fundamento innixa; pete cum Apoſtolis à Domino vt adaugeat tibi fidem: vel ſi te quomodocumque in ea vacillantem deprehedas, inclama cum illo altero, vt adiuuet incredulitatem tuam.

3. Conſidera medium optimum ad tenendam veram Chriſti fidem, illiuſque proinde veritatem propugnandam, eſſe ipſius Eccleſiæ iudicio, ſummique Pontificis decretis in materia fidei humiliter & inconcuſsè ſtare; abnegato proprio, aut quorumcumque aliorum iudicio.

Diſcat proinde Chriſtianus Sacerdos, ſuoque exemplo reliquos edoceat, captiuare intellectum in obſequium fidei, omnémque proinde in rebus fidei abigere curioſitatem.

Sicut autem à vera fide aberrantes, ad ipſius veritatis tramitem reuocare, illiſque manum adiutricem porrigere præcipuo charitatis affectu debet; ſic etiam in erroribus damnatis obſtinatos & contumaces auerſari, eorum amicitiam repudiare, conſortiumque & alloquium quantum fieri poterit deuitare, Sanctorum ipſorum exemplo tenetur; tum ad propriam cautelam, tum ad aliorum exemplum, vt ſcilicet hinc reliqui fideles diſcant quo ſtudio, qua cura ab

ab eiuſmodi hominibus cauere debeant.

Vide igitur & coram Deo attentè perſpice qualiter te habeas in hoc fidei negotio; an aliquis reſpectus humanus, aliqua prudentia ſæculari & politica obſtet, quominus ea qua decet conſtantia, pro vera Chriſti fide milites, teque illius propugnatorem aſſeras: pete ab ipſo Chriſto, fidei robur, animique fortitudinem tibi neceſſariam.

MEDITATIO XVIII.

Chriſti Domini amor erga Deum Patrem.

1 CONſidera nullum intellectum humanum, vel Angelicum, cogitatione aſſequi poſſe, quam nobilis, quam præcelſus, & quam omnimodè perfectus fuerit ille amor quo Dei filius, homo factus, Deum Patrem dilexit: & quæ fuerit illius dilectionis longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum.

Nemo quippe ad ſupereminentē illam ſcientiam charitatis Chriſti pertingere poteſt; ſufficiat hic agnoſce-

re omnem Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, & Sanctiſſimorum quorumcumque erga Deum amorem licet flagrantiſſimum, omnes Seraphinorum quantumuis igni-tos & flammeos charitatis affectus, meram glaciem videri, imò glacie ipſa frigidiores reputari, ſi cum ſacris diuini illius pectoris ardoribus comparentur: ſolus ille diuinus Saluator amoris diuini præceptum quod ipſe promulgauerat, perfectiſſimo modo in terris adimpleuit.

Pete igitur ab eo vt vel ſcintillam illius ardentiſſimi amoris in cor tuum immittat, quæ illud purificet, exci-tet, accendat, incendatque, ac tandem feliciter in Diuinis illis ardoribus conſumat.

2. Conſidera Sacerdotem Chriſtianum ad perfectiorem Dei dilectionem peculiari ratione præ aliis obſtringi; tum quia maiorem præ illis perfectionem conſectari tenetur, quæ vtique in maiori charitate conſiſtit: tum quia maioribus diuinæ gratiæ beneficijs præuentus, ad maiorem quoque illorum authori dilectionem rependendam obligatur; tum denique quia ratione ſacrorum miniſteriorum Deo propior factus, arctiori etiam charitatis vinculo ipſi vniri debet.

Vide igitur an ſpecialibus illis amandi Dei obligationibus pro muneris tui debito reſpondeas? an te à Chriſto Domino tot vinculis charitatis trahi ſinas? ora, vt fortiùs & efficaciùs adhuc trahat: dic illi, *trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*.

Offer illi cor tuum, voluntatem tuam, teipſum & omnia tua; vt totus illius ſis, totus illi viuas, totum te pro eius amore ſuperimpendas.

3. Conſidera varios modos quibus in Deum per veram charitatem tendere vales.

In primis affectũ quemcumque cordis tui à creatis rebus abſtrahendo, & in Deum ſolum transferendo, ita vt nihil ames niſi Deum, aut in Deo, aut propter Deum: nullam menſuram, nullum modum in charitate ponendo, Deumque ſummè diligendo, & ea quæ illi placita ſunt, omnibus & quibuſcumque aliis rebus præponendo: creberrimos etiam & inteſiſſimos amoris in Deum actus eliciendo.

Præterea non modo affectibus, ſed & effectibus, tuæ in Deum dilectionis probationem exhibendo, & ea exequendo quæ Deo grata & accepta eſſe perſpicis: imò libenter diuini amoris cauſa perferendo

quæcumque moleſta & aduerſa.

Vide igitur vt virtutem illam diuinam in te otioſam eſſe non ſinas, ſed eius actus ſiue elicitos, ſiue imperatos, quam perfectiſſimè, & quam creberrimè exerceas, imò omnes actus, ſermones, ſenſusque tuos, iugiter diuino amori dedices.

MEDITATIO XIX.

Chriſtus Dominus ad gloriam Dei Patris ſui ſeſe omniaque ſua referens.

I. CONſidera Chriſtum Dominum hunc ſibi præcipuum, imò vnicum actionum & paſſionũ ſuarum ſcopum propoſuiſſe, ſcilicet vt Deum Patrem ſuum glorificaret, vt eius honorem in mundo collapſum inſtauraret.

Hanc nimirum Diuinam gloriam in exequendo Incarnationis ſuæ myſterio ſpectauit; ad hanc cogitationes ſuas, ſermones ſuos, opera ſua, vitam ſuam, mortem ſuam, omnia denique ſua & ſeipſum, ſemper & vbi-

vbique retulit; & intentionem illam diuinæ gloriæ ita ſibi in animo præſentem, cordique ſuo infixam habuit, vt nullo vel tempore, vel loco, quauis de cauſa, neque diu, neque noctu, vel vnico momento eam interruperit; vnde in Scripturis per quandam eminentiam vocatur *gloria Dei*, eo quod perfectiſſimè, & conſtantiſſimè in omnibus Deum Patrem ſuum honorificauerit, eiuſq; gloriæ inſtaurandæ, & propagandæ ſeipſum totum, ſemper & vbique impenderit. *Iſa 60.*

En exemplar cui te conformare quodque in te exprimere debeas: ideò nempe corpus, & animam, & vitam, omniaque reliqua dona, tum naturæ, tum gratiæ à Deo accepiſti, vt omnia illa, & teipſum totum ad eius gloriam referas; & non tibi, neque mundo, ſed Deo ſoli viuas: ac præſertim ad hunc finem Sacerdotalis miniſterij gratia collata tibi eſt, ideoque ab Apoſtolo vocaris *homo Dei*, id eſt homo qui tuus eſſe deſiiſti, totuſque Dei eſſe debes. *1.Tim.6*

2. Conſidera quantum aberraueris ab illo Diuinæ gloriæ ſcopo, quem tamen ſolum & vnicum ſpectare debuiſti: quot actiones à te elicitæ fuerunt, quibus Deum, quem glorificare debebas, inhonoraſti?

quot negotia ſuſcepta, in quibus quæſiuiſti quæ tua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti? quot opera præcipitanter, & ſolius naturæ impulſu à te exercita? quot vitæ tuæ tempora, quot dies, quot horæ, quot momenta inutiliter elapſa, in quibus nullam Deo gloriam dediſti? & quando aliquid pro eius honore vtcumque operatus es, quam tepidè, quam imperfectè id à te præſtitum.

Hæc ſedulo recogitans, ingemiſce, confundere, veniam pete, & in poſterum aliquid meliùs propone.

3. Conſidera vt honorem illum, quem Deus à te iuſtiſſimè expetit, ipſi exhibeas, intentionemque tuam ad eum glorificandum perfectè dirigas, hoc præſertim tibi cauendum eſſe, ne vnquam vlli obliquæ, aut minus rectæ intentioni, in quocunque opere tuo, aditum præbeas; nullam vanæ gloriæ auram vllatenus admittas, in iis præſertim miniſterii tui functionibus quæ palam, & in aliorum oculis fiunt: in quibus proinde tibi ipſi ſollicitè inuigilare debes, vt ſemper, & vbiq; vnicam Dei gloriam intendas, & ad hanc intentionem eo modo concipiendam, & dirigendam te aſſuefacias.

Neque ſolum in præcipuis Religionis & pietatis operibus, ſed & in

in quibuslibet aliis actionibus etiam indifferentibus, hunc vnicum finem ſpectes, & iuxta monitum Apoſtoli, ſiue manduces, ſiue bibas, ſiue quid aliud facias, omnia facias in gloriam Dei.

MEDITATIO XX.

Chriſtus Dominus actiones Religionis exercens.

1. CONſidera quam perfectæ fuerint animi, corporiſq; diſpoſitiones, quibus Chriſtus Dominus actus quoſcumque Religionis exercuit, ſiue in teneriori ætate, quando ſanctiſſimã Virginem matrem vna cum S. Ioſeph, templum Hieroſolymitanum adeuntem aſſectabatur; ſiue in prouectiori, cum tanquam Mediator & ſummus Sacerdos in eodem templo Patrem orauit, eique ſeipſum Religioſo cultu obtulit, & ad omnia quæcumque gloriam illius, hominumque ſalutem ſpectarét, paratum ſeſe exhibuit? quanta pu-

tas humilitate & reuerentia, quanta deuotione & dilectione, hæc & alia eiuſmodi Religionis officia peregit? qualis tunc in eius vultu, ac totius corporis habitu, geſtu, & compoſitione, modeſtia effulſit.

Vide igitur vt facias iuxta diuinum illud exemplar, quod tibi propoſitum eſt.

2. Cōſidera quæ ſit Sacerdotum aliorumque Eccleſiæ miniſtrorum obligatio ad ritè peragenda quæcumque religionis officia, ſacraſque functiones debitè obeundas. Ideò ſiquidem in ordinatione gratia illis collata eſt, quæ vtique ab illis negligenda non eſt.

Neque enim Chriſtiano Sacerdoti ſatis eſt, quod à peccatis grauioribus abſtineat, niſi etiam ea Religionis & pietatis opera, quæ miniſterij ſui propria ſunt, conuenienter exequatur: puta vt Diuinis officijs interſit, ſacro altari famuletur, chorum ſubſequatur, Sacramenta miniſtret, doctrinam Chriſtianam prædicet, & alias eiuſmodi Eccleſiaſticas functiones exerceat, quæ ſunt veluti ſacri quidam fructus quos ab eo Deus expoſcit.

Caue tibi ipſi, ne iſta negligendo, aut ſegniter, vel perfunctoriè exequendo, ſis in Eccleſia Chriſti veluti ar-

arbor infructuoſa, quæ ad nihil aliud apta ſit, niſi vt excidatur & in ignem mittatur.

3. Conſidera, qua ratione teipſum excitare debeas ad hæc Religionis officia eo quo decet modo peragenda; ſi nimirum cogites quantus tibi ſit honor, quanta gloria, eundem Deo famulatum impendere in terris, qui á beatis Angelis in cœlo ipſi exhibetur: ſanè ſi iuſtus rerum eſſe velis æſtimator, pluris facies, vel minimum in Eccleſiaſticis miniſteriis obſequium Deo exoluere, vel abiectiſſimum cuiuslibet ordinis inferioris officiũ exercere, quam ſublimioribus ipſius mundi potiri dignitatibus, & qualiſcumque authoritatis, aut poteſtatis ſæcularis munera obire: imò quam regna & imperia terrena obtinere; ſublimior ſiquidem & glorioſior longè eſt Chriſti ſeruitus regum opibus & potentia.

Vide igitur vt miniſterium tuum honorifices, illudque, vt par eſt, impleas, & ad hoc cæleſtis gratię opem ſuppliciter expoſce.

MEDITATIO XXI.

Chriſtus diſcipulos ſuos modum orandi edocens.

1. Conſidera diſcipulorum Chriſti pium orandi ſtudium, cum à Domino expetierunt vt doceret eos orare, & viciſſim admirabilem plane *clementiam*, & benignitatem ipſius Domini eos modum debitè orandi edocentis, ſeſeque eorũ, & noſtræ imbecillitati tam ſuauiter accommodantis.

Quis enim Rex vnquam ſubditos ſuos edocuit qua ratione aliquid ab eo exorandũ eſſet? eoſque vt quodcumque ipſis libuiſſet, ab eo poſtularent, inuitauit? hoc nempe illius ſolius proprium eſt, cuius natũra bonitas, cuius opus miſericordia.

Vide igitur qualiter te erga Dominum adeo clementem & benignum gerere debeas? qua attentione, quo affectu eum orare, te docentem auſcultare, quæ ab eo didiceris fideliter exequi?

Con-

2. Conſidera excellentiam illius orationis, quam Chriſtus diſcipulos ſuos edocuit, & quam ipſa Eccleſia; in ſacris officiis miniſteriiſque ſæpius á quolibet Sacerdote quotidie repeti voluit; perpende ſingula eius verba, vt eam deinceps eo quo conuenit deuotionis ſenſu proferas.

Pater, vide ne forte dignus non ſis, qui ab eo voceris filius?

Noſter, ergo & alii fratres tui ſunt?

Qui es in cœlis, ergo quæ ſurſum ſunt quærere debes, quæ ſurſum ſunt ſapere.

Sãctificetur nomen tuum, hocne primum & præcipuum eſt tuæ voluntatis deſiderium, ad quod omnia alia deſideria, & conſilia, & opera tua referas?

Adueniat regnum tuum. Sentiſne pœnam exilii tui? & cum cæleſtis patriæ tuæ recordaris, ad illamne toto affectu anhelas: poteſne dicere cum Propheta, *ſicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus?*

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Vide an Dei voluntatem, in omnibus & quibuſcumque, tuæ volũtati pręferas? an ex animo dicas: *Pater, non mea, ſed tua voluntas fiat; non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.*

Con-

3. Conſidera quatuor reliquas petitiones, quæ tum corporis, tum animæ neceſſitates ſpectant.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, vide an aliquid amplius appetas? an habens alimenta, & quibus tegaris his contentus ſis.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Vide an poſt decem millia talentorum tibi condonata, centum denarios à conſeruo tuo, cum rigore, imo plerumque cum diſpendio iuſtitiæ, vel charitatis, velis exigere?

Et ne nos inducas in tentationem, vide ne temetipſum vltro tentationis laqueis implices? ne des locum diabolo.

Sed libera nos à malo; caue ne liberatus, iterum relabaris? ne ſpiritus nequam rediens, ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe inducat, fiantque nouiſſima tua peiora prioribus? pete vt Diuinus ille Saluator non modo te liberet ab omni malo, ſed & oſtendat tibi omne bonum.

MEDITATIO XXII.

Chriſtus Dominus perfectæ orationis conditiones proponens.

1. CONſidera ſex orationis cõditiones, quas Chriſtus Dominus in Euangelio propoſuit, eaſque diſcipulis ſuis ſuggeſſit velut ſex alas myſticas, quibus inſtar Seraphinorum, vſque ad Deum cogitatione & affectu euolarent.

Harum duæ priores ſunt, vt oratio fiat cum attentione & reuerentia; *Videte, vigilate, & orate*, inquit Chriſtus, mentis oculi aperiendi, vigiliq; & intento in Deum animo exhibenda eſt oratio. *Mat. 26*

Rurſus idem Dominus, non verbis ſolum, ſed maximè ſuo demonſtrauit exemplo, qua reuerentia: tum interiori, tum exteriori, orandus eſſet Deus; legimus ſiquidem in Euangeliis ipſum, licet Deo Patri æqualem, ferè ſemper flexis genibus, & ſæpe in faciem proſtratum orationem fudiſſe: & in quocumque ſitu oraret, vultu, oculis & toto corporis habi-

tu,

tu, ſummam in Deum reuerentiam teſtatum fuiſſe, propter quam etiam illum ſpeciatim exauditum fuiſſe dicit Apoſtolus.

2. Conſidera duas alias orationis conditiones: ſcilicet vt fiat in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito. Vtramque expreſſit Dominus in Publicano, qui cum in templum aſcendiſſet oraturus, à longè ſtans, ne quidem pro ſumma ſui demiſſione audebat oculos leuare in cælum, ac in

Luc. 18 ſignum contriti cordis percutiebat pectus ſuum dicens, *Deus propitius eſto mihi peccatori*: vnde & præ Phariſæo quantumuis ieiunante, & decimas exoluente, non modo exauditus, ſed iuſtificatus deſcendit in domum ſuam.

Et prodigus diſſipata licet ſubſtantia, quia tamen cum humilitate & cõtritione ad Patrem reuerſus dixit:

Luc. 15 *Pater peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus*: ideo non modo veniam delictorum, ſed & paternos amplexus, & in priſtinum gradum reſtitutionem promeritus eſt: cor ſiquidem contritum, & humiliatum nunquam deſpiciet Deus.

3. Conſidera, duas vltimas orationis conditiones, nimirum vt fidéter & perſeuéranter fiat: & confi-

den-

dentiam quidem ac ſpem excitauit Chriſtus Dominus,cum aſſeuerauit illud omne à Patre ſuo impetrandum fore, quod in eius nomine poſtularetur: perſeuerantiam veró exegit,cum ſemper orandum & nuſquam ab oratione deficiendum eſſe dixit;illudque exemplo pauperis viduæ ab iniquo iudice vindictam de aduerſario perſeueranter poſtulantis,& ab eo vel inuito perſeuerantia ſua extorquentis, declarauit.

Diſce igitur ab illo diuino Magiſtro quales eſſe debeant orationis tuę cõditiones, [& eas quotieſcumque orationi vacabis,ac præſertim quãdo diuinis officiis exoluendis incumbes, quam perfectiſſimè obſeruare ſtude.

MEDITATIO XXIII.

Chriſtus Dominus Sacramentorum conficiendorum, & adminiſtrandorum poteſtatẽ diſcipulis ſuis conferens.

1 COnſidera, præcellentiam illius ſacræ poteſtatis, quã Chriſtus Dominus diſcipulis & Sacerdotibus ſuis ad maius Eccleſiæ ſuæ bonum contulit: quam tamen nulli beatorum Angelorum conceſſam eſ-

ſe voluit: Suſpice, & mirare effuſā in te, licet immeritiſſimum, Diuinæ munificentiæ largitatem: agnoſce quantus honor, & quāta dignitas, ex cōceſſa poteſtate dona illa cœleſtia diſpēſandi, tibi obueniat? caue ne miniſterium adeo excelſum & diuinum in te vileſcat? *ne in te reperiatur poteſtas ſumma, & vita infima.*

2. Conſidera, quantā ſollicitudinem adhibere debeas in Diuinis illis Sacramentis ritè, ac debitè diſpenſandis, quanta cura cauere ne margaritas illas cæleſtes mittas ante porcos, neve Sanctum dare canibus velis.

Perpende ſeriò, non leuiorem quā impietatis, aut ſacrilegii reatum, in indebita illorum adminiſtratione incurri, & de hac adminiſtratione ſtrictiſſimam tibi coram ſupremo Iudice reddendam eſſe rationem. Perſpice igitur ne dum aliorum ſalutem promouere ſtudes, tibi ipſi damnationem acquiras; & indignis Sacramenta illa diuina diſpenſando, indignationem ac iram Dei ſuper te, & ſuper illos inducas.

3. Conſidera quod ſi in iis, qui Sacramenta ſuſcipiūt condignæ requiruntur diſpoſitiones, multo magis adhuc in Sacerdote diſpenſante, cui non ſufficit ad ſacrum illud miniſterium debitè obeundum, quod nullius le-

thalis

thalis culpæ ſibi conſcius ſit, quodque ea quæ ex Chriſti Domini inſtitutione, aut Eccleſiæ conſtitutione neceſſaria ſunt, rite obſeruet: niſi præterea fidem, ac deuotionem, quam ab aliis exigit, in ſeipſo habeat. Quoties igitur Sacramentum aliquod adminiſtraturus es, perpende coram Deo quid acturus ſis: quam præcellens, quam diuinum ſit illud munus ad quod peragendum accigeris? vt & intentionem conuenienter dirigas, & fidem, reuerentiam, deuotionem, aliaſque ſimiles diſpoſitiones afferas, & ad id gratiæ cœleſtis opem implores.

MEDITATIO XXIV.

Chriſtus Dominus corporis ſui Sacramentum Diſcipulis ſuis ſumendum, & alijs diſpenſandum tradens.

.1 CONſidera Diuini huius Sacramenti excellentiam inexplicabilem; in eo ſiquidem Chriſtus Dominus diuitias ſui erga homines amoris velut effudit: *memoriam faciens ſuorum mirabilium.* Suſpice *pſ. 110.* ineffabilem Saluatoris tui in hoc myſterio charitatem: non ſatis illi erat homines immenſis donis & gratiis

cœleſtibus cumulaſſe,infinitaque merita ſua illis applicaſſe, niſi etiam ſeipſum ſub ſpeciebus huius Sacramenti totum illis donaret.

Sed præ reliquis fidelibus Sacerdotes peculiarem illius Diuini Saluatoris beneuolentiam agnoſcere debẽt in hoc Sacramento,quod ipſis,tum quotidie in ſacro altari offerendum, & ſumendum,tum aliis diſpenſandũ tradidit. Perpende quanti, & quam inæſtimabilis valoris ſit theſaurus ille cæleſtis, cuius quotidiana participatio & communicatio tibi conceſſa eſt,& diſpenſatio credita?nonne vere dicere potes: *ecce Dominus meus* Gen. 19
omnia ſua mihi tradidit , nec quicquam eius eſt quod non ſit in mea poteſtate .

2. Conſidera quod quanto excellentius & ſanctius eſt hoc Sacramentum præ reliquis Sacramentis, ex quibus nimirum riui duntaxat gratiarum effluunt, in iſto autem ſcaturit ipſe fons gratiarum, & benedictionum cæleſtium; tanto etiam maiori religione ab ipſo Sacerdote non modo ſumi, ſed & diſpenſari fidelibus debet.

Et quãuis de aliorum Sacramentorum adminiſtratione coram ſupremo Iudice ſit illi reſpondendum, de iſtius tamen non modo ſumptione, & diſpenſatione, ſed & contrectatione,
aſ-

aſſeruatione, aliiſque eius cultum ſpectantibus, longè ſtrictior ratio ab eo exigetur: neque verò leues cēſendi ſunt illi defectus, quibus ex culpabili aliqua negligentia, aut præcipitatione, ſeu inaduertentia peccatur in reuerentiam, aut obſeruantiam illi debitam; *honor* quippe *Regis iudicium diligit*

Perſpice igitur ſerio qualiter te geras non modo in ſumptione & communicatione huius diuini Sacramenti, quę quo frequentior eſt, eo perfectiorem haud dubiè requirit diſpoſitionem, ſed etiam in eius diſpenſatione & reliquo cultu? Vide qua cura & religione illud adminiſtres, illud contrectes, aut eiuſdem cuſtodiæ inuigiles, & reliqua officia, & obſequia ſacris canonibus præſcripta illi exhibeas.

3. Conſidera vnam ex præcipuis partibus ſacerdotalis miniſterii eſſe, vt quantum fieri poteſt non modo impediatur indigna diuini huius Sacramenti ſumptio, & à ſacra menſa publici peccatores publicè arceantur occulti occultè: idq; nullo habito reſpectu dignitatis, cōditionis, aut cuiuſcumque alterius rei: ſed etiam, vt prohibeatur quæuis irreuerentia, & irreligioſitas, in Templis in quibus aſſeruatur; & è contra inducantur fide-

deleſ,tum ad frequentẽ & dignã illius communicationem:tum etiam ad honorem & cultum condignum ipſi deferendum, religioſamque modeſtiam coram eo retinendam.

Vide igitur ne aliquis reſpectus humanus,aut noxius pudor obſtet,quominus hanc miniſterii tui partem fideliter exequaris? & quibus poteris modis procura, vt eliminentur ab Eccleſiis prophana,& vana colloquia, geſtus indecentes, obambulationes, ſtrepitus, & quæcumque alia, ſanctitati loci,in quo Dominus tuus adeſt, minus conuenientia.

MEDITATIO XXV.

Chriſtus Dominus incruentum corporis ſui ſacrificium à Sacerdotibus offerendum inſtituens.

1. CONſidera Maieſtatem ac ſanctitatem illius Diuini ſacrificii, quod Chriſtus Dominus in vltima cœna inſtituit, & à diſcipulis Sacerdotibúſque ſuis, vbiuis terrarum,omnibus diebus ,vſque ad con-

conſummationem ſæculi offerri præcepit. Sanè cum Diuinus ille Saluator in omni vita ſua tenuitatem, & paupertatem affectatus fuerit, in hac duntaxat actione ornatum quendam, & ſplendidum apparatum adhiberi voluit: cœnaculum ſiquidem delegit grande ſtratum in quo ſanctiſſimũ hoc ſacrificium inſtitueret, vaſa etiã gemmea & exquiſita (quæ huc vſque in quibuſdam Eccleſiis aſſeruata ſunt) in quibus pretioſam illam hoſtiã deponeret, & offerret: vt nimirum ſignificaret qualis deberet eſſe, non modo exterior, ſed præſertim interior cuiuslibet Sacerdotis, ad diuinam illam actionem apparatus & ornatus; & qua fide, qua religione, qua reuerentia, & deuotione viuifica illa hoſtia per ipſius Sacerdotis manus quotidie offerenda eſſet. Vide qualiter in tremendo illo ſacrificio teipſum geras? quales tum corporis tum animi diſpoſitiones ad illum celebrandum afferas.

2. Conſidera diſpoſitiones illas triplicis eſſe generis, aliæ ſiquidẽ antecedere debent diuinum hoc ſacrificium, aliæ comitari, aliæ ſubſequi: ac in primis eximia quædam animi puritas requiritur, ideoque ſacramentalis peccatorum confeſſio, corde contrito & humili expreſſa, frequen-

ter

ter peragenda eſt; actuſque fidei, ſpei, charitatis, religionis ſæpius eliciendi ac præmittendi, & dirigenda ipſa intentio, aliaque omnia requiſita ad ſacram hanc actionem ſollicitè præuidenda & præparanda.

Tum in ipſa actione, oportet in Sacerdote celebrante ſingularem quandam elucere modeſtiam, & deuotionem, & ea quæ dicuntur diſtinctè & attentè ab eo proferri, piiſque in Deum affectibus velut animari; vt ſcilicet religioſa illa & ſolemnis oratio, ſicut incenſum in conſpectu Dei dirigatur: & hoc quidem in toto actionis decurſu, ſed præſertim in conſecratione attentio innouanda eſt, ac interim dum Diuinus ille Agnus ſuper altari, inſtar cæleſtis cuiuſdam victimæ ſitus eſt, ibique ſeipſum inter flammas ſuæ charitatis, in Dei Patris honorem myſticè immolat; tunc maximè accendi & efferueſcere debet deuotio Sacerdotis.

Ac demum peracto & conſummato ſacrificio, aliquanto tempore animus recolligendus & orationi vacandum, in qua gratiæ Deo pro immenſis eius beneficijs per hoc ſacrificium collatis agantur, & ipſe Sacerdos ſemetipſum illi, ſuaque omnia offerat *tanquam hoſtiam viuentem.*

uentem, ſanctam, Deo placentem, & omnimodum illi obſequium ſpondeat.

Perſpice an eiuſmodi diſpoſitiones afferas, & ſi quæ deſit, ſedulo ſupplere cura.

3. Conſidera quantum Chriſtiani Sacerdotis interſit Diuinum ſacrificium debitè perficere, proindeque ſupradictas diſpoſitiones afferre: *maledictus* ſiquidem dicitur, *qui facit opus Dei negligenter*: at qui ſatis conſtat nullum aliud opus adeo Sanctum & Diuinum à Chriſti miniſtris tractari poſſe, quam hoc ipſum tremendum myſterium; & ex conſequenti, vt in ſacro Concilio Tridentino edicitur, omnem operam & diligentiam in eo à quouis Sacerdote ponendã eſſe, vt quanta maxima fieri poteſt interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis, & pietatis ſpecie peragatur.

Sanè ſi eximius huius ſæculi vir, ſanctitate, & religionis zelo conſpicuus, audito Sacerdotis cuiuſpiam, poſt primam duntaxat Miſſam celebratam, deceſſu, verè dicere potuit, ſummã illi coram Diuino Iudice, de vnico illo ſacrificio reddendam eſſe rationem: quid de teipſo cogitare debes, poſt tot Miſſas, tam exili ac prope nulla diſpoſitione, imo fortaſſis cum magna indiſpoſitione celebratas.

MEDITATIO XXVI.

Chriſtus Dominus gratiæ ſuæ myſteria diſcipulis ſuis aperiens.

1. CONſidera ſex præcipuas circa Diuinam gratiam veritates, Chriſtiano Sacerdoti ſcitu maxime neceſſarias, & ex iis conuenientes affectus elicere ſtude.

Prima eſt omnem gratiam à Chriſto Domino tanquam à radice procedere, noſque omnes de eius plenitudine accipere; vnde ipſe in Euangelio di-
Ioan.15 ſcipulos ſuos alloquens, *ego ſum vitis*, inquit, *vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, additque, *quia ſine me nihil poteſtis facere*, quibus verbis declarat, non modo ab ipſo eſſe omne bonum quod in nobis eſt, ſed ſine ipſo, nihil boni prorſus in
1.Cor.3 nobis ineſſe poſſe, noſque proinde *ſufficientes non eſſe cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe.* Vide igitur quantum diuino illi Saluatori obſtrictus ſis, & quam humiliter de teipſo ſentire debeas.

Secunda eſt gratiam illam eſſe nobis indebitam, & ex mera ipſius Chriſti Domini beneuolentia ortum ducere: ipſum

ipſum ſingulis diuidere prout vult, his quidem copioſiùs, aliis parciùs: neque tamen inde vllum conqueri poſſe, alias audire mereretur: *tolle quod tuum eſt, & vade; an non licet mihi quod volo facere?* Mat. 20 Humiliare igitur ſub potenti manu Dei, & gratias quas accipis, tibi maxime indebitas agnoſce.

Tertia eſt, Chriſtum, veram lucem, *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1. nullique gratiæ ſuæ opē denegare, quandocumque neceſſaria eſt ad aliquod peccatum deuitandum, aut præceptum obſeruandum: neminique proinde mandata Dei eſſe obſeruatu impoſſibilia, alioquin fruſtra ipſe Chriſtus Dominus dixiſſet: *Venite ad me omnes*: Mat. 11 ſi aliqui eſſent quibus vires ad veniendum neceſſarias ſubtraheret, *nec iugum eius ſuaue, aut onus leue foret*; ſi ſub interminatione mortis æternæ præciperet impoſſibilia. Agnoſce igitur ineffabilem erga te Dei bonitatem, quę licet immeritiſſimum, nuſquam tamen gratiæ ſuæ donis & auxiliis priuauit, ſed ea in te non modo ſufficienter, ſed & largiter effudit.

Quarta eſt gratiam ita iuuare, vt tamen nullam inferat agendi neceſſitatē: proindeque illum interdum, & nimis ſæpè, praua hominum voluntate repelli & abiici; vnde conqueritur Chriſtus in Euangelio, *quoties volui con-* Mat. 23

Luc.10, *gregare filios tuos quemadmodum gallina*
Ioan.12. *congregat pullos ſub alas*, & alio in loco; *Va tibi Bethſaida, va tibi Corozaim, quia ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes quæ in te facta ſūt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiā egiſſent.* Caue ne aliquādo ſimilis aduerſus te fiat exprobratio, *ambula dum lucem habes*, ne nox illa te comprehēdat in qua nemo poteſt amplius operari.

Quinta eſt eos, qui gratię cooperantur, nullatenus inde gloriari in ſeipſis poſſe, & quamuis omnia fecerint, quæ ipſis præcepta ſunt, ſeſe tamen ſemper
Luc.17 (vt monet Chriſtus Dominus) *ſeruos inutiles* agnoſcere, & profiteri debere; ſi quid enim boni in ipſis eſt, non eſt ex ipſis, ſed ex Deo, omne quippe bonum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Si quando igitur aliqua tibi cogitatio gloriandi obrepat: Audi Apoſtolum commonentem, *quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem*
1.Cor.4 *accepiſti, quid gloriaris quaſi nō acceperis?*

Sexta denique ab iis qui copioſas magis, ac ſpeciales gratias accipiunt, maiores etiam & vberiores bonorum operum fructus præ aliis exigi: *cui enim multum datum eſt*, inquit Chriſtus, *multum*
Luc.12. *quæretur ab eo, & is qui quinque talenta acceperat, alia quinq; lucratus eſt*, nullam recepturus laudem, imò fortaſſe repulſam paſſurus, ſi duo tantum ex lucro retuliſſet.

Per-

Perpende igitur quantas & quam ſpeciales gratias præ innumeris aliis accepiſti, quot ſanctis cogitationibus illuſtratus, piis motibus excitatus, & aliis ſpecialibus auxiliis præuentus: vide vt teneas quod accepiſti; vt nemo coronam tuam accipiat; cum timore itaque ac tremore operare ſalutem tuam, fideliter gratiis tibi collatis cooperando: & caue ne propter ſegnitiem tuam in diuino iudicio audias, *ſeruum inutilem & pigrum eijcite in tenebras exteriores.* Mat. 25

MEDITATIO XXVII.

Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos ad commanendum ſibi inuitans.

1. Conſidera ſingularem prorſus, ac ineffabilem Chriſti Domini erga diſcipulos ſuos dilectionem, cui nimirum non erat ſatis illos gratiis ſpecialibus, & copioſiſſimis cumulaſſe, ipſarumque gratiarum veluti fontē in eos refudiſſe, niſi arctiori adhuc amoris vinculo eoſdem ſibi vniret: *Manete,* inquit, *in me, & ego in vobis,* quaſi intimum cordis ſui ſinum illis aperiēs, & vnum quid cum illis eſſe exoptans?

Perpende ſedulo vim & ſignificatio-

nem verborum illorum: vide poſt tam ſingulare charitatis teſtimonium, quē ſenſum, quem affectum erga amantiſſimum illum Dominum tuum concipere velis, quid ex tua parte præſtare debeas, vt tu in illo maneas, & ille viciſſim in te.

2. Conſidera fructus qui ex illa deſiderabili manſione reciproca conſequuntur. *Qui manet in me*, inquit, *& ego in eo, hic fert fructum multũ: item, ſi manſeritis in me, & verba mea in vobis mãſerint, quodcũq; volueritis petetis, & fiet vobis.*
Sup.
Pſ. 84. Si igitur manes in Chriſto, & Chriſtus in te, labora, operare, fiducialiter age, *etenim ipſe Dominus dabit benignitatem & terra tua dabit fructum ſuum.* Orationes tuas & preces cum fiducia funde; ſpiritus quippe Chriſti in te manens adiuuabit infirmitatem tuam, orabitque tecum, & pro te, gemitibus inenarrabilibus. Sed nunquid parum tibi videtur in ipſo Chriſto cõmanere? nõne hoc vnum ſatis ſuperque tibi eſſe de-
Pſ. 72. beret, etſi nullus alius inde ſequeretur fructus? Dic igitur, *mihi adhærere Deo bonũ eſt, quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

3. Conſidera varios modos quibus tu in Chriſto maneas & Chriſtus in te: 1. Per vnionem potentiarũ animæ tuæ cum illo: nimirum iugiter de illo co-

gi-

gitando, eius actiones, paſſiones, & reliqua diuinæ illius vitæ myſteria meditando, cum eo per orationem colloquendo, eius charitati & miſericordiæ infinitæ innitendo, ipſum toto voluntatis affectu & conatu diligendo, crebroſque erga eundem amoris actus eliciendo, omnia tua & teipſum ad eius gloriam referendo, voluntatem tuam eius voluntati, quam perfectiſſimè ſubmittendo. 2. Per ipſius Chriſti Domini imitationem, teipſum in omnibus illi conformando, virtutes illius, & vitā in te exprimendo; & veluti ipſummet Chriſtum in te, aliis exhibendo; *Qui enim dicit ſe in illo manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare.*

4. Per frequentem, imò quotidianam & condignam ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ participationem, & in illo Sacramento intimā animæ tuæ cū ipſo Chriſto vnionem, idque non ſolo affectu, ſed & effectu; verè ſiquidem, ac realiter in te manet Chriſtus, & tu in illo: vide igitur quomodo tam eximiis charitatis vinculis Domino Deo tuo ita vniaris, vt neque tribulatio, neque anguſtia, neque mors ipſa te vnquam ab illo diuellere aut ſeparare poſſit.

MEDITATIO XXVIII.

Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos aduerſus tentationes præmuniens.

1. Conſidera eximiam Chriſti Domini erga diſcipulos ſuos charitatem: ſiquidem cũ iamiam paſſioni proximus eſſet, mortiſque illius atrociſſimæ quam ſubire debebat, imago ipſi ob oculos obuerſaretur, immemor tamen ſui, & de ſuorum tantummodo ſalute ſollicitus, eos alloquens: *Ecce*, inquit, *Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.* *Luc. 22.*

En monitio Chriſti Sacerdotibus maxime perpendẽda, vt ſcilicet probè intelligant, ſi fideliter in miniſterio ſuo gerere ſe velint, varias & interdum infeſtiſſimas tentationes illis eſſe ſubeundas. Certum eſt quippe illos in prima Eccleſiæ militantis acie conſtitutos, & non pro ſua tantum, ſed & pro aliorum ſalute dimicaturos, acriores hoſtium impetus experturos eſſe.

Quare illud ſapientis tanquam tibi dictum auſculta: *fili accedens ad ſeruitutem* Dei, *ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem* & caue ne, vt ait ſanctus Hieronymus, *tunc maximè oppugneris, cum te oppugnari minimè ſentis.* *Eccl. 2.*

Con-

2 Conſidera Chriſtum Dominum non ſolum ſuos admonuiſſe de tentationibus obuenturis, ſed & illos edocuiſſe rationem, qua poſſent non modò ipſarum tentationum periculum euadere, ſed & de hoſtibus impugnantibus victoriam reportare: *Vigilate*, inquit, *& orate*: en duo media optima & ſaluberrima, quibus quiſque valeat, tum aduerſus tentationes futuras animum ſuum præmunire, tum etiam ipſas tentationes irruentes propulſare. Mat. 26

Primum eſt, vigilantia, quæ ſuper ſeipſum actuſque ſuos exteriores & interiores continuò inuigilet: dicatque cum Propheta, *anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuã non ſum oblitus.* Pſ. 118.

Secundum eſt, oratio, quâ humiliter inuocet Dei auxilium, ſine quo, ipſa vigilantia, quantacumque ſit, minimè ſufficit.

Quiſquis es igitur ſacræ Chriſti militiæ aſcriptus, vide, vt Imperatoris tui monita exequaris: *Vigila, & ora;* vigila tibi ipſi maximè diffidens: ora, in diuinæ miſericordiæ ſubſidium omnino confidens, & ſingulis diebus hæc duo tibi in mentem reuoca.

3. Conſidera aliud mediũ aduerſus quaſcumque tentationes præſtantiſſimum, nimirum vt non modo cum tentatio ipſa vrget & infeſtat, ſed etiam antequam inſurgat, vnuſquiſq; ad pugnam

gnam ſe præparat, ita vt non ſolum periculoſas quaſque deuitet peccandi occaſiones, non modo aditus omnes per quos hoſtis irrumpere poſſet occludat; ſenſuſque ſuos exteriores ſollicitè cuſtodiat; ſed & in iis virtutibus ſedulo ſeipſũ exerceat, quæ tentationis tẽpore ſibi auxilio & præſidio eſſe valeant; ne videlicet ſit ex illorum numero qui (vt Chriſtus Dominus dixit) *radices non habent*, id eſt, ipſo Chriſto per continuũ
Luc.8. virtutum exercitium radicati & fundati non ſunt, ideoque *in tempore tentationis recedunt.*

Igitur dum in huius vitæ militia tempus te iuuat, & datur tibi aliqua ceſſatio ab hoſtium inſultibus: vide vt te denuò ad pugnam præpares, *mortifica*
Coloſſ. 3 *membra tua quæ ſunt ſuper terram; ſe-*
1.Tim. 6 *ctare iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem*, aliarumque eiuſmodi virtutum, quas tibi maximè neceſſarias eſſe noueris, actus ſedulo exerce, vt poſtea his cæleſtibus armis inſtructus, *certare poſſis bonum certamen, fidem ſeruare, curſum conſummare,*
2. Tim. 4. vt tandem *repoſitam tibi coronam iuſtitiæ* valeas obtinere.

M E-

MEDITATIO XXIX.

Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos ad perſeuerandum adhortans.

1. CONſidera hoc monitum Chriſti Domini diſcipulos ſuos alloquentis (*qui autem perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit*) quod quidem ſemel atque iterum illis ſuggeſſit, idq; poſtquam prædixiſſet impiorũ aduerſus ipſos calumnias & odia, tyrannorũ perſecutiones, populorum ſeditiones, ſtrageſq; regnorum, & in hac rerum confuſione hæreſes vndequaq; emergentes & multos in errorem mittẽtes, ſubiecit nihilominus, inter has quantaſcumque procellas, mundique corruentis clades, nuſquam à recto tramite virtutis ipſis deflectendum eſſe, fortiterq; vſque in finem perſeuerandum: illumq; ſolummodo ſaluum fore, qui finalem illam perſeuerantiam tenuerit. Mat. 10

² Vide igitur & ſedulò apud temetipſum perpende quam neceſſaria tibi ſit illa perſeuerantiæ virtus: proindeque nõ ſatis tibi eſſe, quod ad Ordines digne promotus fueris, quod tuæ promotionis initio functiones ſacras debitè exercere

re

Luc.10, *gregare filios tuos quemadmodum gallina*
Io an.12. *congregat pullos ſub alas*, & alio in loco; *Væ tibi Bethſaida, væ tibi Corozaim, quia ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes quæ in te facta sũt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiã egiſſent.* Caue ne aliquãdo ſimilis aduerſus te fiat exprobratio, *ambula dum lucem habes*, ne nox illa te comprehẽdat in qua nemo poteſt amplius operari.

Quinta eſt eos, qui gratiæ cooperantur, nullatenus inde gloriari in ſeipſis poſſe, & quamuis omnia fecerint, quæ ipſis præcepta ſunt, ſeſe tamen ſemper
Luc.17 (vt monet Chriſtus Dominus) *ſeruos inutiles* agnoſcere, & profiteri debere; ſi quid enim boni in ipſis eſt, non eſt ex ipſis, ſed ex Deo, omne quippe bonum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Si quando igitur aliqua tibi cogitatio gloriandi obrepat: Audi Apoſtolum commonentem, *quis te diſcer-*
1.Cor.4 *nit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi nõ acceperis?*

Sexta denique ab iis qui copioſas magis, ac ſpeciales gratias accipiunt, maiores etiam & vberiores bonorum operum fructus præ aliis exigi: *cui enim multum datum eſt*, inquit Chriſtus, *mul-*
Luc.12. *tum quæretur ab eo, & is qui quinque talenta acceperat, alia quinq; lucratus eſt*, nullam recepturus laudem, imò fortaſſe repulſam paſſurus, ſi duo tantum ex lucro retuliſſet. Per-

Perpende igitur quantas & quam ſpeciales gratias præ innumeris aliis accepiſti, quot ſanctis cogitationibus illuſtratus, piis motibus excitatus, & aliis ſpecialibus auxiliis præuentus: vide vt teneas quod accepiſti; vt nemo coronam tuam accipiat; cum timore itaque ac tremore operare ſalutem tuam, fideliter gratiis tibi collatis cooperando: & caue ne propter ſegnitiem tuam in diuino iudicio audias, *ſeruum inutilem & pigrum eijcite in tenebras exteriores.* Mat. 25

MEDITATIO XXVII.

Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos ad commanendum ſibi inuitans.

1. CONſidera ſingularem prorſus, ac ineffabilem Chriſti Domini erga diſcipulos ſuos dilectionem, cui nimirum non erat ſatis illos gratiis ſpecialibus, & copioſiſſimis cumulaſſe, ipſarumque gratiarum veluti fonte in eos refudiſſe, niſi arctiori adhuc amoris vinculo eoſdem ſibi vniret: *Manete*, inquit, *in me, & ego in vobis*, quaſi intimum cordis ſui ſinum illis aperiēs, & vnum quid cum illis eſſe exoptans?

Perpende ſedulo vim & ſignificatio-

nem verborum illorum: vide poſt tam ſingulare charitatis teſtimonium, quē ſenſum, quem affectum erga amantiſſimum illum Dominum tuum concipere velis, quid ex tua parte præſtare debeas, vt tu in illo maneas, & ille viciſſim in te.

2. Conſidera fructus qui ex illa deſiderabili manſione reciproca conſequuntur. *Qui manet in me*, inquit, *& ego in eo, hic fert fructum multū: item, ſi manſeritis in me, & verba mea in vobis mãſerint, quodcūq; volueritis petetis, & fiet vobis.*
ſup.
Pſ. 84. Si igitur manes in Christo, & Chriſtus in te, labora, operare, fiducialiter age, *etenim ipſe Dominus dabit benignitatem & terra tua dabit fructum ſuum.* Orationes tuas & preces cum fiducia funde; ſpiritus quippe Chriſti in te manens adiuuabit infirmitatem tuam, orabitque tecum, & pro te, gemitibus inenarrabilibus. Sed nunquid parum tibi videtur in ipſo Chriſto cōmanere? nōne hoc vnum ſatis ſuperque tibi eſſe deberet, etſi nullus alius inde ſequeretur fructus? Dic igitur, *mihi adhærere Deo bonū eſt, quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*
Pſ. 72.

3. Conſidera varios modos quibus tu in Chriſto maneas & Chriſtus in te: 1. Per vnionem potentiarū animæ tuæ cum illo: nimirum iugiter de illo co-

gi-

gitando, eius actiones,paſſiones,& reliqua diuinæ illius vitæ myſteria meditando, cum eo per orationem colloquendo,eius charitati & miſericordiæ infinitæ innitendo, ipſum toto voluntatis affectu & conatu diligendo, crebroſque erga eundem amoris actus eliciendo, omnia tua & teipſum ad eius gloriam referendo, voluntatem tuam eius voluntati,quam perfectiſſimè ſubmittendo. 2. Per ipſius Chriſti Domini imitationem, teipſum in omnibus illi conformando, virtutes illius, & vitã in te exprimendo; & veluti ipſummet Chriſtum in te,aliis exhibendo; *Qui enim dicit ſe in illo manere,debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare.*

4. Per frequentem,imò quotidianam & condignam ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ participationem,& in illo Sacramento intimã animæ tuæ cũ ipſo Chriſto vnionem, idque non ſolo affectu,ſed & effectu; verè ſiquidem, ac realiter in te manet Chriſtus, & tu in illo: vide igitur quomodo tam eximiis charitatis vinculis Domino Deo tuo ita vniaris,vt neque tribulatio, neque anguſtia, neque mors ipſa te vnquam ab illo diuellere aut ſeparare poſſit.

MEDITATIO XXVIII.

Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos aduerſus tentationes præmuniens.

1. CONſidera eximiam Chriſti Domini erga diſcipulos ſuos charitatem: ſiquidem cũ iamiam paſſioni proximus eſſet, mortiſque illius atrociſſimæ quam ſubire debebat, imago ipſi ob oculos obuerſaretur, immemor tamen ſui, & de ſuorum tantummodo ſalute ſollicitus, eos alloquens: *Ecce*,
Luc. 22. inquit, *Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.*

En monitio Chriſti Sacerdotibus maxime perpendẽda, vt ſcilicet probè intelligant, ſi fideliter in miniſterio ſuo gerere ſe velint, varias & interdum infeſtiſſimas tentationes illis eſſe ſubeundas. Certum eſt quippe illos in prima Eccleſiæ militantis acie conſtitutos, & non pro ſua tantum, ſed & pro aliorum ſalute dimicaturos, acriores hoſtium impetus experturos eſſe.

Quare illud ſapientis tanquam tibi dictum auſculta: *fili accedens ad ſeruitu-*
Eccl. 2. *tem* Dei, *ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem* & caue ne, vt ait ſanctus Hieronymus, *tunc maximè oppugneris, cum te oppugnari minimè ſentis.* Con-

2 Conſidera Chriſtum Dominum non ſolum ſuos admonuiſſe de tentationibus obuenturis, ſed & illos edocuiſſe rationem, qua poſſent non modò ipſarum tentationum periculum euadere, ſed & de hoſtibus impugnantibus victoriam reportare: *Vigilate*, inquit, *& orate*: en duo media optima & ſaluberrima, quibus quiſque valeat, tum aduerſus tentationes futuras animum ſuum præmunire, tum etiam ipſas tentationes irruentes propulſare. Mat. 26

Primum eſt, vigilantia, quæ ſuper ſeipſum actuſque ſuos exteriores & interiores continuò inuigilet: dicatque cum Propheta, *anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuã non ſum oblitus.* Pſ. 118.

Secundum eſt, oratio, qua humiliter inuocet Dei auxilium, ſine quo, ipſa vigilantia, quantacumque ſit, minimè ſufficit.

Quiſquis es igitur ſacræ Chriſti militiæ aſcriptus, vide, vt Imperatoris tui monita exequaris: *Vigila, & ora*; vigila tibi ipſi maximè diffidens: ora, in diuinæ miſericordiæ ſubſidium omnino confidens, & ſingulis diebus hæc duo tibi in mentem reuoca.

3. Conſidera aliud mediũ aduerſus quaſcumque tentationes præſtantiſſimum, nimirum vt non modo cum tentatio ipſa vrget & infeſtat, ſed etiam antequam inſurgat, vnuſquiſq; ad pu-

gnam

quam ſe præparat, ita vt non ſolum periculoſas quaſque deuitet peccandi occaſiones, non modo aditus omnes per quos hoſtis irrumpere poſſet occludat; ſenſuſque ſuos exteriores ſollicitè cuſtodiat; ſed & in iis virtutibus ſedulo ſeipſũ exerceat, quæ tentationis tẽpore ſibi auxilio & præſidio eſſe valeant; ne videlicet ſit ex illorum numero qui (vt Chriſtus Dominus dixit) *radices non habent*, id eſt, ipſo Chriſto per continuũ
Luc.8. virtutum exercitium radicati & fundati non ſunt, ideoque *in tempore tentationis recedunt.*

Igitur dum in huius vitæ militia tempus te iuuat, & datur tibi aliqua ceſſatio ab hoſtium inſultibus: vide vt te denuo ad pugnam præpares, *mortifica*
Coloſſ. 3 *membra tua quæ ſunt ſuper terram; ſe-*
1. Tim. 6 *ctare iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem*, aliarumque eiuſmodi virtutum, quas tibi maximè neceſſarias eſſe noueris, actus ſedulo exerce, vt poſtea his cæleſtibus armis inſtructus, *certare poſſis bonum certa-*
2. Tim. 4. *men, fidem ſeruare, curſum conſummare*, vt tandem *repoſitam tibi coronam iuſtitiæ* valeas obtinere.

M E-

MEDITATIO XXIX.

Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos ad perſeuerandum adhortans.

1. COnſidera hoc monitum Chriſti Domini diſcipulos ſuos alloquentis (*qui autem perſeuerauerit vsq; in finem hic ſaluus erit*) quod quidem ſemel atque iterum illis ſuggeſſit, idq; poſtquam prædixiſſet impiorũ aduerſus ipſos calumnias & odia, tyrannorũ perſecutiones, populorum ſeditiones, ſtrageſq; regnorum, & in hac rerum confuſione hæreſes vndequaq; emergentes & multos in errorem mittẽtes, ſubiecit nihilominus, inter has quantaſcumque procellas, mundique corruentis clades, nuſquam à recto tramite virtutis ipſis deflectendum eſſe, fortiterq; vſque in finem perſeuerandum, illumq; ſolummodo ſaluum fore, qui finalem illam perſeuerantiam tenuerit. Mat. 10

Vide igitur & ſeduló apud temetipſum perpende quam neceſſaria tibi ſit illa perſeuerantiæ virtus: proindeque nõ ſatis tibi eſſe, quod ad Ordines digne promotus fueris, quod tuæ promotionis initio functiones ſacras debitè exerce-

re

re ſtudueris, quod virtutes muneri tuo congruentes aliquanto tempore affectatus fueris. tentationeſque aliquas fortiter repuleris: vlterius adhuc eundem tibi eſt, grandis tibi etiamnum reſtat via, pergendum tibi, laborandum, militandum, ac denique vſque in finem perſeuerandum. Quare animum erige, gratiis acceptis fideliter vtere, & nouas amplioreſque, ac præſertim ipſius perſeuerantiæ gratiam ſingulis vitæ tuæ diebus inſtanter expoſce.

2. Conſidera vnum ex præcipuis mediis quibus hanc perſeuerantiam tandẽ obtineas, eſſe eorum omnium, quæ te vtcumque bene geſſiſſe opinaris, obliuiſci; & S. Apoſtoli exemplo, ad ea quæ perficienda ſuperſunt, extendere teipſum: quotidieque nouo affectu ad deſtinatum ſupernæ vocationis brauiũ contendere, imo ſi ſæpis quotidie te quaſi incipientem, & virtutis ſtadium ingredientem arbitrari.

Si enim ſanctiſſimus Propheta, *qui* (vt ait S. Gregorius) *ad culmen perfectionis iam peruenerat, quotidie tamen quaſi inchoãs ſic loquebatur, Ego dixi nunc cœpi*; Quanto magis te id præſtare decet, qui vix vno paſſu in veræ virtutis ſemita perrexeris, imò qui fortaſſe iter illud nondum ingreſſus fueris.

3. Conſidera alia media quæ te ad eandem perſeuerantiam obtinendam iuuare poterunt. Pri-

Primum eſt, vt vitæ tuæ tempus in quotidianis virtutum exercitiis fideliter impendas, ideoque quotidiana illa virtutum exercitia, rectè & aptè interſe diſponas, ordinemque tibi aliquem vitæ tuæ præſcribas.

Secundum, vt exactè ac conſtanter miniſterii tui inſignia circumferas, ac ſemper & vbique habitum, tonſuráq; clericalem velut *loricam iuſtitiæ, ſalutiſque galeam* aduerſus pleraſq; mundi illecebras, iuxta ſacrorum canonum normam geſtes.

Tertium, vt piorum probatorumque Sacerdotum conuerſationem, imo & contubernium exquiras, ac etiam inter eos fidelem quempiam amicum ſeligas, *cuius anima ſit ſecundum animam tuam*, & à quo conſilium, auxiliumque ac directionem expetas.

Quartum, vt collationibus, quę de Eccleſiaſtica diſciplina, & pietate habentur, frequens interſis: vnde nouum animum, nouaſque vires reſumere valeas.

Quintum, vt ad ſanctiſſimum Dominici corporis ſacrificium dignè celebrãdum, quotidiè, quantum licuerit, teipſum, vt par eſt, diſpoſitum exhibeas: ex quo nimirum, tanquam ex Saluatoris & ſalutis fonte, vberrimas gratias, ipſarũque gratiarum præcipuam, perſeuerantiam ſcilicet, haurias.

Sextum, vt quotannis, quantum in te erit, ſeceſſum aliquem ſpiritualem inſtituas, in quo ea quæ benefacta forent denuo inſtaurare, nouumque perſeuerandi propoſitum firmiter concipere, & conceptum fouere, & perficere poſſis.

MEDITATIO XXX

Chriſti Domini obſeruantia & pietas erga ſanctiſsimam Virginem matrem, cuius Sacerdoti ſedulo imitanda.

1. CONſidera qualis & quàm eximia fuerit Chriſti Domini pietas & obſeruantia erga ſanctiſſimam Virginem matrem ſuam, quam etiam in ſacro Euangelio maximè teſtatam eſſe voluit; ex quo nimirum diſcimus illum totos triginta annos, quibus cum ea commoratus eſt, his præſertim pietatis, obſeruantiæque obſequiis impédiſſe: cumque haud dubiè per illud tẽpus varia eaque perfectiſſima Religionis, charitatis, aliarumque virtutum opera exercuerit, nihil tamen ex illis in Euangelio adnotatum eſſe voluit, niſi quod ſanctiſſimæ Matri ſubditus eſſet, cuius etiam gratia caſtiſſimo eius ſpõſo ſimi-

ſimilem ſubmiſſionem detulit.

Vide quo honore & cultu eam proſequi debeas, cuius etiam ipſe Dei filius ſubditum ſe eſſe profeſſus eſt.

2. Conſidera aliis etiam nominibus & titulis Chriſtianum Sacerdotem ad ſpecialem cultum huic ſanctiſſimæ Virgini exhibendum obſtringi, ac præſertim eo quod Dei mater ſit: vnde ſequitur quod cum Sacerdos pro aliis hominibus conſtituatur in iis quæ ſunt ad Deum, ſimiliter etiam (ſeruato tamen ordine debito) muneris illius ſit, aliorũ, erga ſanctiſſimam hanc Deiparam, cultum & obſeruantiam ſupplere; proindeque non ſuo tantum, ſed & totius Eccleſiæ nomine, huic cæli, terrarumque Reginæ honorem condignum deferre. Quid quod cum ipſe Sacerdos Chriſto Domino ejus filio quadam Religionis veluti affinitate ſpeciatim coniunctus ſit, eundemq; quotidie in manibus deferat, & in ſacrificium offerat, quem hæc puriſſima Virgo & Mater toties inter vlnas & in ſinu geſſit: nonne hinc ſequitur illum peculiari quadam pietatis & obſeruantiæ lege erga ſanctiſſimam hanc Deiparam teneri, eique proinde ſe præ aliis deuotum profiteri debere. Vide igitur qua ratione huic religioſo debito erga hanc ſanctiſſimam Virginem ſatisfacias, quem cultum illi quotidie exhibeas, quid in eius honorem præſtare velis. Con-

3. Conſidera aliam adhuc rationem quæ te ad ſpecialem huius ſanctiſſimæ Virginis cultum, & deuotionem inuitet, nimirum quod ad Chriſti Domini eius filii miniſterium delectus, plurimis & ſpecialiſſimis diuinæ gratiæ auxiliis, ad illud fideliter implendũ, indigeas; plurimis item maximiſque ſubſidiis, ad ſuperandas difficultates occurrentes, tentationeſque vincẽdas, ad quæ auxilia & ſubſidia impetrãda, quantum ipſius ſanctiſſimæ Virginis valeat patrocinium & interceſſio, teſtari poteſt quiſquis illam ex animo coluit, & in neceſſitatibus inuocauit. Quare ſi in virtutum ſacerdotalium ſtadio firmus & perſeuerans eſſe cupis, nullam vitæ tuæ diem ſinas elabi, quin ad huius clementiſſimæ Deiparę præſidium confugias; & ex toto cordis affectu teipſum tuaq; omnia illi cõmendes, ipſiuſque apud Deum interceſſionem & patrocinium inuoces: & quo efficaciùs illius miſericordiam permoueas, eius erga Diuinum Filium reuerẽtiæ ac Religionis obſequia imitari, teq; illi quantum poteris conformare contende.

Omnia ad maiorem Dei optimi maximi gloriam.